



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso


Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>





*Petrus Paulus Finauer Turis
Consultus*

-0
<36619802970016

<36619802970016

Bayer. Staatsbibliothek

574 11 503

-1730

Philos. Opera varia. 20k.

A

R

0

HORÆ SUBSECIVÆ MARBURGENSES

ANNI M DCC XXX,

QUIBUS

PHILOSOPHIA

AD

PUBLICAM

PRIVATAMQUE UTILITATEM
APTATUR.

AUTORE

CHRISTIAN. WOLFIO,

Pot. Suecorum Regis, Hassiæ Landgravii,

Consiliario aulico, Mathematicum ac Philosophiæ

Professore Primario in Academiâ Marburgensi, Professore

Honorario Petropolitano, Societatum Regiarum

Britanniæ ac Borussiae

Sodali.

TRIMESTRE BRUMALE.

FRANCOFURTI & LIPSIAE, M DCC XXXI.

PROSTAT IN BIBLIOP. RENGERIANO.

**Bayerische
Staatsbibliothek
München**

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLEN-
TISSIMO

DOMINO,
DN. FRIDERICO,
LIB. BAR. KETTLER,
DYNASTÆ IN ESSERN, BRUSILGEN,
DROGEN, CRUSATEN, MOEHLERN,
GROSLAUT &c. &c.
POTENTISSIMI SUECORUM
REGIS,
HASSIÆ LANDGRAVII,
MINISTRO STATUS INTIMO
IN HASSIA SUPREMO,
GENERALI LOCUM TENENTI,
SUPREMO AULÆ MARESCHALLO,
ET
COMMISSARIÒ GENERALI,
DOMINO SUO GRATIOSO,
FELICITATEM PERPETUAM!

ILLUSTRISSE
ATQUE
EXCELLENTISSE DOMINE,

QUODSI philosophia nihil præstantius a Deo immortali mortalibus datum, quemadmodum agnovit Cicero; non ut otio indulgeamus, sed ut felicitatem nostram totiusque generis humani

DEDICATIO.

mani promoveamus, philoso-
phandum esse apparet. Tum
vero demum felicitate fruun-
tur homines, quam fert præ-
sens rerum humanarum con-
ditio, si singuli actiones suas
sapienter ac prudenter institu-
ant, si patresfamilias domum
suam provide gubernent, si
denique Rempubl. qui eidem
præsunt, bene ac utiliter ad-
ministrant. Quamobrem o-
mnis tandem philosophia ad
Remp. tanquam ad metam re-
ferenda. Nemo Te, VIR IL-
LUSTRISSIME, rectius hoc
novit, qui per tot lustra nego-

) (3

tia

DEDICATIO.

tia publica tam in sago, quam in toga tanta dexteritate gessisti, ut nihil Tibi in expertum dici possit, quod ad Remp. conservandam, augendam, defendendam quovis modo spectat. Quamobrem me felicem prædico, quod Tibi studium, quod in philosophia ad publicam privatamque utilitatem aptanda colloco, non improbari certus sim. Et ista ratio sola sufficere poterat, cur hæc philosophiæ ad publicam privatamque utilitatem aptata Specimina Illustrissimo Nomini Tuo consecra-

DEDICATIO.

crarem, quod feris nepotibus
doctrinam solidam commen-
dabit. Cum enim, **VIR**
ILLVSTRIS-SIME, qui gene-
ris profapia, & singularibus
in Remp. meritis emines, do-
ctrinæ studiis pretium statuas;
Tua profecto Autoritas men-
tes generosas ad ea incitabit
omni ævo. Patere igitur,
MECÆNAS MAXIME, ut
publico hoc cultu Tuum in
me favorem venerer, & gra-
tioso vultu accipe, quod hu-
millima mente offerro. De-
us autem, **VIR ILLVSTRIS-**
SIME, senectutem, quam
) 4 raris

DEDICATIO.

raris meritis ornas, vegetam
porro esse jubeat & Familia
splendidissima, quæ Princi-
pes cognatione attingit, per
omne ævum futurum floreat!
Dabam Marburgi Cattorum
d. 24. Martii A. O. R. 1731.

ILLUSTRISSIMI ATQUE EXCEL-
LENTISSIMI

NOMINIS TUI

Cultor devotissimus

Christianus Wolfius.



PRÆFATIO.

LECTORI BENEVOLO
SALVTEM!

Cum Horæ Subsecivæ anni
1729, non sine applausu
exceptæ fuerint ab iis,
qui solidam ac Reip. u-
tilem doctrinam in delitiis habent,
virique insignes me fuerint hortati,
ut ab iis continuandis ne desiste-
rem; tanto quidem facilius me per-
suaderi passus sum, quod plurimo-

) 5

rum

PREFATIO:

rum studia doctrinæ hoc pacto excitentur. Philosophiæ nostræ utilitatem perspiciunt præclaræ mentes & ejus amore incenduntur, ut fructus, quos spondet sui cultoribus, percipiant. Vident notiones nostras esse claras atq; distinctas, ut a sensu vel maxime remota intelligi possint, modo in iis expendendis ordo justus seruetur. Experiuntur earum fœcunditatem, cum ex iis demonstrari a priori posse deprehendant, quæ a posteriori observantur, & continuo per eas progressus ad ulteriora detur. Observant earum utilitatem, quod sint ita determinatæ, ut in casu obvio dextre applicari possint. Animadvertunt ordinem, quo una ex altera dependet, ut ipsarum veritas agnoscat & acuminis in ea rimanda profunditas nascatur.

PREFATIO.

catur. Intuentur lucem, quam philosophia nostra Theologiæ, Jurisprudentiæ & Medicinæ affundit. Perspiciunt denique methodum, qua in philosophando utimur, ad ipsam etiam Theologiam, Jurisprudentiam & Medicinam eodem successu applicari posse, modo quis philosophiam nostram familiarem experiatur, ut ne desint principia ad ratiocinandum requisita, nec desit idea exemplaris methodi, nec desint vires ad methodum exercendam necessariae. Ubi igitur ad eam tractandam animum appellant, superatis tædiis, quæ initio ex eo oriuntur, quod accuratam in cogitando legem observare teneantur, se intra exiguum temporis intervalum ad certam rerum scientiam pervenire sentiunt, ad quam aliam

me-

PRÆFATIO.

methodo ipsis pervenire impossibile fuisset. Scopum igitur, quem per horas subssecivas intendimus, assecuti sumus : neque enim nobis aliud propositum fuit, quam ut excelsa ingenia ad studia doctrinæ solidæ inflammaremus quæ ipsa ejus admiratione incitantur. Sordida suis moribus relinquimus, quibus vendibilia quæstus gratia sectantur, & monstrosas mentes contemnimus, quibus in more positum est se meliores calumniari, quod paria cum ipsis præstare non possint, atque doctrinam probam convitari, ne lucro intento excidant. Ecce tibi rationes sufficientes, cur horas subssecivas, non obstante negotiorum multitudine, continuare libuerit & cur eas in posterum continuaturus sim. Hactenus Latino idiomate non prostat nisi disc-

cur-

PREFATIO.

curfus præliminaris de philofophia univerfa, quam operi Logico præmiffi, Logica, Ontologia & Cosmologia: nunc vero proælo fubjicietur Psychologia. Quamobrem in Horis Subfecivis tales imprimis materias felegimus, quarum principia ex iis, quæ jam prodierunt, partibus peti poffunt, nifi quatenus aliquid dandum fuit precibus amicorum, qui ut de nonnullis mentem meam aperirem a me efflagitarunt. Quando vero in pofterum aliæ partes philofophiæ Romano habitu indutæ profTABUNT, ad alia digrediemur, quæ ab iis auxiliatricem manum expectant. Quod apud Sinas celebratur *Confucii* effatum: (a) *Qui totus utilitati vacat, hic multa*

(a) in Libro fententiarum art. 4, §. 15.

PRÆFATIO.

multa odia sibi arcessit, corruptis etiam seculi nostri moribus convenit. Sed recte agendo neminem timemus, nec nos a proposito nostro diverti unquam patiemur, ut placeamus iis, quibus displicuisse laus summa habetur, placuisse vero ignominia maxima est. Qui horas nostras subteci-vas attendente mente perlegit, is abunde convincetur, aperiri a nobis veritatis fontes, unde multa generi humano apprime utilia in apricum protrahi possunt, modo non desint, qui iis protrahendis operam suam addicant. Lætatur igitur, dum ex scriptis aliorum passim proceduntibus intelligimus, placere quoque aliis nostram philosophandi methodum & eos notiones nostras, quarum fecunditatem animad-
ver-

PREFATIO.

vertunt, in rem suam vertere. Maxima profecto spe lætamur mox aliam fore studiorum doctrinæ faciem & profligata doctrina superficialia, qua bonas mentes passim corrumpunt, qui quæstus gratia fumum vendunt, doctrinam solidam triumphaturam. Postulat seculum nostrum doctrinam solidam, ut corrigantur mala, quæ in Ecclesiam atque Remp. magna caterva irreperunt, neque eorum ante erit finis, quam illa triumphaverit. Divinam itaque providentiam veneramur in eo, quod, qui se doctrinæ solidæ opponunt, iis utantur mediis, quæ ad eam propagandam apprimè faciunt: Dei enim sapientia constitutum est, ut, qui bonum impedire omnibus nituntur viribus, idem promovere tentantur
inviti.

PRÆFATIO.

inviti Optime igitur in Anglia
judicatum est, me fecisse quod
meum erat, doctrinam solidam
proponendo; adversarios fecisse
quod ipsorum erat, doctrinam a
me propositam divulgando. Erit
tempus quo ista divinæ providen-
tiæ vestigia vivis coloribus depictu-
rus sum, ut, quæ nunc mihi ma-
teriam gaudendi præbent, ea sa-
pientiæ ac benignitatis Numinis
deprædicandæ argumentum uber-
rimum aliis exhibeant. Dabam

Marburgi Cattorum d. 24.

Martii A. O. R.

1731.



HORÆ SUBSECIVÆ
MARBURGENSES

Anni M D CC XXX.

Trimestre Brumale.

P.

De Voluptate ex Virtute percipienda.

Anno superiori in his ipsis horis Institu-
tum Au-
toris. Subsecivis voluptatem ex veritatis cognitione percipiendam paulo intimius contemplati sumus (a), ut ad eandem invitaremus felicitatis infucatae cupidos. Non inconsultum igitur erit, ut eam quoque voluptatem delineemus, quæ ex virtute percipitur, ut eosdem ad ejus culturam excitemus, qui felicitatem suam eura eordique habent. Pauci profecto sunt, qui voluptatem hanc agnoscunt, etsi profecto tanta fit, ut alteri, quæ ex cognitione veritatis percipitur, minime cedat.
(Hor. subs. 1730.) A Quam-

(a) Trimestr. æstiv. n. 1. p. 167 & Trimestr. autumn. n. 1. p. 359.

Quamobrem tanto magis necessarium esse duximus, ut in eam sollicitius inquireremus, atque ideo vel ultro fidem nostram obstrinximus amico, qui ad hanc tractationem nos invitabat, lectis iis, quæ de voluptate ex cognitione veritatis percipienda commentati sumus. Quotquot hanc voluptatem, de qua nobis jam dicendum est, agniture sunt, illi abunde convincentur, virtutis studium non esse onus tædii plenum, quemadmodum vulgo existimatur. Et qui illam ipsimet percepturi sunt, re ipsa experientur, quam suave sit virtutis exercitium. Enimvero non proferemus, nisi quæ nostro more ex notionibus a priori deducere licet, cum id exigat finis in horis hæc subsecivis (b) nobis præstitutus.

*Virtutis
notio ex-
plicatur.*

§. 2, Antequam igitur de voluptate dicamus, quæ ex virtute percipitur, ipsa virtutis notio evolvenda nobis erit distinctius. Virtutem in Moralibus definimus per habitum actiones suas per legem naturæ determinandi (c), seu, quem-

(b) Vid. præfatio ad Horas subsec. anni 1729. (c) Von der Menschen Thun und Lassen S. 64.

quemadmodum *Thümmigius* vertit(d), actiones suas legi naturali conformiter dirigendi. Actiones nimirum hominis liberæ, de quibus solis hic sermo est, cum ceterarum determinatio non sit in potestate nostra, duplici modo determinari possunt, vel ut consentiant legi naturali, vel ut eidem contrarientur. Per facultates hominis possibile est, ut actiones liberas efficiat juri naturali conformes, adeoque habet per essentiam suam dispositionem naturalem ad actiones liberas legi naturali conformandas. Etenim si ponamus, absolute repugnare, uti homo actiones liberas legi naturali conformiter dirigat; per essentiam suam determinatus erit ad alterum oppositum, consequenter libertas ipsi nulla erit, nec legi naturali amplius erit locus. Illam igitur dispositionem naturalem ad actiones suas legi naturali conformandas in dubium vocare nequit, qui facultatum animæ existentiam atque usum negare non auserit. Evidentius multo idem patet, ubi ex ipso facultatum istarum usu ostenditur,

A 2

ditur,

(d) In Instit. philos. Wolf. Tom. 2. Phil. pract. univ. §. 49.

ditur, quomodo istiusmodi actionum determinatio obtineatur: sed nobis jam non licet esse prolixioribus in iis, quæ absoluto Metaphysicæ opere in Philosophia practica universalis ex Instituto tradituri sumus. Sufficit ex dictis constare, quod virtus non definiatur per id, quod repugnat: id quod in definitionibus nominalibus, qualem hic damus, fatis est. Enimvero ut habeamus principia, quibus voluptas ex virtute percipienda demonstretur; definitio virtutis paulo ubertius evolvenda venit: quod ut fiat, tum ad notionem legis naturalis, tum ad notionem habitus voluntatis respiciendum.

Notio juris naturalis.

§. 3. Notionem juris naturalis nominati sumus profundius, quam vulgo fieri solet, atque terminos generales, quibus utuntur viri eximii, ad notiones distinctas revocavimus, ut jam intelligibili modo explicari queant, quæ antea non nisi obscure, vel profus non intelligebantur. Legi ea de re possunt, quæ in philosophia morali (c) à nobis demonstrantur, & quæ Latino idiomate in

No-

(c) Von der Menschen Thun und Lassen
PART. I. C. I.

Notis ad Orationem de philosophia practica Sinarum passim huc spectantia monuimus, vel *Zhimmigius* in Institutionibus philosophiæ practicæ universalis (f) concinnis positionibus comprehendit. . . Ne tamen aliunde demum repetenda sint, quibus ad intelligenda sequentia maxime habemus opus; ea hic perspicuis verbis exponemus, ut extra systema à lectore principiorum nostrorum non satis gnaro intelligantur. Constat itaque actiones hominis duplices esse: alias per essentiam & naturam mentis atque corporis determinari, quas *necessarias*, itemque *naturales* vocamus; alias vero salva hominis essentia atque natura in utramque partem determinari posse & ideo determinationem in nostra potestate sitam esse, quas ideo *liberas* appellamus. Jam actiones hominum naturales suas habent rationes determinantes finales, cum essentiæ & natura rerum pendeant a sapientia Dei, qui nihil frustra agit, sed suos constanter habet fines, quos in agendo respicit. Patent fines per ob-

A 3 serva-

(f) part. 1. c. 1 & seqq. Tom. 2. Instit. Philos. Wolf.

servationem, modo ad teipsum attentionem attuleris. Et quemadmodum fines singulorum organorum atque partium corporis, per quos eorum actiones determinantur, peculiari tractatu explicavimus (g); ita etiam fines singularum facultatum mentis haud obscure ex iis colligi possunt, quæ de istis in Psychologia empirica (h) tradidimus. Ex istis finibus agnoscitur, quemnam facultatum mentis & organorum corporis usum facere debeamus, ut actiones liberæ cum naturalibus consentiant, hoc est, & liberæ, & naturales ad eundem finem tendant. Per hanc tendentiam actionum liberarum atque naturalium ad eundem finem nascitur consensus (i) & quemadmodum in consensu facultatum & organorum perfectio hominis essentialis consistit, ita consensus actionum liberarum cum naturalibus perfectionem accidentalem arguit, cum in hominem non cadat, nisi præsupponantur habitus intellectus,

at-

(g) Von dem Gebrauche der Theile in Menschen/ Thieren und Pflanzen.

(h) Von Gott/ der Welt und Seele des Menschen c. 3. (i) §. 503 Ontol.

atque voluntatis, unde actiones liberæ naturalibus consentientes manant (k). Habitus hi reduit facultates perfectiores & sic mens nostra perficitur. Quoniam vero actiones hominis ad statum ipsius spectant (l), actionum naturalium & liberarum consensus perfectionem status constituit. Atque ideo legem naturalem ad hoc principium generale revocavimus, actiones ad perfectionem nostram tendentes esse committendas, quæ vero ad imperfectionem tendunt, esse omittendas (m). Ex his tandem intelligitur, quinam habitus sint virtutes, scilicet qui mentem perfectiorem reddunt & eandem disponunt, ut actiones, suas ad sui perfectionem dirigat homo, adeoque cum inter liberas omnes, tum inter liberas atque naturales continuus sit consensus. Qui adeo virtute præditus est, is id unice curæ cordique habet, ut actiones suas liberas ad eundem finem dirigat, quo naturales tendunt. Quemadmodum vero plurimi dantur fines particulares, qui tandem ad finem totius ho-

Δ 4

ho-

(k) §. sit. Oarol. (l) §. 705 Oarol.

(m) §. 14 Mor.

hominis conspirant; ita quoque virtus pro illorum diversitate in varias species abit. Quamobrem in casibus specialibus; ubi semper virtutibus specialibus locus est, virtute præditus ad fines illos particulares respicit, cumque eisdem particulares in plures alios tanquam in species resolvantur, in casibus specialissimis in hos quoque mentis aciem intendit. Enimvero ne, quæ generalius enunciantur; obscuritatem alant, quæ obstat, quo minus sequentia satis intelligantur; exemplo uno vel altero virtutis specialis confirmanda sunt. Sumamus autem exemplum facile, quod non alia supponit, quam quæ unicuique obvia sunt. Constat itaque temperantiam in numerum virtutum referri, quæ appetitum circa cibum ac potum moderatur, seu actiones hominis in capiendo cibo ac potu dirigit. Nemo ignorat, in numero organorum corporis esse ventriculum & intestina, quæ cibo digerendo, chylo a digesto separando & facibus excernendis destinantur, ut corpus humanum conservari possit, dum ita per cibum ac potum continuo restauratur, quod per transpirationem

rationem insensibilem absumitur. Patet adeo actiones naturales ventriculi atque intestinorum per conservacionem corporis tanquam per rationem finalem determinari, aut, si rationem propiorem desideres, per id, ut apta in corpore proftet materia, quæ ei reparando sufficit, quod per transpirationem insensibilem absumitur. Quod si quis idem evidentius perspicere voluerit, is attentamente perlegat, quæ de usu partium nutritioni corporis destinatarum commentati sumus (n). Appetitus itaque circa cibum ac potum per easdem rationes finales determinari debet, scilicet ut non appetamus cibum ac potum, nisi qui corpori conservando conducit, nec sine alio, quam corporis conservandi gratia, & ut tantum cibi ac potus capiatur, quantum ad hoc sufficit, ne desit materia ei reparando sufficiens, quod per transpirationem insensibilem absumitur. Hanc esse legem naturalem capiendi cibi ac potus ex principio generali, seu lege natura universalissima patet. Quamob-

A 5

rem

(n) Von dem Gebrauche der Theile 1. 89
& seqq.

rem temperantia habitus esse debet nonnisi corporis conservandi gratia cibum ac potum appetendi, hoc est, eum qui corpori nutriendo aptus est, & eam quantitatem, quæ ad id sufficit ut reparetur, quod per transpirationem insensibilem continuo absumitur. Obiter monemus, hoc ipso exemplo doceri, quomodo leges naturales investigentur & habitus, qui virtutum nomine veniunt, ad notiones determinatas atque fecundas revocentur. Demus etiam exemplum virtutis alicujus intellectuales. In numerum virtutum intellectuum scientia unanimi omnium consensu refertur. Videamus itaque, quomodo ejus notio eadem methodo & ex iisdem similibusque principiis eruat, quibus paulo ante usi sumus. Constat ex Psychologia intellectum homini datum esse ad veritatem cognoscendam & actiones ejus naturales seu operationes ex natura ipsius fluentes per veritatem cognoscendam tanquam per rationem finalem determinari. Et sane ex Logica, si rite pertractetur, constat, operationes intellectus ita dirigi posse, ut ad certam veritatis cognitionem

nem

nem perveniatur. Quare si homo actiones intellectus, quatenus eas in potestate habet, per eandem rationem finalem determinare debet, per quam naturales determinantur; dispositionem naturalem ad veritatem cognoscendam, quæ in ipso datur, ad habitum evahere debet. Et habitus iste in virtutum numero est, quatenus ex ipso proficiscuntur actiones juri naturali conformes. Constat vero tum demum per operationes intellectus ad certam perveniri veritatis cognitionem, si eam demonstrare valeamus (o), consequenter demonstrandi habitus is est, quo juri naturali conformiter agit intellectus. Quoniam itaque scientia est habitus demonstrandi, quæ affirmamus, vel negamus (p); scientia in numero virtutum intellectualium utique collocanda. Cum jam extra systema versemur, fieri profecto nequit, ut singula ea evidentia proponantur, qua in Systemate uti suevimus: hic enim magis indicanda, quam evolventa sunt, quæ ratiocinia concatenanda ingrediuntur. Ceterum ex his abunde

(o) §. 544 Log. (p) §. 594 Log. Conf. Thummigii Inst. Phil. Mor. §. 115.

unde perspici existimo, quænam sint actiones ex virtute proficiscentes & quomodo eadem certa ratione cognoscantur. Plurima hinc pendent, quæ suo tempore suoque loco distinctius explicanda præstantiam virtutis loquuntur: sed ab his in præsentem diver-tenda est oratio.

*Genus
virtutis
expendi-
tur.*

§. 4. Enimvero præsentis instituti ratio exigit, ut genus virtutis tantisper contemplemur. Definitor virtus per habitum, quo promptitudinem agendi denotari nemo est qui ignorat. Sunt homini dispositiones naturales ad agendum, quæ agendi potentiam seu possibilitatem & aliquid amplius complectuntur, scilicet ut non modo actiones tales facultatibus hominis non repugnent, verum etiam per easdem elici possint, etsi non sine quadam difficultate & veluti renitentia. Actiones frequenter repetitæ agendi quandam facilitatem homini contrahunt, ut jam quasi sua sponte proveniant & certo ordine absque deliberatione se invicem consequantur. Atque in ista actionum repetitione consistit exercitium, quo habitus comparatur. Hæc quidem de
omni

omni habitu in genere tenenda sunt, adeoque etiam ad eum applicanda, quæ virtutis sive intellectualis, sive moralis nomine venit. Sed cum nobis jam cum virtute morali negotium potissimum sit, etsi nec intellectuales prorsus seponamus, ob arcuissimum intellectualium cum moralibus nexum in presenti imprimis attendendum, habitum paulo propius intueamur, qualis in virtute, præsertim morali, conspicitur. Virtutes morales sunt habitus voluntatis, atque ideo hic perpendendum, qualis esse debeat voluntas, si quis virtuti deditus. Cum is, qui habitu appetendi objectum aliquod instructus est, promptus sit in appetendo; is idem constanter appetit, quoties offertur, nec se ab eo appetendo facile dimoveri patitur. Est adeo firmum ipsius propositum & circa idem objectum eadem est voluntas. Hinc jam alibi (q) observavimus, habitum morale per voluntatem constantem & perpetuam explicari solere, ita ut voluntas dicatur constans, quatenus propositum firmum est, & perpetua, quatenus

(q) in Hor. Subl. A. 1729. Trim. Vern. n. 11. §. 3. 4. p. 234 & seqq.

tenuis illa propositi firmitas in omni casu adest. Ponamus enim te esse temperantem: cum temperantia sit habitus appetendi cibos solius corporis nutriendi gratia, adeoque non nisi tales, qui corpori nutriendo conducunt, nec majorem eorum quantitatem, quam quæ fini isti sufficit; quotiescunque cibus vel potus offertur, ab eo abstinet, ubi cum sanitati suæ adversum judicat, nec, ubi eum sanitati conducere certus est, plus appetit, quam quem ventriculus bene concoquere potest & qui rite digestus non majorem ea sanguinis quantitatem gignit, quam fert sanitas corporis. Voluntas igitur hæc in appetendo cibo ac potu perpetua est, ut non alia deprehendatur, quicumque cibus ac potus offeratur. Eadem vero voluntas firma est, ut, quæcunque tandem offerantur motiva ad eam flectendam, inanem tamen operam sumant, qui temperantem vel ad cibum ac potum appetendum perducere volunt, quem is averfatur, vel ipsi persuadere conantur, ut plus cibi ac potus appetat, quam sanitati suæ conducere arbitratur & alias capere suevit. Constantia igitur & perpetui-

tas

tas voluntatis sunt illa promptitudo ad
agendum, in quo habitus consistit. Quo-
niam enim voluntas in appetendo idem
objectum semper eadem est & in nullo
casu rationibus extrinsecis cedit, quibus
alii habitu isto adhuc destituti a propo-
sito suo se dimoveri patiuntur; nihil sa-
ne obstat, quo minus objectum statim
appetatur, quamprimum offertur; ta-
lisque sit appetitus, qualem limitat jus
naturæ. Voluntate adeo perpetua &
constante præditus in appetendo prom-
ptus est. Enimvero id hoc loco adden-
dum est, quod tunc temporis prætermi-
simus, cum voluntatem constantem &
perpetuam interpretaremur, scilicet
quænam ratio sit, cur voluntas in appe-
tendo constans sit, cur perpetua. Per-
petua est voluntas, quia motiva ad ap-
petendum eadem sunt in omni casu,
quo objectum offertur. Eadem sunt
motiva, quæ ab intrinsecis rationibus
desumuntur, & quidem à talibus, quæ
objecto constanter insunt, sive insunt
potentia, sive actu; veluti in allato ex-
emplo ab efficacia cibi digesti potusque
hausti in corpus. Quæ enim ab extrin-
secis desumuntur, in omni casu eadem
esse

esse nequeunt, cum extrinseca variari soleant. **C**onstans autem voluntas est, quatenus eorum, quæ motiva præbent, certam cognitionem habes, ut in dubio nullo modo revocari nequeant, & ex istis motivis appetitum determinandi consuetudinem frequenti exercitio tibi comparasti. Ex adverso mutabilis est voluntas, quæ à motivis extrinsecis pendet, veluti si in capiendo cibo & potu respicis ad gustum & hujus demulcendi gratia eundem capis, aut in capiendo potu ad convivæ præsentem. Ita enim continget, te hodie appetere, quod heri averfatus fueras, & vicissim alio tempore averfari, quod alio appetiveras, cum ea, quæ extrinseca sunt, variari soleant intrinsicis manentibus iisdem. Quamvis autem virtus, quæ talis, non nisi in motivis intrinsicis acquiescit, hoc est, talibus quæ actioni constanter adsunt, sive per modum potentie, sive actus; non tamen ideo extrinseca prorsus sunt seponenda. Etenim prudentie est ad extrinseca quoque animum advertere, ut impedimenta fortuita declinemus & adjumenta non minus fortuita in usum nostrum dextre vertamus.

Mo-

Motiva ab extrinsecis desumpta in consensum cum iis perducenda sunt, quæ ab intrinsecis desumuntur: quo ipso hæc fortiora evadunt, nec amplius impedimento, sed adjumento sunt. Prudentia igitur cum perpetuitatem, tum constantiam voluntatis plurimum juvat, & hoc pacto in omnes omnino virtutes influit: id quod suo loco distinctius exposituri sumus, ubi in philosophia morali prudentiæ partes circa virtutes singulas declarabimus. Notandum præterea ad eandem quoque voluntatis perpetuitatem atque constantiam mirifice conducere, si quis eandem attentionem ad actiones quascunque levioris momenti affert, quam ad eas quæ maximi videntur, & iisdem utitur circa utrasque motivis: id enim fieri posse suo loco abunde demonstraturi sumus, ubi actionum honestatem & morum decus ex iisdem principiis deducemus.

§. 5. Ut jam ex dictis intelligatur, quid ad perfectionem hominis conferat virtus; paulo distinctius evolendum est discrimen, quod inter perfectionem essentialem & accidentalem intercedit, & cujus paulo ante (§. 3) men-

(Hor. subs. 1730.)

B tio-

*perfectio
essentialis
in quo
consistat.*

tionem fecimus, præsertim cum alibi dilucide exposita non reperiantur, ad præsentem tamen scopum apprime necessaria sint. Homo est creatura felicitatis capax, & appetitus ipsius generaliter ad eandem determinatus est. Perfelicitatem intelligimus statum gaudii sive voluptatis durabilis, seu innocuæ. Durabilis autem est voluptas, quæ nocia tædium aut tristitiam degenerat, nec tædium aut tristitiam gignit. Commune autem præjudicium, fons & origo omnium malorum, in eo consistit, quod voluptas minus durabilis, atque nocua cum durabili & innocua confundatur & gaudium minus durabile atque nocuum loco durabilis & innocui appetatur. Inde nimirum est, quod bonum verum ab apparente non discernatur & felicitatis cupidi in bona apparentia tanto animi impetu ferantur. Felicitas illa spectari potest tanquam ratio finalis, per quam tanquam ultimam determinanturea, quæ homini per essentiam insunt. Absit autem ut quis sibi persuadeat, id non sine injuria in supremum Numen affirmari, ad cujus gloriam hominem esse conditum non

mo.

modo sacrae paginae testantur, verum etiam per ipsa rationis principia demonstratur (r). Etenim ex iisdem principiis ostenditur, hominem non esse felicem, immo optima felicitatis parte privari, si actiones suas in universum omnes ad gloriam Dei dirigere negligat. Absit etiam ut quis existimet, non haberi hic rationem felicitatis aliorum, cum tamen divina autoritate nitatur, quod nemo hominum sibi soli vivat & quilibet aliorum commoda quaerere potius debeat quam sua, nec ex principiis rationis aliud sequatur, quam quod unusquisque pro virili felicitatem alterius promovere teneatur (s). Neque enim minus per eadem principia manifestum est in studio inserviendi aliis haud postremam felicitatis partem contineri. Utrumque ex hac ipsa pertractatione abunde patebit, modo ad notionem felicitatis infucatae attenti notemus voluptatem, quae ex virtute percipitur, pertinere ad eam, in qua felicitas nostra consistit. Ut jam intelligamus quomodo homo felicitatis capax sit & quod ab hoc fine pendeat perfe-

B 2

ctio

(r) §. 1045 Met. (s) §. 774. 775 Mor.

ctio ejus; porro considerandum, hominem constare ex anima & corpore, & illius essentiam per facultates, hujus per organa diversa determinari, atque præterea utrique substantiæ inesse istiusmodi perfectiones, quibus ad habitum perductis felicitate potitur. Instruitur anima hominis facultate cognoscendi, vi cujus & sui, & rerum aliarum extra se sibi conscia ac de iisdem judicare apta est. Instruitur facultate appetendi atque averfandi, vi cujus ad alia objecta quasi inclinatur, ab aliis vero quasi retrahitur. Jam facultas cognoscendi ita disposita est, ut ad istiusmodi habitus evehi & ad eam rerum cognitionem pervenire possit, quæ ad voluptatem durabilem a minus durabili, innocuam a nocua discernendam sufficit. Talis adeo deprehenditur, qualis esse debet, ut homo sit creatura felicitatis capax. Quod si quis ex Psychologia empirica facultates particulares, quæ ad cognoscitivam pertinent, perspectas habuerit, & ex philosophia practica a priori pertractata, qualem ego tradere soleo, didicerit, quomodo facultates intellectus ad eam rerum
cogni-

cognitionem sufficientem, quæ ad omnem virtutis theoriam atque praxin sufficit, is veritatis hujus asserti validissime convincitur, quæ multo clariori luce in mente radiabit, quo intimius singulæ facultates & singula ad virtutem requisita in unaquolibet virtutis specie fuerint introspecta. Facultas appetendi generaliter determinata est ad bonum, ita ut nil appetamus, nisi sub ratione boni, quatenus scilicet voluptatem inde percipimus, nec aversemur nisi sub ratione mali, quatenus inde tædium ac dolorem sentimus. Atque adeo facultatem appetendi talem denuo deprehendimus, qualis esse debet, ut in hominem cadat felicitas. Essentialia igitur mentis, ad quam facultates ipsius & dispositiones naturales inde fluentes pertinent (1), talia sunt, qualia per felicitatem tanquam rationem finalem determinantur. Organa corporis varia sunt. Alia inserviunt corpori nutriendo, alia vitæ conservandæ, alia sensui, alia motui locali, alia denique generationi seu speciei conservationis destinantur. Per organa nutritioni &

B 3

vitæ

(1) §. 143 Ontol.

vitā conservatiōni dicata corpus humanum aptum est, quod sanum atque vegetum per plurimos annos conserve- tur: id quod omnino necessarium est, ubi homo frui debet felicitate, cujus per- mētem capax est. Sensus rerum co- gnitioni suppetias ferunt & duplex ad- jumentum afferunt ad id, ut homo sit felicitatis capax. Primo enim cum ju- vant in acquirendis notionibus, qui- bus tam ad theoriam, quam ad pra- xin virtutis indiget: id quod nemo igno- rat, qui philosophiam moralem atque civilem sibi cognitam atque perspectam reddidit & attenta mente expendit, quo pacto regulæ ibidem traditæ cum per- vestigatæ fuerint, tum conditæ vel a no- bis agnitæ confirmentur. Deinde non minor sensuum usus est in regulis, qui- bus ad felicitatem ducimur, applican- dis: quemadmodum haud difficulter perspicit, qui serio perpendit modum applicandi non minus propositiones, quam definitiones ad casus obvios ali- bi (u) a nobis ex instituto explicatum. Organa motui locali dicata aptum ho- minem reddunt ad ea exequendum, sine
qui-

(u) §. 1218. 1223. 1224 Log.

quibus felicitate potiri atque frui non datur. In motibus enim organorum corporis externæ consistunt actiones, quibus animæ decreta exequimur, ubi ea a nobis fieri debent, quæ ad felicitatem nostram requiruntur. Non alia re hic opus est ad veritatem asserti cognoscendam, quam ut consideremus hominis officia jure naturali præscripta, quæ actuum externorum ad felicitatem consequendam necessitatem abunde loquuntur. Quoniam vero genus humanum interire non debet, ideo data homini sunt organa, quibus ad generationem aptus redditur: id quod ipsummet in felicitatem ipsius non uno nomine redundat, etsi hic distinctius explicari non possit. Nullum adeo datur organum in corpore humano, quod non per felicitatem hominis tanquam per rationem finalem determinetur. Atque hoc pacto homo qua animam & corpus spectari potest tanquam creatura felicitatis capax & a sapientissimo ac benenignissimo rerum conditore ideo creatus, ut felicitate, cujus per essentiam capax est, fruatur. Enimvero cum generalis quadam detur ratio, ad

B 4

quam

quam tanquam finem omnes omnino facultates animæ ac corporis organa cum eorum potentiis ac dispositionibus naturalibus tendunt; omnes non minus animæ facultates ac potentia & dispositiones naturales, quam singula corporis organa cum suis potentiis atque dispositionibus naturalibus inter se consentiunt, nec minor datur inter facultates animæ & organa corporis atque utriusque potentias & dispositiones naturales consensus. Et in hoc consensu consistit perfectio hominis essentialis, quæ a Deo datore omnis perfectionis est, nec ab homine auferri potest, salva ejus essentia. Neque in hac perfectione essentiali quicquam datur, quod non sapientia Numinis sit dignum. Plenissima luce talia olim effulgebunt, ubi disciplinis philosophicis probe excultis ad perfectiones rerum contemplandas via patebit, quæ nunc non satis accessiva videtur, saltem plurimis negatur.

*Perfectio
acciden-
talis in
quoniam
consistat.*

§. 6, Atque ita abunde constare arbitror, quantum quidem ad præsentem scopum pertinet, quid sibi velit perfectio hominis essentialis. Restat igitur ut eodem modo inquiramus, in quoniam per-

perfectio ipsius accidentalis consistat. Agedum itaque! videamus, cujusnam perfectionis cum mens, tum corpus ulterius capax sit & quomodo ea obtineatur. Ex antecedentibus liquet, inesse facultatibus animæ varias dispositiones, quæ ad habitum evehi possunt. Diximus de istis dispositionibus & habitibus sententiam paulo ante (§. 4.), cum genus virtutis expendere. Quænam dispositiones naturales insint facultati cognoscendi, ex numero virtutum intellectualium intelligitur, quem arctioribus, quam par erat, limitibus comprehensum a veteribus plurimum amplavimus in philosophia morali (x). Etenim cum veteres & cum iis recentiores in universum omnes virtutes intellectuales numerarent intelligentiam, scientiam, sapientiam, prudentiam & artem; nos iisdem junximus acumen, profunditatem, soliditatem, artem inveniendi, ingenium. Omnes hi habitus mentem aptiorem reddunt ad veritatem cognoscendam. Quod si ergo iisdem utamur tum ad cognitionem earum potissimum veritatum,

B 5

tatum,

(x) Vid. Thümmigii Instir. Phil. Wolf. Tom. 2. Phil. Mor. sect. 2. §. 74 & seqq.

tatum, quibus ad felicitatem consequendam opus habemus, tum ad earundem applicationem in actionibus fini huic convenienter dirigendis; habitus intellectus tum inter se, tum cum facultatibus naturalibus atque organis corporis, aut, si mavis, cum essentia hominis qua animam & corpus consentiunt, consequenter ad perfectionem hominis accidentalem spectant, si earundem usum actualem spectes. Habitus autem isti etiam in se spectati cum fine proximo facultatis cognoscendi consentiunt, quatenus homo aptior est ad res cognoscendas, ubi habitibus istis instruitur, quam ubi animum ab iis vacuum possidet. Atque hoc pacto apparet, virtutes intellectuales pertinere ad perfectionem accidentalem facultatis cognoscendi, consequenter animæ totiusque corporis & singulas actiones seu operationes intellectus ad eandem referri debere, ubi ex virtutibus intellectualibus proficiscuntur atque ad felicitatem hominis tanquam ad scopum tendunt. Qui virtutum intellectualium tum inter se, tum cum moralibus nexum intimius perspexerunt, illis non ignotum erit,

erit, in dirigendis actionibus operationes intellectus tendere ad felicitatem, quatenus ex virtutibus intellectualibus omnibus simul proficiuntur. Neque enim datur actio hominis libera, in quam non omnes omnino virtutes intellectuales influere possunt ac debent, ubi omni prorsus nōvo carere debet. Evidentiora ac clariora hæc erunt, ubi philosophi actionum humanarum perfectionem secundum theoriam a nobis traditam scrutabuntur (y), de qua nemo hæctenus cogitavit, etsi Christi doctrina oppido profunda ad eam contemplandam ducere poterat rerum moralium doctores, dum haud obscure innuit, actionem moraliter bonam ex omnibus animæ corporisque viribus proficisci debere. Etenim tum demum id obtinet, ubi omnes quoque facultates & ad eas spectantes habitus mentis in actionem actuandam impenduntur : id quod alibi a nobis clarius atque distinctius exponetur, ubi Psychologia & cum ea ubivis connexa philosophia moralis atque civilis ea methodo fuerit pertractata, qua hæctenus in Ontologia,

(y) §. 503 & seqq. Ontol.

logia, Cosmologia & Logica usi sumus. Multa enim veritatis luce collustranda est mens humana, antequam clare perspiciat omnium virium animae ac corporis in actionem quandam datam influxum. Porro quanam dispositiones naturales insint facultati appetendi, ex numero virtutum moralium & vitiorum iisdem oppositorum intelligitur, quae in philosophia morali describuntur, pro diversitate objectorum appetibilium diversa. Quoniam circa idem objectum, quatenus vel appetibile, vel averfabile, & virtus, & vitia versantur; vel hoc ipso manifestum est, actiones liberas respectu ejusdem objecti non uno modo determinari posse. Similiter cum motiva, quibus appetitus ad objectum aliquod appetendum determinatur, diversa esse possint, actione externa eadem, & ejusdem actionis externae diversi esse possint fines; actiones liberae adhuc diversae sunt, immo plurimum a se invicem differunt, ubi motus organorum corporis iidem sunt. Actio enim hominis non aestimanda est ex solis motibus organorum corporis; sed etiam ex operationibus mentis quibuscun-

que,

que, quæ ad eosdem concurrunt & tanquam causæ illorum considerantur, quibus remotis nunquam subsequuti fuissent: id quod imprimis facile largituri sumus, ubi recordati fuerimus, quod in eandem actionem omnes animæ atque corporis vires impendi debeant, quæ ad eam actuandam concurrere valent. Differentiam illam spectabimus paulo post, ubi diversos voluptatis gradus ex virtute oriundos exposituri sumus. Clarius autem intelligetur, quantum momenti in eo situm sit, ut actionem humanam rite æstimemus, ubi philosophiam moralem naturæ hominis conformem & praxi consentaneam delineaturi sumus. Diximus jam supra appetitum & pendentes inde actiones liberas duplici modo determinari posse, vel per easdem rationes finales, per quas actiones naturales determinantur, vel per diversas. Si determinatio sit priori modo, actiones liberæ consentiunt cum naturalibus, consentiunt etiam juxta superiora cum essentia hominis ejusdemque natura. In hoc igitur casu spectant ad perfectionem accidentalem hominis, cumque virtutes morales sint
ha-

habitus actiones liberas ita potius, quam aliter determinandi, eadem quoque ad hominis perfectionem accidentalem spectant. Facile autem apparet, nec alia esse debere motiva ad appetendum vel averſandum, nisi quæ ex iisdem rationibus demonstrari possunt: quoniam tunc demum motiva cum ipsis actionibus necessariis, atque cum essentia & natura hominis consentiunt, consequenter in actione libera nihil prorsus deprehenditur, quod ab istis differat. Ad perfectionem igitur hominis spectat talibus uti motivis non aliis, consequenter cum motiva ista virtutis sint, virtutes morales etiam hac nomine perfectionem hominis accidentalem constituunt. Enimvero probe notandum est, ubi perfectionem hominis accidentalem penitus introspicere voluerimus, virtutem distinguendam esse ab actionibus, quæ exinde fluunt. Virtutes ipsæ sunt habitus acquisiti, qui, ubi acquisiti fuerint & per profluens inde exercitium conservantur, per modum rei constantis sese habent ac ipsam hominis naturam perficiunt. Actiones vero ex habitibus istis proficiscentes fluxæ sunt.

sunt & statum hominis perficiunt. Utrumque autem ad perfectionem accidentalem spectat: neque enim homo perfectus censeri potest, nisi quatenus & habitu virtutis instruitur, & ex eodem habitu agit.

§. 7. Postquam igitur ostendimus, quanam perfectionem hominis cum essentiali, tum accidentalem constituent; nunc absque ulla difficultate porro docebimus, in quonam imperfectio eiusdem consistat. Perfectio essentialis tantummodo datur, nulla vero imperfectio essentialis in homine locum habet: impossibile enim est, ut essentia hominis in se immutabilis simul sit perfecta, & imperfecta. Neque enim perfectionem limitatam, qua gradus quidam perfectionis ulterioris de homine negatur, imperfectionem dicere licet, si significatui vocabuli, quem eidem in Ontologia(z) tribuimus & in quo imperfectionem perfectioni opponimus, stricte inhaerere velis. Etenim vel ex iis, quae de perfectione haecenus dicta sunt, liquet imperfectionem esse diffusum in varietate, seu plurimum a se

*Imperfectio
homo-
inis in
quo con-
sistat.*

diffe-

(z) §. 504 Ontol.

differentium in uno, & dissensum in contrarietate tendentiarum ad commune aliquod obtinendum consistere. Quare cum abunde ostenderit, omnes omnino facultates animæ atque organa corporis per eandem rationem finalem ultimam determinari & ad felicitatem hominis tanquam ad metam tendere; fieri omnino nequit, ut sint quædam animæ facultates, quædam corporis organa, quæ per rationem ab illa diversam determinantur & ad infelicitatem hominis tanquam ad scopum tendant. Impossibile itaque est, ut eo in sensu, quem vocabulis perfectionis & imperfectionis tribuimus & tribuere tenentur, quotquot a vago loquendi usu in philosophia abhorrent, imperfectio quædam essentialis hominis admittatur. Et sane essentiarum autor Deus est, a quo proficisci nequit, quod non sit in suo genere perfectum. Etsi enim major perfectionis essentialis gradus concipi possit, quam qui homini convenit; non tamen major convenit homini, hoc est creaturæ eam essentiam habenti, quæ humanæ nomine a nobis insigniri solet. Defectus adeo gradus majoris perfectionis.

ctionis, quam quæ in hanc essentiam cadit, non dici potest imperfectio essentiaæ humanæ. Sane non confundenda est finitudo determinati gradus cum imperfectione. Sed ea dudum agnovere philosophi & ipsis Scholasticis trita fuit hæc doctrina, ut eam uberius confirmari minime sit opus. Quoniam itaque nulla in hominem cadit imperfectio essentialis; de accidentali nobis hic tantummodo disquirendum. Constat ex antecedentibus (§.6), perfectionem accidentalem consistere in virtute & actionibus ex habitu virtutis profluentibus. Imperfectio igitur accidentalis in vitiis & actionibus ex habitu vitiorum proficiscentibus consistere debet, propterea quod vitia virtutibus opponuntur atq; contrariantur, quemadmodum imperfectio perfectioni opponitur atque contraria est. Enimvero idem multo clarius ostenditur, ubi ex ipsa notione imperfectionis deducitur, eodem prorsus modo, quo ante ex notione perfectionis collegimus, perfectionem hominis accidentalem in habitu virtutis & actionibus ex eodem proficiscentibus consistere. Vitium est ha-

(Hor. (subs. 1730.)) C bi-

bitus edendi actiones legi naturali contrarias. Quare cum actiones legi naturali conformes per easdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales; actiones eidem diffformes per contrarias rationes determinari debent, per quas naturales determinantur. Oritur itaque inter actiones naturales & necessarias dissensus (a) atque in hoc ipso dissensu imperfectio accidentalis consistit (b). Quemadmodum vero paulo ante (§. 6), cum de perfectione accidentali ageremus, actiones distinximus a habitu, ex quo fluunt, & sic duplicem perfectionem accidentalem consideravimus; ita quoque duplex spectari potest, immo debet imperfectio accidentalis, altera quæ in habitu consistit, altera vero quæ per actiones ex isto fluentes constituitur. Habitus imperfectionem quandam constantem, etsi non perpetuam præbent, quoniam impossibile non est vitia corrigi & in eorum loca virtutes succedere. Actiones autem singulæ fluxæ sunt & imperfectionem status potissimum inducunt. Spectari

autem

(a) §. 504 Ontol. (b) §. cit.

autem potest in ipsa actionum serie ex habitu eodem profluentium perfectio & imperfectio, si habitus ad perfectionem refertur; vel imperfectionis graduum diversitas oritur, si is ad imperfectionem pertinet. Etenim si voluntas agendi ea, quæ juri naturali conveniunt, perpetua est, nec quis in aliquo genere committit unquam actiones nisi quæ ex habitu virtutis profluunt; series actionum ex eodem habitu proficiscentium perfecta est & partem status perfectam reddit. Quod si vero contingat, actionibus ex habitu quodam vitioso profluentibus subinde interponi alias juri naturali conformes; imperfectio interrumpitur, ut non sit continua (c). Pro diversitate itaque illius interruptionis diversi nascuntur imperfectionis gradus: quemadmodum enim continuitas seriei ex perpetuitate voluntatis ortum trahens gradum maximum exhibet, ita gradus successive evadunt minores, prout plures actiones honestæ turpibus interponuntur, aut pauciores. Dantur vero etiam gradus imperfectionis in eadem actione ex dissen-

C 2

su

(c) §. 554 Ontol.

su actionis externæ & internæ atque internarum inter se : omnis enim actio humana composita est plurium simplicium præsertim internarum aggregatum, neque perfecta censetur & ab imperfectione prorsus libera, quamdiu simplices in universum omnes legi naturali minime respondent. Maximi profecto momenti est ad actionum perfectionem intrinsecam attendere, in præsentem in primis argumento, quemadmodum ex sequentibus patebit. Inde nimirum est, quod actionibus nostris adhæreat aliqua imperfectio, etsi ex habitu virtutis proficiantur. - Et in eo potissimum virtutes civiles a moralibus atque actiones civiliter bonæ ab actionibus moraliter talibus differunt; quod discrimen a Pharisæis olim neglectum & hodiernum a pierisque negligi solitum serio inculcavit Christus (d). Ex eodem fonte manat imperfectio virtutum naturalium respectu christianarum, etiam si eadem materialiter considerentur: quod discrimen hæctenus non satis animadvertum in præsentem negotio probe

(d) Vid. *Trin. Vern. A. 1729. Num. V. §. 2. p. 352 & seqq.*

be considerandum venit. Et eadem quoque differentia intercedit inter actiones hominis secundum ductum rectæ rationis viventis & hominis christiani, quæ illas harum respectu adeo imperfectas reddit, ut peccatorum numero non sine ratione annumerentur, quamvis in se consideratæ moraliter bonæ dici queant (e).

§. 8. Evicimus paulo ante (§. 6), perfectionem hominis accidentalem consistere in habitu virtutis & in actionibus ex eodem profluentibus. Quare cum quis ex habitu virtutis agit, & illius sibi conscius est, & quod actio inde profluat perspicit, consequenter dum ad actiones suas attendit, perfectionem suam intuetur. Perfunditur autem voluptate animus; quotiescunque perfectionem nostram intuemur (f). Voluptatem igitur ex virtute atque actione ex eadem profluente percipere debet, quicumque ex habitu virtutis agens mentis aciem in actionem suam dirigit. Gaudium in prædominio voluptatis

Voluptas percipienda ex virtute ipsa.

C 3

in-

(e) Vid. Notæ ad Orat. de philos. practica Sinarum n. 53. 182 (f) Vid. Trim. Æstiv. A. 1729 n. 1. §. 2 p. 170 & seqq.

in signi consistit (g). Quod si ergo gradus voluptatis, quæ ex virtute percipitur, intendatur; de virtute gaudemus. Idem adhuc alia ratione ostenditur ex ipsa gaudii genesi. Etenim gaudium oritur ex præsentia boni, tantoque majus est, quo majus existimamus bonum, quo fruimur (h). Quoniam bonum est, quod nos statumque nostrum perficit (i); virtus autem, quatenus habitus voluntatis est, mentem nostram perficit, quatenus vero fons actionum legi naturali conformium, statum nostrum perfectum reddidit (§. 6); qui virtute instructam tenet mentem & ex ejus habitu agit, virtutem in numerum bonorum verorum referre utique debet. Dum ex isto habitu agit, se bono isto frui intelligit. Necessè itaque est gaudium ex virtute procreari animumque agentis ea perfundi. Atque hinc est, quod virtute præditus gaudeat de occasione ea agendi, quæ juri naturali conveniunt, sibi oblata & quod non sine gaudio agat, quæ sunt officii sui. Dudum hoc animadverterunt philosophi antiquissimi,

(g) §. 446 Met. (h) §. cit. Met. (i) §. 442 Met.

fimi, quodque gaudium ab actione ex virtute profluente separari haud quamquam possit, adeo certum est, ut virtutis signum constitui debeat gaudium in agente observandum, quoties actio legi naturali conformis. Sane si quis de virtute nondum gaudet, is eam bonum praestans nondum agnoscit: qui eam bonum praestans nondum agnoscit, is ea animum vel prorsus vacuum habet, vel virtus in eo adhuc nascens est. Etenim qui virtutis habitu pollet, eum non sine multo exercitio sibi comparare potuit. Plurimas igitur edidit actiones, quales veluti sponte sua ex virtutis habitu emanant. Quamobrem pro impossibili habendum, quod intrinsecam illarum actionum bonitatem non ipso facto didicerit, atque adeo in semetipso virtutem tanquam bonum eximium expertus fuerit. Qui adeo virtutem tanquam insigniter bonam nondum agnovit, is intrinsecam actionum honestatem ipso facto nondum didicit. Qui intrinsecam actionum honestatem ipso facto nondum didicit, is nondum multas istiusmodi actiones perpetravit. Qui paucas adhuc actiones intrinsece

houestas perpetravit, nec aliis rationibus quam extrinsecis adductus fecit, quæ legi naturali conformia sunt; is virtute adhuc destituitur. Hæc ideo inculcamus, ne quis voluptatem prorsus insignem ex virtute percipiendam in dubium vocet, quod talem a se non percipi animadvertat, etsi virtutem se consecutum esse existimet. Ex defectu enim illius voluptatis agnoscere potius debet, se a virtute adhuc procul abesse, qua se jam potitum esse falso sibi persuadet. Insignis adeo usus est doctrinæ de voluptate ex virtute percipienda, quod mentis aciem acuat ad virtutem veram ab apparente discernendam, ne nosmetipsos decipientes vera felicitate, quæ a virtute vera separari nunquam potest, destituamur.

Quomodo voluptas ex virtute percipienda intendatur.

§. 9. Dantur gradus voluptatis, quod nemo facile negaverit, cumque de voluptate ex cognitione veritatis cuiuscunque in genere (k), & veritatis revelatæ in specie ageremus, gradus illius voluptatis delineavimus. Duplici autem gradus illi nituntur fundamentis,

(k) Trim. Æstiv. A. 1729, n. l. p. 167.

to, quemadmodum alibi (1) a nobis expositum est. Intenditur nimirum voluptas partim per magnitudinem perfectionis, partim per certitudinem nostræ de ea cognitionis. Utrumque etiam in præsentem casum locum habet. Dari gradus virtutis, nemo ignorat, & qui attenta mente perpendit, quæ de natura virtutis paulo ante (§. 4. 5) dicta sunt, is abunde perspiciet, cur virtus una eademque in diversis subjectis gradu differre debeat. Nullum itaque dubium est fore, ut, quæ ex virtute percipitur voluptas, multo major evadat, ubi quis gradum virtutis expendit, quam ubi animum ad eundem minime advertit. Atque huic potissimum rationi tribuendum, quod de virtute demum gaudeant, qui ex hoc habitu jam diu agunt. Etsi enim initio desiderari patiantur attentionem suam ad gradus virtutis, quoniam tamen ipsa virtus continuo crescit & incrementa hæc experiuntur eorum sibi conscii, quæ in ipsis fiunt, ac præterea plurimæ dantur causas sponte sese offerentes, quibus ex ha-

C 5

bitu

(1) Trim. Autumn. A. ejusd. n. l. p. 359.

(m) §. 409. 410 Met.

navare decreverit, vel attentione sua non dedignetur, quomodo aliorum in virtute proficientium assensus circa requisita ejusdem continuo firmior evadat. Quoniam tamen assensus intus in mente latet, nec per se in sensus externos incurrit, sed ex aliis demum, quæ observari possunt, colligi debet; præstat hujus rei experimentum in seipso potius capere, quam in alio. Neque in hoc genere experimenta in aliis capienda commendamus eo fine, ut quis eadem in seipso negligat. Quoniam enim quilibet mortalium ad virtutis studium & exercitium obligatur, & obligationi huic satisfacere tenetur, nisi naturam hominis exuere velit; quilibet etiam ad experimenta ista in se capienda obligatur, consequenter ab eo labore dispensari minime potest. Commendamus vero attentionem ad alios, ut his motivis incendantur ad virtutis studium, qui idem tædiis plenum ac felicitatis suæ inimicum existimant, aut in ea saltem opinionè hærent, quasi virtus absque studio multo acquiratur.

*Quomodo
de voluptate
per se oria-*

S. 10. Vitia virtuti opposita, nec simul in eodem subjecto esse possunt, si-
qui-

quidem virtus non amplius sit nascens, sed jam nata: in statu enim nascentiæ virtus & vitium subinde alternant, quatenus non semper ex habitu virtutis nondum plene consecuto agimus, sed subinde ex habitu vitij, quod dediscere conamur, dum illam discere allaboramus. Impossibile autem est ut plenus virtutis ac vitiorum eidem oppositorum habitus simul sint in eodem subjecto. Etenim qui virtute pollet, voluntatem constantem & perpetuam habet nil quicquam faciendi, nisi quod juri naturali conforme est (S. 4): qui vero vitio conspurcatus tenet animum, ei constans & perpetua est voluntas nil quicquam faciendi, nisi quod juri naturali contrarium est. Quamdiu itaque circa idem objectum versaris, v. gr. in capiendo cibo ac potu occupatus es, voluntas in diversa abit, ubi vitio laborat, & ubi virtute condecoratur. Impossibile igitur est, ut simul ex habitu virtutis & vitij agas, quando cibus ac potus capiendus, seu ut simul te temperantem ac intemperantem præbeas. Quando igitur actiones honestæ ac turpes seu bonæ ac malæ in eodem genere adhuc alternant;

*tur ex op-
positione
virtutis
ac vitio-
rum.*

ncc

nec virtutis, nec vitii plenus adest habitus. Probe autem notandum est, quod supra inculcavimus, actionem honestam ex omnibus ad eam requisitis æstimandam, nec internam ab externa, vel internas simplices a se invicem separandas esse. Etenim fieri potest, ut actio, quæ externam honestatis speciem mentitur, non ex virtute procedat, sed ex vitio aliquo ortum trahat. Virtus nimirum nos a vitio liberat, id quod in casu speciali luce sua radiat, nec alia probatione indiget. Sane nemo non ultro largitur, quod intemperans esse desierit, qui temperans factus est; quod mendax non sit, qui verax est; quod numerum injustorum non augeat, qui justorum numero adscribitur. Procul a vitio abest, qui virtuti deditus. Quemadmodum vero felicitas virtutis præmium certissimum est (n); ita e contrario infelicitas vitium perpetuo comitatur (o). Quamobrem dum ex virtute agimus, damna evitamus, in quæ incidissemus, si ex opposito vitio egissemus. Enimvero quoties cogitamus damnum, quod evitavimus, vel periculum, in quod in-

cide-

(n) §. 66 Mor, (o) §. 70 Mor.

cidere potuissemus, avertimus; toties hilares existimus (p), consequenter voluptatem ex eo percipimus, quod periculum evitaverimus & damna avertimus. Quare voluptas, quæ ex virtute percipitur, incrementa capit, ubi actionem ex virtute profectam actioni vitiosæ opponimus & damna inde secutura perpendimus, si vitium virtuti præferre libuisset. Conducit eum in finem contemplari damna, quæ illi incurrunt, qui virtutis tramite incedere nolentes ad vitiorum avia deflectunt, ne desint damnorum atque periculorum notiones claræ, ubi eadem nobis repræsentare voluerimus, & ne desit sensus certitudinis, sine quo voluptas minime oritur: etenim quæ per experientiam insinuantur idæ, claritate sua mentem percellunt, & dum possibilitatem suam ipsæmet loquuntur, eandem in assensum trahunt, tanto firmiorem, quanto nobis certius est, nos propriis oculis usurpasse, quod jam animo obversatur, & id fieri omnino posse, quod factum esse experti sumus, positisque iisdem rationibus determinantibus fieri rursus debere.

Cer-

(P) §. 447 Met.

Certius utique nobis est, nos a nobis avertisse damna, si persuasissimi sumus, nos in ea incidere debuisse, actione vitiosa patrata, quam ubi ea saltem animo inhæret opinio, nos in illa incidere potuisse, a virtutis tramite ad vitiorum avia deflectentes. Quoniam itaque gradus voluptatis cum sensu certitudinis incrementa capit; id nobis agendum est, ut notione distincta complectamur singulas determinaciones, quibus positum damnum aliquod ponitur, sive illud ad speciem suam tanquam individuum, sive ad genus tanquam speciem revocaveris. Acumine opus est ad talia pervidenda: quo si ipsimet destituti fuerimus, ut aliorum acumine juvemur danda nobis opera est. Juvat ad augendam voluptatem ex hoc fonte largiter fluentem, si præmium virtutis cum damnis vitiorum conferimus, ita enim & præmii, quo beamur, & damni, quod a nobis avertimus, magnitudo evidentius perspicitur: quod duplex voluptati incrementum afferre ex præcedentibus intelligitur. Si quis de hisce, quæ hactenus dicta sunt, dubitet; is ad animum sibi revocet eos casus, in quibus vel ipse-

met

met lætatus fuit, vel alios lætantes vidit, quod aliorum persuasionibus non dederit locum, qui talia fecerunt, quorum postea eos pœnituit, ubi in damna sibi molestissima se incurrisse senserunt. Exempla fere quotidiana sunt, ut non dubitem, quin unicuique talia succurrant, quotiescunque de iis cogitandum.

§. 11. Ex actionibus, quæ ab aliis pa- De vo-
luptate
ex virtu-
te aliena
percipi-
enda.
trantur, colligimus habitus morales in animo eorum delitescentes, consequenter virtutes, quibus effulgent, agnoscimus. Quemadmodum itaque nostræ nobis perfectionis conscii sumus, dum virtutem propriam intuemur, ita non minus aliorum perfectionem sentimus, dum eorundem virtutem nobis exhibemus. Enimvero non modo ex sensu propriæ perfectionis oritur voluptas, verum etiam animus eadem perfunditur, quoties alienam perlustramus. Quamobrem virtus etiam aliena nos delectat, & de eadem non minus, quam de propria gaudemus, ubi eam intimius perspicere nobis datum. Non refragatur experientia, quam vel domesticam allegare poteramus, si quis eam in dubium vocare velit. Quod enim dentur

(Hor. (subs. 1730.)

D

plu-

plurimi, quos virtus aliena voluptate nulla perfundit, ratio gemina esse solet: aut enim verum virtuti pretium statuere nesciunt, aut invidia preoccupatum habent animum. Qui pulchritudinem virtutis nondum agnoverunt, iis nec virtus placet: cessat igitur ratio, cur ex ea voluptatem percipere, vel de ea prorsus gaudere debeant. Idem omnino obtinet in rebus quibusvis aliis. Pictura artificem commendans in delitiis est artis perito, cum ejus ignaros parum commoveat. Aedificium architecti excellentis prudentia dignum animos pariter ac oculos architectorum in se trahit & in se defixos retinet, ut ab eo contemplando desistere molestissimum accidat, cum regularum architectonicarum ignari in eodem non reperiant, quo animum pascant. Carmina omnibus numeris absoluta Poëtis, orationes secundum regulas artis compositas Oratoribus voluptati sunt. Nihil igitur in eo singulare, quod virtus fulgore suo non percellat nisi eos, quibus eandem coram intueri datur. Si qui invidia erga alios laborant, quos virtute instructos deprehendunt, in iis voluptas, quam

quam ex illa percipere debebant, & percepturi erant, siquidem vacuum ab affectu haberent animum, aut ipso affectus impetu extinguitur, aut in ipso ortu suffocatur. Invidus contristatur, quoties felicitatem alterius intuetur, quem odio prosequitur. Displicet ipsi non felicitas, qua alter fruitur, sed quod alter eadem fruatur, quam mallet infelicem esse, id vero est quod ipsum excruciat. Quamobrem etsi virtuti pretium statuere possit; etsi ea sit ex eorum numero, quæ ipsum delectant; etsi denique voluptas in animo suboriatur, dum ad virtutem, quam produnt facta alterius, animum advertit; quamprimum tamen invidia eundem invadit, tardium voluptatem vincit ac tristitia gaudium, ut molestum accidat contueri virtutem in eo, quem malle, eadem orbatum. Absolum vero foret hinc arguere, quod ex virtute aliena voluptas percipi nullo modo possit. Quemadmodum vero nunc abunde constare arbitror, quod invidia extinguat voluptatem ex aliena virtute percipiendam; ita non minus evidenter demonstrari potest, eandem in ipso ortu sæpius suffocari, ubi invidia

animum ita obsedit, ut non nisi limis oculis virtutem alterius intuearis. Virtus, cum sit mentis habitus, per se in oculos non incurrit, sed ex factis colligi debet. Quæ ex virtute proficiuntur actiones legi naturæ conformes sunt: non autem ex conformitate actionis externæ cum eadem inferri potest, quod ex virtute ortum trahant, cum actiones quoque internæ, quæ eidem in mente junguntur, eidem legi convenire debeant. Quales sint actiones istæ internæ, non ex conformitate actionis externæ cum lege naturali, sed ex aliis circumstantiis, ex vultu, voce, gestu, aliisque actionibus vel præcedentibus, vel sequentibus multo sapius acumine, multa ratioe inandi dexteritate colligendum, ut adeo facile fallat de aliena virtute iudicium, præsertim si non multa tibi cum altero intercesserit consuetudo, nec eum familiarem experiaris. Nulla igitur datur actio externa, quæ bona utique est, non tamen in malam partem trahi possit. Inde nimirum est, quod eadem actio & laudis, & vituperii materiam præbeat pro actionum internarum diversitate, quæ pro arbitrio eidem
 jun-

junguntur & ex aliis factis externis probabiliter adstruuntur, illorum inprimis assensum impetraturæ, qui cum totum in auctoritatem dicentis & alias circumstantias extrinsecas resolvunt. Hoc sane fundamento nititur ars antiqua Sophistarum idem & laudandi, & vituperandi, conquisitis in speciem argumentis. Cum res ita sese habeat, me vel tacente inteiligitur, quod invidus, qui virtutem alienam ægre fert, quia aliena, actiones aliorum externas in malam partem interpretari debeat, etsi ex habitu virtutis edocumato fuerint profectæ. Studiose nempe conquirat rationes, quibus cum sibi, tum aliis persuadeat, actionem alterius, quem odit, non nisi ad externam speciem compositam esse, & in iis, quæ evidentia destituuntur, pendulum habet ab appetitu seu voluntate assensum. Quando itaque vi omni renititur, ne virtutem alterius agnoscat; fieri profecto nequit, ut ex eadem voluptatem capiat, sicque eandem in ipso ortu suffocat: concipit enim mens voluptatem eandem mox enixura, ubi in cognitionem virtutis alterius cognoscendam studium nostrum,

impendimus. Absit ergo invidia, absit factorum alienorum in malam partem vertendorum consuetudo, absit ignorantia virtutis alienæ! nec deerit voluptas ex virtutis alienæ contemplatione oriunda.

Vsus voluptatis ex virtute percipiēda.

S. 12. Enimvero! voluptas sive ex propria virtute, sive ex aliena percepta stimulus est ad virtutis exercitium continuandum, ipsius habitum amplificandum ac species deficientes sibi comparandum. Sincera nimirum est voluptas, quæ ex virtute oritur, ut suavior non sit sensus, quem mens humana habere potest. Quare virtutem appetit, qui voluptatis istius recordatur, ut eadem fruatur, atque hoc pacto virtutem appetit propter seipsam, ita ut eam appetiturus esset, etiam si præter istam voluptatem nihil ab ea expectandum foret. Eadem voluptas efficit, ut virtus nobis placeat & ideo eandem amemus, vitium vero eidem oppositum odio prosequamur, consequenter virtute præditi peccare oderint virtutis amore, nec opus sit pœnis, quibus agendi licentia refrænatur. Quoties itaque actio quædam ex virtutis habitu profluit, toties virtutis nobis
su-

sumus conscii ac ex eadem voluptatem percipimus, & quia voluptatem percipimus, actiones istiusmodi amamus iisdemque oppositas detestamur. Et hoc modo ipsa virtus animum incendit ad virtutem colendam, dum eam colimus, & ipso virtutis exercitio virtus conservatur, non modo ne pereat habitus semel acquisitus, verum etiam ut ex eadem profluant actiones. Immo quia de occasione actiones istiusmodi, quæ animam exquisita voluptate perfundunt, patrandi lætamur; eam quoque sollicite quærimus & oblatam ambabus manibus amplectimur, ne nunquam reditura elabatur. Simile quid observatur in hominibus, quos voluptas bonorum apparentium trahit: unde omnino colligitur, eam esse hominum naturam ut objecta, quæ animum voluptate perfundunt, denuo appetant & ipsa hac, qua fruuntur, voluptate ad appetitum stimulentur. Determinatio ista in se indifferens est, qua mens ad objecta voluptatem excitantia per naturam inclinatur. Abutuntur ea, qui voluptate nocua ad appetenda bona apparentia eademque bonis veris præferenda stimu-

lantur; sed eadem utuntur, quemadmodum par est, qui innocuæ voluptatis dulcedine capti in bona vera præcipiti impetu feruntur, ut animus in exatiabilis honestas actiones perpetrandi occasionem anhelet. Obiter observamus etiam actionibus malis hominum, quæ ex vitio ortum trahunt, inesse principia generalia, quæ ad exercitium virtutis profunt. Quoniam itaque nullam proficiendi in studio virtutis occasionem prætermittere debemus; ad ea quoque mentem attentam afferre tenemur, ubi acumen pervidendi universalia, quæ in rebus obviis latent, nobis comparaverimus: absque enim isto acumine oleum atque operam perdimus, cum opus humeris nostris impar aggrediamur. Alter voluptatis ex virtute percipiendæ usus, quem commemoravimus, in amplificando habitu virtutis consistit. Amplificatur habitus virtutis, si ad majorem gradum evehitur, ut actionum ex eadem profluentium series continua sit & longior evadat, ipsæque actiones in singulari magis fiant perfectæ vi eorum, quæ supra de illarum perfectione disseruimus. Jam vero voluptas, qua actiones

nes

nes ex virtute profluentes animum profundunt, ad actiones istiusmodi stimulat, atque adeo efficit, ne agendi occasione oblata contrariæ a nobis edantur. Eidem igitur tribuendum, quod series actionum ex virtute profectarum contrariis minime interrumpatur, consequenter ut sit continua. Similiter eadem voluptas, quemadmodum modo vidimus, in causa est, ut actiones honestas patrandi occasionem quæramus & oblatam ambabus manibus amplectamur, nec eam præterlabi patiamur. Ei igitur acceptum ferre debemus, quod istiusmodi actiones plures edamus, quam alias edituri essemus, si otiosi occasionem agendi expectaremus, vel segnes eam præterlabi pateremur. Series adeo actionum ex virtutis habitu profluentium longior est, quam absente voluptate ista futura erat. Tertius denique voluptatis ex virtute percipiendæ usus in eo sese exerit, quod ad plures virtutes unius exercitio incendamur. Quemadmodum plures sunt virtutes intellectuales, itaque quoque plures dantur morales: & quemadmodum virtutes intellectuales non ita a se invi-

cem pendent, ut una absque altera possideri non possit, utque possideantur omnes in eodem gradu; ita nec virtutes morales adeo arcto nexu inter se coherent, ut nihil unius habere possis, nisi simul habeas ceteras omnes, utque singularum, quibus es deditus, idem sit gradus. Equidem negare non ausim, summum gradum virtutis unius non possideri posse absque ceteris omnibus, nec unam eandemque virtutem exerceri posse in omni casu, si aliqua earum fueris destitutus, immo actiones ex una virtute fluentes aliqua labe affici, ubi ceteris fueris destitutus; sed non ea est mortalium conditio, ut summum virtutis alicujus gradum consequantur, utque ab omni labe sint immunes. Quin potius ex nostris principiis nostro more evolutis clarissime ostenditur, quod actiones hominum, quæ optimæ judicantur, multa tamen adhuc imperfectionis labe notentur. Nitimur ad perfectionem nostri statusque nostri & ad summum perfectionis gradum tanquam ad metam nobis præfixam contendimus: tantum tamen abest ut ad metam unquam perveniamus, ut ex adverso eam tanto lon-

longiori intervallo a nobis remotam experiamur, quo propius nos eidem ad-
motos arbitrati fueramus. Quamdiu
igitur homo halitum vitalem ducit, tam-
diu etiam in virtute ulterius progredi
valet. Atque ea in re mirifice prodest
voluptas, qua virtus animum nostrum
perfundit. Qui enim eadem fruitur, is
ejus dulcedine captus optat, ut eadem
constanter fruatur. Quodsi igitur a-
gnoscat, se vitio quodam adhuc labora-
re, quod tædiis procreatis illius fruitio-
nem interrumpit; eidem remediari at-
que animum ab ista labe purgare stude-
mus, ut perennis sit voluptas nostra. Si-
militer ubi sentimus, voluptatem a ma-
jore gradu unius virtutis emanantem ef-
se magis exquisitam & continuam ma-
gis effici; hoc ipso stimulo incitamus
ad eundem gradum in virtutibus cete-
ris consequendum. Ita vero voluptas
ipsa continua capit incrementa ac no-
vo præterea genere augetur, quatenus
nempe de incrementis virtutis, unde
ista voluptatis incrementa pendent, læ-
tamur. Utinam hæc caperent mortua-
les, qui, ut voluptate fruantur, delitiis
diffluunt & in mille tædia sese improvide
præ-

præcipites dare solent, felicitati suæ inimici, cui tanta sollicitudine inhiant! Confidimus autem fore ut in posterum hoc facilius capiant, ubi nostro more philosophabuntur, rationis ac experientia connubio ita usi, ut singulorum ex notionibus ratio reddatur a priori & non admittatur tanquam verum, etsi per concatenata ratiocinia ex aliis colligatur, de quorum veritate abunde constiterit, nisi quod experimento indubio comprobatum fuerit, utque notionum rerum ex propriis experimentis, in seipso, quantum datur, factis deriventur.

*Voluptas
ex vir-
tute per-
cepta ge-
nuinâ
quomodo
a spuria
separetur*

§. 13. Enimvero ne voluptas, quam tantopere a puritate commendavimus, aliquam labem contrahat, quod spurium est a genuino separari convenit. Sunt nempe homines, quibus voluptati est, ubi se supra alios eminere existimant: qui cum virtutibus intellectuales destituantur, ad morales confugiunt, ex iisdem laudem captaturi. Illi igitur voluptatem percipiunt non ex virtute, sed ex eo, quod se aliis præstare sibi videantur, consequenter eorum voluptas ex ambitione, fonte parum lim-
pido

vido, scaturit atque nocua non ad virtutem, sed vitia stimulum addit, quæ inter nunc vel solam invidiam & independentem neglectum aliorum, quorum perfectionem promovere poterant, commemorasse sufficiat. Absit autem ut voluptatem, quæ ex virtute fonte limpido ortum trahit, cum ea confundamus, quæ a vitio teterrimo factu nempe ac ambitione originem suam derivat! Satis enim manifestum est discrimen, modo ad id attendere velimus. Etenim voluptas, qua quis perfunditur, ubi quis se virtutibus alios excellere existimat, individuum comitem habet invidiam erga alios & odium quoddam tacite alit adversus eos, qui virtutis gloria excellunt. Proditur odium istud per tædium, quod ex alienæ laudis commemoratione percipitur, tum etiam ex studio aliorum laudibus detrahendi, versis omnibus in malam partem, quæ ab aliis recte ac bene facta commemorantur. Invidia ista nonnullorum animos adeo occupavit, ut, si per ipsos staret, omnes omnino homines, quos virtus ornat, eadem protinus exutos mallent, ne quis esset, quem
vel

vel parem, vel se superiorem agnoscere deberent. Quæ igitur ab ipsis percipitur voluptas, tædiorum & affectuum malignorum fomes, actionum turpium stimulus est, quali labe nunquam contaminatur voluptas, quæ ex ipsa virtute percipitur. Etenim hæc incrementa capit ex virtute aliorum. ac ideo amorem erga eos suscitatur, ut eorum virtutem promovere satagemus, quo ampliore gaudendi materiam obtineamus: Si quem virtute nobis superiorem agnoscimus, hoc stimulo utimur ad augendam virtutem nostram: quod si e contrario alterum a nobis vinci deprehendimus, hoc stimulo excitamur ad amplificandam virtutem alterius. Sive autem virtus nostra, sive aliena incrementa capiat, in idem profus gaudium animus noster totus resolvitur & aliena duplici mentem voluptate demulcent, tum quatenus gradum virtutis alienæ trutinamus, tum quatenus probe consideramus, nostra imprimis opera virtutem alterius ad gradum tam præclarum fuisse elevatam. Patet adeo voluptates, quas hic inter se conferimus, tam manifeste a se invicem differre, ut nostram

stram omnino oscitantiam accusare te-
neamur, si easdem a se invicem separare
non valeamus. Inprimis autem ob-
servandum, qui ex virtute sibi volupta-
tem percipere videntur, quam ex vana
de sua præ aliis prærogativa persuasione
hauriunt, eos a vera virtute procul re-
motos esse, & fucata quadam ejus spe-
cie deludi, immo subinde aliis impone-
re conari. In posteriori casu volupta-
tem non ex virtute, sed ex eo percipiunt
homines temerarii, quod aliis callide
imponere potuerint.

§. 14. Ecce tibi alterum voluptatis *Aliud*
spurizæ genus, quod perperam cum ea *genus*
confunditur, quæ a virtute ortum tra- *volupta-*
hit. Sunt qui voluptate perfunduntur, *tis spu-*
quoties virtutem, qua se præstare existi- *ria cum*
mant, ad aliorum opinionem referunt *genuina*
ac benignum sibi de ea judicium pro- *agnata*
mittunt. Enimvero hi sunt, qui non *non con-*
ex virtute, sed ex laude ab aliis ipsis *funden-*
tributa voluptatem capiunt, quam tan- *da.*
to majorem experiuntur, quanto ma-
gis ea expectationi suæ respondet. Af-
fectant enim laudem ob virtutem sibi
ab aliis tribuendam: quare cum laudem,
quam intendunt, consequuntur, de eo
gau-

gaudent, quod desiderio suo fuerint potiti. Atque hac voluptate non ad virtutem augendam & amplificandam instigantur, sed ad media quærenda incitantur, quibus opinionem de virtute sua aliis persuadent, in aliis confirmant. Magis igitur solliciti sunt de actionibus externis ad speciem componendis, quam de habitu virtutis perficiendo & limando. Quamvis vero hoc voluptatis genus in nonnullis affine sit alteri, de quo paulo ante diximus, plurimum tamen ab eodem differt. Etenim in illo casu voluptas percipitur ex eo, quod quis se præstare aliis existimet; in hoc vero inde oritur, quod quis se ab aliis eam consequi laudem experitur, quam intenderat. Etsi itaque in utroque casu virtus in genesin voluptatis quodammodo influat, quatenus in numero causarum remotarum collocatur; fons tamen, unde ea profuit, in utroque prorsus diversus est. Quare cum hujus potissimum, immo unice habenda sit ratio; pro diversis voluptatis speciebus haberi debent, quæ diversas causas proximas agnoscunt, ubi per eas illas distinguimus. Neque vero spuria hæc voluptas confun-

fundenda est cum alia sane genuina, quæ exinde oritur, quod actiones ex virtute perfectas ad aliorum iudicium referentes intelligamus, nihil in iisdem reperi, quod vel rigidus morum censor jure reprehendere possit. Ea enim dum animo volvimus revolvimusque, perfectionem & actionis, & agentis sentimus, consequenter fieri nequit, quin gaudeamus. Enimvero perfectio agentis ipsa virtus est, ex qua actiones profluunt, & actionum perfectio ea est, quam a virtute trahit. Voluptas itaque ex virtute percipitur, non ex laude ob virtutem seu actiones ex ea profluentes nobis tributa. Quamobrem ea nullum nobis stimulum addit ad captandam laudem, etsi nos sollicitet ad circumspicte agendum, ne quicquam actionibus nostris admixtum sit, quod meritam aliorum incurrat censuram. Neque enim intendimus laudari ab aliis, non aliter acturi, sive alii approbent, sive vituperent actiones nostras; sed ut conscientia recte factorum fruamur, id vero est quod optamus & in quod omnes animi corporisque nervos intendimus. Referimus vero actiones nostras ad aliorum

(*Hor. subs. 1730.*)

E

ju-

judicium, ut pateat, quid de ea judicaturi sint, si rigida censura easdem submittant, vel etiam in malam partem detorquere conentur, ne in circumspectione, qua ad agendum opus est, nostram desiderari patiamur industriam, utque in ea acumen juvetur, quo ad singula actionis requisita perlustranda opus est.

*Voluptas
percipi-
enda ex
pietate
philoso-
phica.*

§. 15. Pietatem philosophicam appello virtutem, quæ utitur motivis ad quas vis actiones honestas committendas & malas omittendas ab attributis Dei desumtis (q). Virtus hæc per omnes omnino virtutes reliquas sese diffundit ac id præterea præstat, ut ex amore Dei, fiducia erga ipsum & grato in eum animo proficiscantur. Virtutes autem ceteras in univèrsum omnes ad eminentiorem gradum elevat. Quare cum gradus virtutis voluptatem ex ea percipiendam augeat, pietate philosophica ad virtutes ceteras accedente voluptas ex virtute percipienda incrementa capit. Quando ad actiones legi naturali

con-

(q) §. 670 Mor. conf. Thümmigii Instit. Phil. mor. sect. 4. §. 608. 609. Tom. 2. Instit.

conformes committendas, malas vero fugiendas motivis utimur attributis divinis, illas ideo committimus, has ideo fugimus, quod Deum his, non aliis attributis præditum agnoscimus, sicque eas ad Dei gloriam referimus. Cum igitur tendentia illa actionum singularum ad gloriam Dei perfectio sit, quoniam homo ad gloriam Dei conditus est & ad eandem quoque actiones naturales ejusdem tendunt, immo habitus actiones suas omnes ad gloriam Dei referendi ad perfectionem hominis pertineat; homo pietatis philosophicæ in actiones ex habitu virtutis perfectas influentis sibi conscius perfectionem quandam & actionum, & sui ipsius intuetur. Ecquis igitur miretur, quod suavi quadam voluptate nos perfundat, qua carent ceteri, in quibus illa in easdem actiones non influit. Si quis autem voluptate ista frui velit, is in influxum pietatis philosophicæ in singulas actiones mentis aciem dirigere tenetur, atque inter se componere debet statum mentis, in quo virtutis philosophicæ influxum in actionem præsentem experitur, atque ejusdem statum, in quo vir-

tus philosophica in eandem actionem minime influit: neque enim voluptas mentem pervadit, nisi attentione in perfectionem conversa, quæ per influxum pietatis philosophicæ ex comparatione istorum statuum clarius agnoscendum innotescit. Homo hic sese contemplatur tanquam creaturam ad gloriam Dei conditam & ex pietate philosophica agnoscit, quod sit istiusmodi creatura, cumque talem se præstare intendat, quod voto suo fuerit positus lætatur. Enimvero quæ de pietate philosophica dicuntur, multo magis valent de pietate, quæ in virtutum christianarum numero est, quatenus nempe cognitio attributorum divinarum & pietatis hauritur ex Scriptura Sacra & Spiritus S. efficax gratia ad utramque concurrat. Unde videmus, quam impense gaudeant illius pietatis sibi conscii, etiamsi a philosophica attributorum ac pietatis cognitione sint alieni. Etenim cum certitudo cognitionis nitatur convictione Spiritus S. quæ eam longe superat, quam a ratione expectare licet, gradus autem voluptatis magnitudini certitudinis respondeat;

deat; major omnino voluptas ex pietate theologica, quam philosophica hauriri debet. Non tamen ideo contemnenda est voluptas ex pietate philosophica ortum trahens, quod major ex theologica oriatur. Conjungenda utraque est, immo utramque conjungi convenit, quod ad gloriam Dei promovendam vires omnes impendere debeamus, sive per naturam, sive per gratiam nobis datas. Si quis pietati sive philosophicæ, sive theologicæ aut, si mavis, christianæ studuerit; ejus actiones liberæ omnes ex amore Dei profluunt. Qui enim motivis utitur attributis divinis, is Deum agnoscit, neque solum novit esse Deum eumque his attributis instructum esse; verum etiam prorsus convictus est, se in hisce non admittere, quod sit a veritate alienum. Impossibile autem est, ut quis agnoscat Deum & perfectiones ipsius, & hac tamen cognitione non obstante ab amore ipsius sit alienus. Quoniam itaque amoris divini suavissimus quidam sensus est, qui mentem hominis intime pervadit; singulæ actiones ex eadem proficiscentes eundem in nobis renovant:

E 3 Actio-

Actiones adeo Numinis memoriam continuo renovantes eum arctissime sibi conjunctum habent, cumque sic delectent, earundem amore capimur, ut ita amore Dei augeatur in nobis amor virtutis. Hæc adeo manifesta sunt, ut, qui in philosophia nostra versati nexum rerum introspicere didicerunt, ea in dubium revocare nequeant; qui vero Deo vivunt, non sibi, ad ejus gloriam actiones suas referentes, ea in se deprehendere queant, modo attentione & acumine uti possint ad perceptiones mentis, quæ ipsam tangunt, distincte evolendas. Etenim si quis hoc acumine destituitur, vel si cui deficit attentio, quæ hic requiritur, singularis; is facile alii causæ tribuit, quæ amori Numinis tribuenda veniunt, immo sæpius in statu mentis non distinguit, ad quæ maxime attendere debebat. Obiter monemus acumen istud, de quo hic loquimur, & attentio illa singularis, cujus mentionem facimus, esse fructum studii, quod in Psychologia empirica nostro modo pertractata ponitur, ne media ab eo ignorari patiamur, qui tanto bono potiturus, quod omni commendatione super-

perius est, de acumine isto eique jungenda attentione sibi comparandis cogitat. Quoniam actiones ex amore Dei profluentes adeo suavi sensu mentem demulcent, quo ante carebamus, cum eadem actiones nonnisi ex virtute, ad quam spectant, propullularent; ingens profecto bonum existimat, quod sibi innotuerit modus actiones suas omnes ex amore Dei tanquam fonte derivandi. Quoties igitur actiones ex hoc fonte profluentes intuetur, toties de bono isto, cuius sese participem esse opere ipso convincitur, impense gaudet, & inde voluptas nova capit incrementa, cum gaudium in prædominio voluptatum consistere dudum ostenderit. Porro cum certo persuasi simus, actiones ex habitu virtutis profluentes esse eas, quæ Deo placent & quæ voluntati ipsius conformes sunt, ac ideo ex amore ipsius profluant, quatenus qui alterum amat non suo, sed alterius nutu vivit; hoc quoque nomine gaudemus, quod nobis conscii simus actiones nostras voluntati Numinis, quod amamus, conformes esse. Ecquis enim est qui nesciat; nos tanto

majore voluptate perfundi, quo magis
 amamus alterum, ubi actiones nostras
 nutui ipsius, convenientes deprehen-
 dimus. Qui pietati studet, ejus quo-
 que actiones ex grato in Deum animo
 proficiuntur. Quemadmodum enim
 pro certo habet, quod anno superio-
 ri (r) evicimus, hominem nihil a seipso
 habere; ita in numerum beneficiorum
 divinorum refert, quicquid sibi boni
 adesse agnoscit, immo quicquid boni
 aliis esse videt. Actiones itaque bonas
 edimus, quas a nobis Deum exigere no-
 vimus, ut gratum in ipsum animum te-
 stemur, cum a nobis proficisci non pos-
 sit, quod grati animi signum sit, quam
 actio a Deo præcepta. Gratus ille ani-
 mus cum virtutum non postrema sit,
 ex eo quoque voluptatem percipimus,
 quoties ejus nobis conscius sumus. Quo-
 niam adeo omnes nostræ actiones, ubi
 ex grato in Deum animo in nobis
 proficiuntur, ejus conscientiam in no-
 bis continuo conservant, voluptatem
 etiam, quæ ex virtute percipitur, con-
 tinuis incrementis augent. Fruimur
 hac voluptate, quando hominibus ob
 beneficia in nos collata gratum animum
 factis

(r) in Trim. Æstiv. Num. III, p. 289 & seqq.

factis probamus. Qui idem in se experitur, is haud obscure colliget multo adhuc majore voluptate animum perfusum iri, ubi Deo actionibus nostris animum gratum probamus. Si quis vero veritatis illius convictus fuerit, nihil sibi esse, quod non a Deo habeat, & ex grato in ipsum animo actiones suas in univ-
ersum omnes derivare didicerit; is voluptatem, quam tantopere prædicamus, in semetipso experietur & dictis eidem præbebit fidem. Equidem cum beneficiorum cogitatio amorem benefactoris suscitet, beneficia quoque a Deo in nos collocata, quamprimum ea perpendimus & Deo auctori tribuimus, amorem ejus gignunt, consequenter ex amore in Deum proficisci videntur, quæ ex grato animo veniunt, neque adeo voluptas, de qua nobis sermo est, diversa esse videtur ab altera, quæ ex amore Numinis ortum trahit. Enimvero etsi non negemus, ubi ex grato in Deum animo proficiscuntur actiones, easdem simul ex amore ipsius derivari; hoc tamen non obstante animus gratus quædam superaddit, quæ ab amore solo expectari nequeunt. Qui ex amore Dei

E 5

edit

edit actionem, is eam sibi repræsentat tanquam Deo gratam atque acceptam, utpote voluntati ipsius conformem: qui vero eandem edit ex grato in ipsum animo, is hoc indicio probare intendit, beneficia Numinis a se agnosci & se lubentissime eadem compensaturum, siquidem in potestate hominis esset paria referre Deo, Diversi igitur sunt voluptatis fontes amor Dei & gratus in eundem animus, etsi ex utroque una scaturiant voluptates non sine acumine discernendæ a se invicem ac ad fontes suos reducendæ. Ceterum dum perpendimus actiones ex animo grato profectas, hoc quoque nomine Deum amamus, quod ipsi perinde placeant ac benefactori beneficia, quibus ab eodem in nos collata compensantur. Multa hic occurrunt, quæ attentionem nostram merentur & pietati commendandæ mirifice profunt; sed sufficit præratione præsentis instituti indicasse, quæ attentionem excitare, excitatam conservare possunt. Diximus ex pietate percipi quoque voluptatem, quatenus ex fiducia erga Deum proficiuntur. Id vero paradoxum videbitur: cum enim

nim fiducia erga Deum consistat in lætitia de bono a Deo obtinendo & mali præsentis salutari usu, utpote ex certa animi de providentiã divina convictiõne ortum trahens; non apparet, quomodo ex fiducia erga Deum proficisci queant, utut palam sit, si inde proficiantur, voluptatem ex iis perceptam insigne capere debere incrementum. Opus igitur est ut doceamus, quomodo fiducia erga Deum in omnes omnino hominis actiones influat. Perpendendum itaque fata hominum, quæ non per se, sed ex accidente cum actionibus humanis connectuntur, adeoque ad intrinsecam eorum honestatem vel turpitudinem referri minime possunt, a Dei decreto & directione pendere, ut siue prospera fuerint, siue adversa, virtuti motiva præbeant, & adversa ad bonum finem dirigantur. Providentiã igitur divina confisus certa fiducia tenet, nihil ex actionibus suis accidentaliter consequi posse, quod efficiat ut actionis cujusdam suæ eum poeniteat, & quod voluptatem ex virtute perceptam interrumpat. Quamobrem fiduciæ erga Deum tribuendum, quod de voluptatis

ptatis ex virtute percipiendæ continuitate lætemur, & suavis profecto sensus est tranquillitatis animi, qui de eventu actionum suarum securus ab omni metu vacuus est, quo anguntur ceteri in actionibus suis determinandis ad rationes extrinsecas, unde eventus accidentales pendent, respicientes & modo huc, modo illuc vacillantes. Alius longe status animi est, si actiones ex providentiæ divinæ contemplatione & orta inde erga Deum fiducia proficiuntur, quam ubi providentiæ divinæ cogitatio & fiducia erga Deum sensus ab agente prorsus abest: id quod adeo clarum est, ut ipso sensu distingui possit & fiduciæ erga Deum non fallax præbeat indicium. Hæc autem voluptas peculiarem prorsus habet usum, quem a reliqua omni expectare non adeo facile licet. Etenim id præstat, ut in determinandis actionibus minime ad rationes extrinsecas respiciamus, quibus a virtutis tramite plerique se abduci patiuntur. Qui impedimenta honestatis & justitiæ perspecta habent; illi de tanto usu statuere poterunt, cui ne ceteri verum decernant pretium valde metuo. Quod si homo
chri-

christianus ex fiducia erga Deum actiones suas derivat; is actionum imperfectionem & virium naturalium imbecillitatem agnoscens duplici effertur lætitia. Latatur nimirum de Spiritus S. assistentia, qua vires naturæ mirifice elevantur, quemadmodum distincta ratione exponere valent, qui simili modo notiones in Theologia resolvunt, quo nos easdem in philosophia resolvimus: id quod fieri posse ipso opere edocti sumus, & alio forsan tempore in his ipsis Horis dabimus specimina. Latatur de singulari Dei bonitate, quod nostra ipsi placeant imperfecta opera propter fidem in Christum, qua imperfectio ab iisdem removetur. Sed ea indicasse sufficiat, cum pro dignitate tractari in præsentem nequeant.

§. 16, Quæ de pietate philosophica dicta sunt, suo etiam modo applicari possunt ad justitiam universalem: quoniam tamen huc spectantia ex eorum numero sunt, quæ vulgo non attenduntur, ut de iis dicamus disertius res ipsa postulare videtur. Qui justitiam universalem pro complexu omnium virtutum habent, non magis vera sentiunt, quam

quam qui pietatem complexum omnium virtutum esse affirmaret, quod per omnes omnino virtutes se se diffundat & in easdem influat. In his enim pietas & justitia universalis inter se conveniunt: aut modo, quo per virtutes singulas diffunduntur & in easdem influunt, a se invicem differunt. Notionem justitiæ universalis explicavimus, cum *Ulpiani* definitionem justitiæ interpretaremur (s). Est nempe habitus actiones suas, quæ ex virtute quæcunque proficiscuntur, referre ad commune civitatis bonum singulorumque salutem. Dedimus exemplum justitiæ per temperantiam exercitiæ. Temperans se justum præbet erga civitatem, quatenus opus suas profundere non vult, ut oneribus Reip. pro parte sua ferendis par sit. Idem se justum probat erga alios, quatenus suo exemplo docet alios, quomodo temperanter sit vivendum, & ad temperantiam colendam invitat. Injustus e contrario est intemperans erga Remp. si opes suas vix partas iterum dilapidat, ne habeat, quæ contribuere possit,

(s) Hor. subsec. A. 1729 Trimestr. Vern. Num. II. §. 7. p. 247 & seqq.

possit, ubi civibus onera imponenda sunt. Idem injustus est erga alios, quando suo exemplo ad intemperantiam alios seducit. Immo omnis intemperans injustus est erga Remp. quatenus justitiam universalem non colit, neque adeo civitati justum se probat. Ex his intelligitur, quod justitia universalis eximia prorsus virtus sit, quæ a paucis possidetur, quodque difficulter acquiratur: id quod suo tempore in philosophia morali clarius ostendemus. Quoniam itaque in anterioribus evicimus (§. 8), ex omni virtute percipi voluptatem; idem quoque de justitia universali intelligendum, & si cui volupe fuerit, eodem prorsus modo de ipsa in specie ostendi potest, quo idem de virtute in genere demonstravimus. Cumque alibi (t) ostenderimus, cur difficilia majorem excitent voluptatem, ubi ea nobis acquisivimus, quam facilia; idem ad justitiam quoque universalem transferri debet. Nova præterea hæc voluptas incrementa capit, ubi ex habitu justitiæ universalis agentes actiones nostras

(t) Hor. subf. A. 1729 Trim. Æt. IV. Num. I. §. 11 p. 205.

stras ad similes aliorum referimus, qui virtute illa destituuntur. Duplex nempe incrementum est, quod inde eidem superaccedit. Gaudemus enim de bono egregio nobis præsente, quo alios carere videmus, dum discrimen inter actiones externa specie easdem internis accedentibus plurimum a se invicem differre deprehendimus. Majorem quoque ex ipsis actionibus voluptatem capimus, quatenus earum perfectionem facta collatione rectius sentimus. Patet autem cum justitia universali jungi etiam posse pietatem, de qua paulo ante disseruimus, & cum pietas eodem prorsus modo in justitiam universalem influat, quo in virtutes ceteras influit, ad eam quoque applicari & possunt, & debent, quæ de voluptate ex pietate in ceteras virtutes influente dicta sunt. Porro autem notandum est, nobis hic non esse negotium cum pietate, quatenus una cum justitia universali in ceteras virtutes influit, sed quatenus eadem in ipsam justitiam universalem influit, ita ut motivis ab attributis divinis desumptis utamur ad actiones nostras singulas ad commune civitatis bonum & felicitate-

citatem singulorum nobiscum in eadem societate viventium referendas. Pii nimirum sumus, quatenus justus sumus, seu in justitia universali nos pios probamus, quatenus per actiones nostras commune civitatis bonum & felicitatem singulorum intendimus, ut hoc quoque pacto gloria Numinis a nobis illustretur. Quod si ergo pietas in justitiam universalem & præterea in singulas virtutes influit, eadem actio duplici modo tendit ad gloriam Dei, tum quatenus justa est, tum quatenus bona. Justitiæ igitur universali tribuendum, quod homo eadem actione gloriam Numinis duplici modo illustret. Utinam de his cogitarent omnes, qui aliorum moribus formandis præsumunt! Nullus enim dubito fore, ut virtutem pluribus perluaderent, qui nunc alienum ab ea animum habent, pulchritudine ejus nondum perspecta. Nullum quoque dubium est fore, ut virtutis exercitium facilius evadat, si pietas & justitia universalis in omnes omnino virtutes & singulas ex singulis profluentes actiones, tum illa etiam in hanc influat. Quamobrem cum gaudeamus, quo-

(*Hor. subs. 1730.*) F ties

ties facile a nobis fieri posse observamus, quod perdifficile antea fuerat; novam habebimus materiam gaudendi, ubi exercitium virtutis facile experiemur.

Quinam voluptatis ex virtute percipiende sunt paratissimi.

§. 17. Si quis ea, quæ de virtute in genere dicta sunt, ad singulas ejus species transferre voluerit, is abunde percipiet, non modo in singulis eam voluptatem habere locum, de qua hæcenus locuti sumus; verum etiam unamquamque peculiaris sibi habere voluptatum genera ab eo detegenda, qui distinctis virtutum notionibus instructus ad eandem trutinam singulas expendit, qua nos in antecedentibus usi sumus. Sed cum in volumen excresceret tractatio, a præfenti loco ea utique aliena. Ceterum cum voluptate nemo fruatur, nisi qui rei, ex qua percipitur, perfectionem intuetur; in virtutibus contemplandis plurimum temporis consumere debet, qui illius felicitatis compos fieri gestit. Habent igitur abunde, quod agant, qui temporis fallendi gratia vanas & nocuas voluptates quærunt. Utinam igitur tandem saperent mortales nec voluptates spurias genuinis, quæ hominem decent, præfer-

ferrent! Quemadmodum enim homo tum demum naturæ suæ convenienter vivit, ubi actiones suas, quæ in potestate sunt, in universum omnes juxta legem naturæ tanquam normam componit, consequenter ex virtute agit; ita etiam tum demum ea fruitur voluptate, quæ naturæ hominis ratione præditi convenit, si ea non ex alio fonte quam virtute oriatur. Instinctus ille naturalis, quo homo quærit voluptatem, rationis usu in eam flecti debet, quæ ex virtute proficiscitur, ut potiamur felicitate, quæ in hominem cadit, nec nos in miseriam præcipites demus, dum nos felices existimamus. Atque hic potissimum finis est, quam nostra de voluptate ex virtute & cognitione veritatis percipiendæ tractatione intendimus, ut palam faciamus esse aliud voluptatis genus, quam quod ex sensu percipitur, & stolidis opinionibus debetur, quod & innocuum est, & constans, & perenne, quodque solum hominem vere felicem reddit. Enimvero cum hic multæ sint christianæ virtutis partes, de voluptate singulari, quæ ex eadem percipitur, ex instituto

dicemus. Nunc enim filum abrumpe-
re jubemur.

II.

*De Jurisprudencia civili in for-
mam demonstrativam redigenda.*

§. I.

*Occasio
scribendi
& Insti-
tutum
Auctoris.*

Postquam (u) methodum exposui,
qua philosophiam tractandam esse
arbitror, atque ostendi, methodi illius
eadem prorsus esse regulas, quam me-
thodi mathematicæ, & eandem utique
ubivis adhiberi posse ac debere, ubi cer-
ta rerum cognitio desideratur; immo
ipso etiam opere docui (x), ea utili-
ter philosophiam tractari; non unus
ex me quæsit, utrum etiam Jurispru-
dencia civilis eadem methodo pertra-
ctari possit, & quid inprimis desidere-
tur, ut in formam demonstrativam re-
digatur. Consultum igitur duxi meam
ea de re sententiam publice exponere,
ut satisfaciam simul illis, qui in poste-
rum eam forsan rogaturi essent, & ne
eadem pluribus scribi necesse sit. De
Ju-

(u) In Discursu præliminari de Philoso-
phia c. 4. (x) in Logica & Ontologia.
Addatur Cosmologia, quæ nunc prodit.

Jurisprudencia naturali, quæ philosophiæ pars est, etsi ad Facultatem Juridicam pluribus in locis hodie referri so-
leat, nec absque ratione referri possit, præsertim cum divisio Facultatum non satis firmo nitatur fundamento, idem palam esse existimo, & si quis ea de re dubitet, fidem oculatam ipsimet dabi-
mus, absolutis Metaphysicæ partibus Systema Juris Naturæ & Gentium hæc methodo adornaturi. Etsi enim hæc-
tenus nemo fuerit, qui in jure naturæ ac Gentium tradendo methodi demon-
stratiuæ leges custodiverit; non tamen inde colligi potest, quod jus istud talem methodum respuat, cum Autores, qui in eo excolendo desudarunt, de metho-
di demonstratiuæ legibus parum fue-
rint solliciti. Omnis ergo quæstio huc redit, utrum Jus civile in formam demon-
stratiuam redigi possit, nec ne. Hæc autem quæstio non uno sensu accipi potest, nec inconsultum est, ut ad eandem in omni sensu respondeamus. Quando nimirum quæritur num jus civile in formam demonstratiuam redigi possit, quæstio primum ita accipi potest, ac si quæretur in genere, utrum jus

quoddam civile condi possit, nec ne, quod methodo demonstrativa proponi & in systema veri nominis redigiqueat, quale nuper delineavimus (y). Deinde sumi potest, quod quærat, num Jus civile Romanum quale in Institutionibus, Pandectis, Codice ac Novellis continetur, in istiusmodi Systema compingi possit, & num leges Romanas ita ordinare liceat, ut ex anterioribus demonstrantur sequentes in subsidium vocatis quibusdam principiis, quemadmodum *Euclides* in *Elementis* in subsidium vocat principia quædam ontologica; quibus notiones communes respondent, prouti a me in opere ontologico seu prima philosophia fuit ostensum. Denique quæstio ita intelligitur, ac si quærat, num Institutiones vel Pandectæ retento titulorum ordine ad formam demonstrativam reduci possint.

Qualis sit forma demonstrativa, de qua hic quaeritur.

§. 2. Ut igitur ad quæstiones singulas reponere liceat, quid mihi videatur, utque sententiæ meæ rationem reddere valeam; qualis sit forma ista demonstrativa

(y) In Hor, subl. A. 1729. Trim. brum. N. III. §. 3. p. 109 & seqq.

strativa, de qua hic loquimur, ante exponendum esse mihi videtur. Etsi enim ex opere Logico hauriri possint regulae, quae huc faciunt, nec inutilis sit opera, quae discursui praeliminari de philosophia operi Logico Latino praemisso legendo impenditur; molestum tamen videtur lectorem illuc remittere, cum multo laboris compendio hic doceri possit, quae de forma ista ipsi tenenda sunt. Ad formam demonstrativam requiruntur definitiones exactae, principia aliunde assumpta, quae illis juncta propositionibus demonstrandis sufficiunt, propositiones determinatae, ordo definitionum ac propositionum secundum mutuam earundem a se invicem dependentiam & demonstrationes exactae. Definitiones exactae sunt, quae eas continent rerum definiendarum determinationes, unde cetera iisdem convenientia demonstrari possunt. Tales sane sunt definitiones Mathematicorum; tales quoque sunt definitiones philosophicae. Immo necesse est definitiones istiusmodi in Systemate conditi propterea quod vi earundem res, de quibus agitur, ad sua genera suasque

species reducuntur, & singulis generibus ac speciebus singulis sua prædicata tam absoluta, hoc est, vi solius definitionis adeoque semper ac necessario competentia, tum hypothetica & conditionata, hoc est, ad determinationes constantes, quæ definitiones ingrediuntur, extrinsecus accedentibus aliis, quæ rei non semper adsunt, rei convenientia assignentur. Etenim ideo disciplinæ in formam demonstrativam rediguntur, ut certa veritatum in casibus obviis sit applicatio: quod ubi fieri debet, ope definitionum dijudicari debent res obviæ, ut ad id genus vel istam speciem redigantur, cujus prædicata nobis ex disciplinis innotuere (z). Definitiones in disciplinis sunt prima principia, in quæ demonstrationes propositionum resolvuntur: solæ tamen non sufficiunt ad eas contexendas. Præter eas igitur assumenda sunt principia alia, quæ ex disciplinis aliis mutuuntur, vel etiam notionibus communibus respondent. Ipsæ autem demonstrationes contexendæ, quæ ea conquirendi necessitatem imponunt, numerum eorum determinant: neque

(z) Vid. Log. part. 2. sect. 5. c. 3.

neque enim pluribus habemus opus, quam quæ iisdem sufficiunt. Quamdiu igitur demonstrationes non contexuntur, nec dijudicari potest, quotnam & quibusnam istiusmodi principiis habeas opus. In illis etiam principiis sunt, quæ de rebus, quibus convenientia prædicata vindicanda sunt, demonstrationum subsidio, absque probatione conceduntur & axiomatum nomine compellantur. Propositiones singulæ determinatæ esse debent, ut in notione subjecti ratio contineatur, cur prædicatum eidem sit tribuendum: ita enim ex notione subjecti judicari potest, num rei in dato casu obviæ tribuendum sit prædicatum. Atque ex hoc ipso intelligitur, quam necessariæ sint propositiones determinatæ; tum ut demonstrari possint, tum ut applicari queant. Definitiones hoc ordine collocandæ sunt, ut termini per antecedentes definiti ingrediantur sequentes: neque enim admittendi sunt termini, qui non fuerunt definiti, nisi vel ex aliis disciplinis tanquam ibidem definiti supponantur, vel iisdem notiones claræ quidem, sed confusæ respondeant, quibus quando contenti esse possimus ex

Logica nostra Latina discere licet. Non opus tamen ideo est, ut definitiones omnes continua serie præmittantur: id quod discentibus valde molestum accidit, ubi plures fuerint, & eorum memoriam nimis defatigat. Sufficit ut termini, qui definitionem quocunque loco positam ingrediuntur, nec indefiniti assumi possunt, in antecedentibus fuerint definiti, quocunque tandem loco id factum fuerit. Mirifice lectorem in disciplina aliqua adhuc hospitem juvat, si singulæ definitiones conveniente loco reponantur & propositionibus demonstrativis interponantur, quoniam sic successive memoriæ infiguntur & in demonstrationibus tanquam principia adhibitæ familiares redduntur. Morem hunc secuti sumus & sequimur in operibus nostris philosophicis: neque enim ita imitamur *Euclidem* & alios methodi artifices, ut eorum vestigia presso pede sequamur, ubi cum ratione ab iisdem recedere licet, immo, si sapimus, recedendum. Principia, quæ aliunde sumuntur, nisi ex disciplinis præsupponi possint anterioribus, & illa imprimis, quæ axiomatum loco habentur, eo simili-

milititer loco collocari debent, ubi prima vice iisdem tanquam principiis in demonstranda propositione aliqua utimur. Ratio eadem, quam modo de definitionibus dedimus. Etenim quæ non demonstrantur propositiones, perinde ac definitiones sola memoriæ vi retinentur, adeoque coacervatæ eandem fatigant. Quodsi vero eam immediate præcedant propositionem, cujus demonstrationem tanquam principium prima vice ingrediuntur; eodem prorsus quo ante modo beneficio applicationis memoriæ feliciter infinguntur & per repetitam applicationem familiares evadunt: quod quia in singulis successive accidit, nihil difficultatis in principiis retinendis experiri datur. Propositiones, quæ demonstrantur, eo ordine se invicem excipere debent, quo præcedentes tanquam principia ingrediuntur demonstrationem sequentium. Ipso igitur opere discimus in casu dato, quænam propositiones aliis præmitti debeant. Formam denique, quam demonstrationes genuinæ sive directæ, sive indirectæ habere debent, alibi (a) adeo vivis

cola,

(a) §. 51 & seqq. Log.

coloribus depinximus, ut eam nemo non agnoscere teneatur, modo principia logica non ignoret. Constant demonstrationes continua syllogismorum concatenatione. Minores primæ sunt determinationes notionem subjecti ingredients, ceteræ sequentes vel conclusiones anteriores, vel propositiones ex pluribus conclusionibus anterioribus simul sumtis erutz. Hoc ipso enim fit syllogismorum concatenatio. Majores autem in illo syllogismo sunt definitiones, principia aliunde assumta, axiomata & propositiones anteriores. Ecce tibi demonstrativam formam, in quam mentis aciem intendere debet, qui vel disciplinam aliquam, vel quandam ejus partem, aut quamcunque materiam particularem demonstrativa methodo proponere voluerit. Quod si quis ab ea recedit, is tanto minus methodo demonstrativa usus dici potest, quo longius ab ea recedit. Nemo miretur nos tanta confidentia loqui: neque enim loquimur nisi de iis, quæ nobis certa sunt atque explorata. Extra controversiam positum est, Geometras præsertim veteres, *Euclidem, Archimedem,*
Apol-

Apollonium, Theodosium, methodi demonstrativæ leges accuratissime observasse. Si qui recentiorum *Rami* vestigia secuti *Euclidem* in nonnullis reprehenderunt; illi censuram virorum summorum *Newtoni, Hugonii, Leibnitii* promeruerunt. Nec opus est, ut *Euclidem* quis defendat post *Barrovium*, qui in Lectionibus, quas vocat, Mathematicis nihil eorum præter misit, quæ ad retundendam sciolorum ignorantiam proficua sunt. Neque vero opus est, ut solis autoritatibus pugnemus: etenim in opere nostro logico abunde demonstravimus hanc esse demonstrativam formam non aliam, ut, si quis aliam præ tali venditet, is eam adhuc ignorare censendus sit. Quod si ergo quæsieris, utrum Jus civile ad formam demonstrativam reduci possit, nec ne; de hac, non alia forma quæstio intelligitur, cum tam augustum nomen prostituatur, si diversa ab hac forma demonstrativa appelletur. Et si quis fuerit, qui quæstionem alio sensu movet; cum eo nobis nullum erit negotium. Neque enim alio fine Jus civile ad formam demonstrativam reduci optamus, quam ut certum ac utile

utile evadat. Omnis autem certitudo & utilitatis, quod desideratur, complementum ab hac methodo expectandum. Videamus igitur, quid hoc sensu respondendum sit ad quæstionem triplicem de jure civili in formam demonstrativam redigendo.

Utrum aliquod jus civile methodo demonstrativa condici possit.

§. 3. Quod si ergo quæsieris, utrum fieri possit nec ne, ut Jus aliquod civile methodo demonstrativa condatur; ad quæstionem affirmative respondendum esse existimamus. Docuimus in Politicis integro capite, quod & quomodo jus civile ex jure naturali efficiatur, ac nos ea in re consentientem habere *Ulpianum* (b) nuper probavimus. Idem in opere politico majore idiomate Latino edendo uberius exposituri sumus. Supponimus itaque in præsentia, Jus civile ex jure naturali effici & dari regulas, juxta quas illud ex hoc efficiendum, si quidem nil fieri debeat, quod jure reprehendi queat. Enimvero monuimus jam supra (§. 1). Jurisprudentiam naturalem demonstrativa methodo tradi posse, ut scilicet condantur definitiones exactiæ ac fecundæ, ut propositiones
fiant

(b) in Horis A. 1729 n. II. §. 24 p. 95.

fiant determinatæ, ut demonstrationes fervent formam a nobis in Logica præscriptam & ut singula collocentur eo ordine, quo unum per alia intelligi ac demonstrari potest, promissimusque nos suo ordine tale jus daturum. Præterea regulæ, juxta quas Jus civile ex naturali efficitur, non minus demonstrari possunt, quam leges naturales, & dabimus demonstrationes in opere politico, cujus modo mentionem injecimus. Dantur adeo principia, per quæ demonstrari potest, leges civiles esse genuinas, nec in iis efficiendis aberratum esse a veritate. Quantum nempe leges civiles cum naturalibus consentiunt, eodem modo quo naturales demonstrantur: cum enim materialiter eadem sint, nec diversa est demonstratio. Quare quoties lex civilis cum naturali coincidit, toties demonstratio ex Jurisprudencia naturali, siquidem demonstrativam formam jam nacta fuerit, in civilem habitu demonstrativo induendam transferri potest. Dico demonstrationem ex Jurisprudencia naturali in civilem transferri posse: neque enim ignoro fieri posse, ut eadem lex aliter demonstretur in

Ju-

Jurisprudencia naturali, aliter in civili, cum in civili ex fine civitatis ac pendentibus inde principiis, quæ in Politica evolvuntur, demonstrari queant, quæ in Jure naturali aliunde deducuntur. Quando autem jus civile ex naturali efficitur, id imprimis curandum, quod in casu simili Imperator *Justinianus*(x) injunxit *Triboniano*, viro eminentissimo, Quæstori sacri palatii, ut sit una concordia, una consequentia. Quod si hoc obtinet, leges aliæ ex aliis ita consequuntur, ut aliæ ex aliis demonstrari possint. Puto igitur manifestum esse, quod minime repugnet tale condi Jus civile, quod in formam demonstrativam redigi possit. Enimvero ex dictis fluit, quod porro responderi debet ulterius quærenti, quinam Jus civile demonstrativum condere possit ac palam facere valeat, quod jubet Imperator, unam esse concordiam, unam consequentiam, nec ullam in omnibus illius membris antinomiam aliquem sibi vindicare locum. Etenim aut præsupponitur dari Jurisprudenciam naturalem demonstrativam & ex legibus naturalibus in eadem demon-

(c) l. 1. §. 8. C. de Veteri jure enucleando.

demonstratis effici jus civile, aut leges civiles ex fine civitatis ac pendentibus inde principiis immediate deducuntur, aut leges jam alibi prostantes ad Remp. quandam datam aptantur. In omni casu, qui jus civile demonstrativum molitur, non modo formam demonstrativam ante (§. 2) delineatam animo probe comprehensam tenere ; verum etiam habitu veritates sibi perspectas ad eam redigendi pollere debet. Quod si enim quis formam ignoret, ne judicare quidem poterit, num talem habeant quæ pro demonstrativis venditantur, nedum eadem jus civile induere valebit. Quod si quidem formam cognitam atque perspectam habuerit, habitu autem condendi definitiones fecundas, propositiones determinatas & demonstrationes veri nominis caruerit: is equidem minus recte ab aliis facta reprehendere poterit, attamen ea emendare ac illis meliora dare non valebit. Si vero jam supponamus, leges civiles fieri debere ex naturalibus; qui tale quid molitur, ei Jurisprudentia naturalis demonstrativa præsto sit necesse est: animum præterea imbutum habeat regulis politicis, qui-

(*Hor. (subf. 1730.)*) G bus

bus præcipitur, quid juri naturali addendum, quid detrahendum sit, ut prodeat jus civile. Quamdiu enim ea quis ignorat, oleum atq; operam perdit, ubi in jure civili demonstrativo ex naturali efficiendo industriam suam fatigat. Quod si quis leges civiles ex fine civitatis ac dependentibus inde principiis immediate deducere velit, is & prudentia civili, & arte inveniendi apprime instructus esse debet. Quod si deniq; leges civiles peregrinas ad Remp. quandam aptare velit. Jurisprudentiam civilem demonstrativam daturus; is non modo eas intelligere, verum etiam ad propositiones determinatas revocare & demonstrare tenetur, antequam judicare possit, num statui Reip. convertiant, ad quam eas aptare decrevit. Sed casus iste deinceps recurret, quando de jure Romano in formam demonstrativam redigendo dicturi sumus sententiam nostram.

Quod Iustinianus voluerit Ius Romanum fieri demonstrativum.

§. 4. Cum jam constet, minime repugnare ut Jus quoddam civile demonstrativum condatur, & via pateat, qua ad idem pervenitur; dispiciendum jam porro erit, num Jus civile Romanum, quale in Corpore Juris civilis continetur,

tur, in formam demonstrativam redigi possit. *Justinianus* voluit in compilando Jure Romano evitari omnes antinomias & unam esse debere concordiam, unam consequentiam (§. 3). Quod si sumamus, tale illud esse, quale voluit Imperator; quin in formam demonstrativam redigi possit, dubitandum non est. Si enim nullæ dantur in isto jure antinomiz, sed una sit concordia; quod leges singulæ sint veritati consentaneæ haud obscure colligitur. Nonnullarum enim legum manifesta est æquitas, quam in dubium revocare nemo valet, immo nonnullarum immutabilis est necessitas, quod earum oppositum sit manifestæ iniquitatis. Leges igitur istæ vel cum jure naturali coincidunt, vel ex eodem juxta regulas verioris Politicæ effectæ sunt. Has demonstrari posse legitime, ex iis intelligitur, quæ ad quæstionem primam (§. præced.) respondimus. Enimvero si voluntati justissimi Principis satisfactum, nulla inter leges antinomia est, sed una potius concordia. Quare cum error veritati concors non sit; qui hoc ipso deprehenditur, quod illi contradicat; legum in u-

niversum omnium una est eademque veritas. Ceteræ itaque omnes vel similiter cum legibus naturalibus eadem sunt, vel ex legibus naturalibus legitimo modo effectæ. Quare omnes omnino legitime demonstrari possunt. Et cum porro legum omnium, si quidem voluntati Imperatoris respondeant, una sit consequentia; necesse est ut aliæ ex aliis, omnes autem ex iisdem principiis derivari possint. Quare in eum ordinem redigi possunt, quo primo loco comparentes ex principiis quibusdam assumtis, ceteræ autem ex legibus anterioribus demonstrari possunt. Voluit igitur Imperator justitiæ amantissimus, ut Jus Romanum tale esset, quod in formam demonstrativam redigi possit. Et si quis judicare voluerit, num voluntati tam augustæ in compilando hoc jure fuerit satisfactum; is idem in formam demonstrativam ut redigat, operam dare debet. Quodsi enim conatui respondeat eventus, hoc ipso constabit, voluntati tanti Principis a Collectoribus fuisse satisfactum. Quodsi vero jus Romanum tale non fuerit, quale esse voluit *Justinianus* & inquisitionem

aggressus methodi artifex fuerit: is utique leges notabit a ceteris dissidentes & rationem, cur cum ceteris in concordiam reduci minime possint, aperiet. Alio pacto quomodo quis certus fieri possit, ut confidenter asseveret, nullam in toto Jure Romano dari antinomiam, sed unam esse concordiam, unam consequentiam, non video. *Euclides* elementa Matheseos methodo demonstrativa digessit. Quamobrem qui ea mente attenta legit lectaque intellexit; is profecto asseverare potest, ipsa rei evidentia adductus, nullam esse in iisdem contradictionem, sed quæ a Geometra traduntur inter se concordare & aliud ex alio sequi. Enimvero *Aristoteles*, quæ de philosophia commentatus est, ordine demonstrativo non digessit. Quare cum *Averroës* (d) asserit, *Aristotelis* doctrinam esse summam veritatem, quoniam ejus intellectus fuerit finis intellectus humani; cæco in philosophum amore pronunciat, quod nec demonstrare poterat, nec cujus adeo convictus erat.

G 3

S. 5.

(d) lib. 1. destruct. disp. 2.

An Jus
Roma-
num in
formam
demon-
strati-
vam re-
digi pos-
sit.

§. 5. Quoniam nostrum non est ju-
dicare de rebus per transennam inspe-
ctis; utrum Jus civile Romanum in
formam demonstrativam redigi possit,
nec ne, inquisituri, non aliam viam in-
gressi sumus, quam ut leges Romanas
examinaremus num formam demon-
strativam admittant, an eidem adver-
sentur. Methodum, qua usus sum, mox
distincte expositurus, ut eadem uti pos-
sit, qui Juris civilis Romani systema de-
monstrativum condere voluerit, de suc-
cessu securus, modo non desint vires ad
tam arduum negotium requisitæ. Di-
cam igitur, quale deprehenderim, &
quæ sufficere poterunt ad formam de-
monstrativam paulo ante delineatam
(§. 2), respicienti ut appareat, si Jus
civile Romanum in systema demonstra-
tivum redacturus scopo suo excidat, id
non Juris, sed conditoris systematis vi-
tio fieri. Definitiones exascitatas, qua-
les requirit forma demonstrativa, in Ju-
re Romano non reperi: tales tamen of-
fendi, quæ exasciari possunt, vel quate-
nus confusa iis respondens notio distin-
cta redditur, vel quatenus simul deter-
minationes ex legibus inde demonstnan-
dis

dis eruuntur, quæ adjiciendæ sunt, antequam fœcundas dicere licet. Exempla casus prioris dedimus anno superiori, cum notiones Juris naturæ, Gentium, & civilis (e), itemque justitiæ (f) ex mente *Ulpiani & Gaii* interpretaremur. Exemplum casus posterioris dabimus proxime (g). De utroque quæ tenenda sint, mox uberius exponemus. Dari principia generalia, quæ assumenda sunt, antequam leges demonstrari possint, in rationes legum inquirens didici, nec sine voluptate conspexi, in eorum numero esse, quæ in philosophia demonstravi & tanquam regulas efficiendi jus civile ex naturali in Politica commendavi. Prioris generis est, quod sublata ratione tollatur etiam id, quod propter eam potius est, quam non est, & posita eadem ratione poni in alio casu, quod per eandem in aliquo ponebatur. Posterioris generis est, quod caveri summopere debeat, ne in Rep. lites civium multiplicentur. Reperi etiam leges quasdam respicere formam ac statum Reip. Romanæ, veluti quod Resp. fuerit democra-

G 4

tica

(e) Trim. brum. N. I. (f) Trim. Vern. N. II. (g) Trim. Vern. A. præf. N. II.

rica & populus Romanus in quinque tribus fuerit divisus: quæ cum sint facti, observationibus in Mathesi mixta, imprimis Astronomia, respondent, atque adeo inter principia peculiarem quandam classem constituunt. Leges ad propositiones determinatas revocari posse, quantum sufficit ad applicationem, extra omnem dubitationis aleam positum est: deprehendi autem eas ad propositiones determinatas, si paucas quasdam exceperis, istiusmodi revocari posse, ut ex notione subjecti demonstrari possit prædicatum convenire suo subjecto, modo principia, unde derivantur demonstrationes, rite posita fuerint. Quod si vero civile quid admittas in iis casibus, ubi legis naturalis tenor latet; illas quoque, quas excipiendas judico, ad formam tandem facile reduxeris. Præmissis definitionibus & assumptis principiis convenientibus demonstrationes legitimæ formæ fieri posse tum ex dictis colligitur, tum ipso opere expertus sum. Nihil igitur dubii superest, fore ut Jus Romanum ad formam demonstrativam redigatur, si quis ad hunc laborem accesserit, qui juris naturalis &

Po-

Politicae notitia fuerit instructus, nec methodi demonstrativae leges tantummodo cognitae atque perspectae habuerit, verum etiam dextre applicare didicerit. Ceterum ex his ipsis requisitis intelligitur, non adeo facile esse, ut jus Romanum ad formam demonstrativam redigatur, nec brevi temporis spatio illam habilitatem acquiri posse ut mirum videri non debeat, si quorundam conatus eluserit eventus.

§. 6. Enimvero exponendum nunc *juris in* erit paulo distinctius quid fieri debeat, si *proposi-* quis Jus civile Romanum in formam de- *tiones* monstrativam redigere velit. Primum *resolutio* itaque requiritur, ut singuli juris tituli in *rationum* propositiones determinatas redigantur, *inquisi-* & in rationem inquiratur, cur praedictum *tio.* tribuendum sit suo subjecto. Cur ab hac parte incipiendum sit, haud difficulter ostenditur. Etenim si jus civile in formam demonstrativam redigendum, definitiones fecundae & demonstrationes propositionum condendae sunt. Patebit autem ex mox dicendis, quod neutrum fieri possit, antequam propositiones determinatae prostent, ut constet, quid demonstrandum sit &

G 5 qua-

quarum per definitiones demonstrari debeant. Equidem fieri potest, ut propositiones non rite determinantur, antequam constet, quomodo demonstrari debeant; sed cum tantummodo desiderentur determinationes ex ipsis legibus deducendæ, in subsidium vocatis casibus, quibus leges applicantur, non vero necesse sit, ut, quemadmodum in jure naturali obtinet, per determinationes subjecti prædicatum necessario determinetur; non multus metuendus est error &, si quis admittitur, in ipso progressu facile corrigitur. Plurimum autem adjumenti hic præstat jus naturæ in formam demonstrativam redactum, in quo propositiones determinatæ naturaliter de iisdem casibus jam reperiuntur, ut non alio labore opus sit, quam ut determinationibus naturalibus substituantur civiles, si quidem differentia aliqua inter utrasque intercedit. Si quis in propositionibus determinatis concinnandis versatus fuerit, is non facile a veritate aberrabit, ubi jus in tales resolvere conatur, quales per leges esse debent. Porro necessarium est, ut initio laboris in rationem legum statim inquiras, quoniam

nam

quoniam inde non solum patet, quoniam leges a se invicem pendeant & quoniam ex definitionibus fluant; verum etiam quoniam principia in usum demonstrationum assumenda sint. Rationem non sumo alio in significato, quam quem eidem tribuo in philosophia prima (h), ut scilicet per eam intelligatur id, unde innotescit cur prædicatū tribuatur subjecto. Notionem subjecti in propositionibus determinatis constituit casus, in quo lex pronunciat, quid justum censei debeat; prædicati autem vicem tuetur id, quod lex justum in illo casu pronunciat. E. gr. in Institutionibus (i) legitur; *Examen, quod ex alveo tuo evolaverit, eousque intelligitur esse tuum, donec in conspectu tuo est, nec difficilis persecutio ejus est.* Verba hæc in sequentem propositionem resolvuntur, ubi determinatam desideraveris: *Si examen apum ex alveo tuo evolaverit & adhuc in conspectu tuo sit, nec ejus persecutio difficilis sit; tuum est: si vero conspectui tuo se subduxerit, vel persecutio ejus difficilis sit, tuum amplius non est, sed nullius.* Casus, in quo de-

cidi-

(h) §. 76 Ontol. (i) de rerum divis. &c. §. 14

ciditur, quod justum sit, constituitur per
 tres determinationes, sc. quod examen
 apum ex alveo domini evolaverit, quod
 adhuc sit in conspectu domini & quod
 dominus ipsum persequi possit haud
 difficulter. Tres istæ determinationes
 notionem subjecti constituunt, de quo
 lex pronunciat: est nimirum subjectum
 hujus legis examen apum ex alveo do-
 mini evolans, in conspectu ipsius ma-
 nens nec persecutionem difficilem red-
 dens. Prædicatum vero est, quod exa-
 men istud maneat domini, seu quod in
 isto casu dominium non amittat domi-
 nus, sed demum in opposito. Quod si
 ergo quæsieris, quænam sit legis hujus
 ratio; doceri desideras, cur dominium
 non amittatur, quamdiu examen apum,
 quod ex alveo tuo evolavit, conspectui
 tuo se non subduxit & ipsum adhuc abs-
 que difficultate persequi poteris. Ra-
 tionem igitur is dedisse censendus est,
 qui te docet id, per quod intelligis, cur
 dominium non amittas in isto casu,
 quod tamen omittis in contrario. Obi-
 ter monemus, determinationem ter-
 tiam de difficultate persecutionis tam-
 diu esse vagam, quamdiu non distincte
 ex-

explicetur, in quonam difficultas persecutionis consistat, ita ut in casu dato ostendi possit, persecutionem non esse difficilem. Quamobrem defectus hic emendari debet ab eo, qui jus in formam demonstrativam redacturus est. Quomodo enim demonstrabit difficultatem persecutionis dominum privare dominio, ubi distincta difficultatis hujus notione destituitur, cum eadem definitionem absolvat, quæ in principiorum numerum referenda venit. Opus igitur est, ut definitio sententiæ legis conformis condatur, vel determinationes, quæ eam ingredi debebant, in ipsa propositione verbis vagis substituantur. Antequam vero doceri possit, quomodo ratio legum inquiratur; explicandum videtur, quotuplex fit legum ratio, neque enim una est, propterea quod leges positivæ ab arbitrio legislatoris pendeant, qui nec intrinsecas semper perspicit, nec ab iis solis, verum sæpissime ab extrinsecis pendulam voluntatem habet. Triplicem igitur admittere debemus rationem, moralem scilicet, politicam & historicam. *Ratio historica* est id, quod permovet legislato-

rem,

rem, cur talem potius dederit legem quam aliam. *Rationes morales* sunt, quæ ab æquitate petuntur, adeoque intrinsecæ sunt, ex notione subjecti prædicatum determinantes. *Politice* denique sunt, quæ a statu Reip. delumuntur sive in genere, sive in specie a Reip. Romanæ forma atque statu. *Rationes historice* ex historia arcessendæ ac sæpissime occultæ sunt, ut eas frustra rimari conemur. Et de his accipio verba *Juliani* (k): *Non omnium, quæ a majoribus constituta sunt, ratio reddi potest.* De iisdem etiam inculcandum esse iudico, quod præcipitur ipsa lege (l): *Rationes eorum, quæ constituuntur, inquire non oportet; alioquin multa ex his, quæ certa sunt, subvertentur.* Neque enim habemus historiam Romanam adeo specialem, ut ex eadem doceri possit, quænam occasionem legi dederint & a legislatore tanquam finis intendantur. Immo si quædam constituuntur, veræ rationes non semper aperiantur, sed prætextu utuntur legislatores. Accidit vero haud raro ut leges, quarum rationes finales fuerunt

(k) l. 20 ff. de Leg. (l) l. 21 ff. eod. tit.

spurizæ ac minus probandæ, ex morali-
bus tamen ac politicis rationibus sint
tolerandæ, immo approbandæ. Atque
in hoc casu imprimis multa ex his, quæ
certa sunt, subverterentur. Rationes
morales ex Jure naturali desumuntur,
ut adeo pateat necessitas studii juris na-
turalis vel hoc nomine, ubi rationes le-
gum scrutari & jus civile in formam de-
monstrativam redigere volueris. Ra-
tiones politicæ generales ex philosophia
civili; speciales ex Antiquitatibus Ro-
manis derivantur. Morales & politi-
cæ sæpius conjungendæ, propterea quod
ex legibus naturalibus efficiuntur civi-
les, cum aliquid iisdem additur, vel de-
trahitur, atque ita constituunt *Rationes*
mixtas, quæ ex moralibus & politicis
componuntur. Rationes istas inqui-
rendas esse nec earum inquisitionem le-
ge vetari, nemo in dubium vocabit,
qui attenta mente legum voluntatem
scrutatur. Quando enim (m) *Mode-*
stinus auctor est, *nullam juris rationem*
aut equitatis benignitatem pati, ut quæ
salubriter pro utilitate hominum intro-
ducuntur, ea nos duriore interpretatione
contra

(m.) li 25 ff. de Leg.

*contra ipsorum commodum producimus ad severitatem; rationes morales & politicas in legum applicatione attendi jubet. Unde enim judicari potest, interpretationem legum esse duriores & eas contra hominum comòdum ad severitatem produci? Non aliunde profecto, quam ex rationibus moralibus atque politicis. Morales enim docent, quodnam commodum hominum lex respiciat & quomodo salubriter pro utilitate eorum introducta fuerit; politicae autem palam faciunt, cur a jure naturali lex recedat, consequenter ob illas in dato casu speciali, ad quem legislator non respexit, dum ex naturali civilem effecit, non sit recedendum. Similiter cum *Paulus* (n) vetat ad consequentias produci, quod contra rationem juris receptum est, & *Ulpianus* (o) jubet, quoties lege aliquid, unum vel alterum introductum est, cetera, quae tendunt ad eandem utilitatem vel interpretatione, vel jurisdictione suppleri; eo ipso uterque præcipit juris scrutandas esse rationes morales atque politicas, cum iis ignoratis vitare nequeas, quod prohibere,*

nec

(n) l. 24 ff. tit. cod. (o) l. 13, tit. cod.

nec facere possis, quod injungitur. Videmus etiam in ipsis legibus provocari tum ad rationes morales, tum ad politicas non minus generales, quam speciales. Sane in acquirendo dominio ferarum, volucrum & piscium Imperator provocat ad rationem moralem ex jure naturali desumptam, quod occupanti concedatur naturali ratione, quod ante nullius est (p): naturalem enim rationem appellat, quam nos moralem dicimus, quia in jure naturali ratio juris a natura hominum desumitur (q). Commendantur Prætorum edicta ab æquitate, quæ non aliter innotescit nisi per rationes morales. Provocat ad rationes politicas *Justinianus* (r), ostensurus, cur Senatus - Consulta habeant vim legis, cum ex principiis politicis generalibus in Democratia, qualis erat Resp. Romanorum, lex esse nequeat, nisi quod Populus constituit. *Cum arctus esset, inquit, Populus Romanus in eum modum, ut difficile esset in unum eum convocari legis sancientiæ causa, æquum visum est,* (Hor. *sub*. 1730.) H Se-

(p) §. 12 l. de rer. divis. &c. (q) Vide Trimestr. Vern. An. 1729 n. 11. §. 6

(r) §. 5 l. de J. N. G. & C.

*Senatum vice populi consuli sc. a Consule, qui antea populum interrogabat. Infunt verbis hisce rationes politicæ tam generales, quam speciales, quas intelligens, modo attendere velit, facile perspiciet. Enimvero probe notandum est, cum legum civilium una concordia, una consequentia esse debeat, fitri non posse, ut singularum rationes morales ex juris naturalis ac Politicæ principiis immediate desumantur; quin potius legum plurimarum rationes ex aliis legibus petendas esse. Quoniam leges hæ suas habent rationes morales atque politicas, quatenus æquitati in Rep. custodiendæ consentaneæ; quæ ex iisdem necessaria consequentia fluunt, easdem utique rationes remotas habere debent. Subsistendum est vero in rationibus proximis, nec semper ad remotas recurrendum; id quod quemadmodum ubi vis, ita etiam in Jure civili obtinet. Rationes igitur ex legibus petitæ sunt rationes morales immediatæ, quas si *legales* appellare volueris, per nos quidem liceat, modo tibi non persuadeas omnium omnino legum rationes legales esse reddendas, aut, si quarundam rationes*

lega-

legales dari non posse agnoscis, cum alias in circulum vitiosum incideres, quo nihil conficitur, legum illarum rationem aliam non admittas quam solum arbitrium superioris, quod vel ratione omnī destituitur, vel cujus rationem inquiri aut impossibile, aut saltem supervacaneum putatur. Rationes legales dare nequit, nisi qui leges probe intelligit & adeo familiares sibi reddidit, ut notio uni respondens suscitet notiones illis legibus respondentes, per quas illius ratio reddenda venit. Atque inde est, quod legum periti, qui iudicio pollent, sapius non infeliciter assequantur rationes legales, plurimum adjuturi laborem in demonstrandis legibus impendendum, etsi alii, qui iudicio destituuntur, ineptiant. Leges itaque civiles demonstraturus historicam earundem notitiam sibi ante comparare debet, quam ad arduum hunc laborem accedat. Quoniam vero rationes, qualescunque tandem fuerint, ex notione subjecti illius propositionis determinatæ, in quam lex demonstranda resoluta, derivatur, eo prorsus modo, quo in demonstrationibus utimur, quando a notione subjecti

H 2 inchoa-

inchoatur ratiocinatio (s); si quis leges nondum adeo familiares experitur, ut veluti sponte sua occurrant in præpositiones ex notione subjecti formatas intento, is ex his ipsis judiciis perspicit, quasnam leges evolvere debeat, modo titularum objecta habuerit perspecta vel libri indicibus instructi sint ad manus.

*Qua in
conden-
dis defi-
nitioni-
bus sunt
observan-
da.*

§.7. Si rationes legum fuerint manifestæ, etsi adhuc confuse cognitæ; propior jam ad demonstrandum illas gradus est, modo methodi fueris artifex: neque enim demonstrationes aliud quid sunt, quam rationum per distincta ratiocinia legitima evolutio. Sunt vero demonstrationum prima omnium principia definitiones. Quamobrem quid in iis condendis observari debeat, hic utique exponendum. Equidem de definitionibus in Logica prolixè demonstravimus integro capite, quæ etiam hic observanda sunt (t), aliaque addidimus de definitionibus in scriptis dogmaticis tenenda, quæ nec hic negligenda sunt (u);
sed

(s) Vid. §. 551 Log. (t) §. 152 & seqq. Log. (u) §. 823. 824. 835 & seqq. 914 & seqq.

sed quæ alibi satis distincte ac perspicue explicavimus, ea hic repetenda non sunt. Ea saltem recensebimus, quæ huic instituto propria sunt. Definitiones juris non alio fine condere intendimus, quam ut per eas leges & intelligantur, & demonstrantur: etsi enim non unica sint principia, prima tamen sunt & potiora, cum absque iis frustra de legibus in formam demonstrativam redigendis labores. Habent tamen eadem præterea usum prorsus insignem in applicandis legibus, de quo deinceps dicemus. Definitiones, quas Jc̄is veteribus Romanis debemus, instituto tam arduo, quod meditamur, non sufficere, supra jam monuimus (§. 5); non invitis tamen Doctoribus emendari possunt, cum valeant tanquam leges, quatenus in corpore Juris continentur, non autem tanquam definitiones, quatenus regulis logicis repugnant. Autoritas legem facere potest, definitionem facere nequit, cujus veritas ab immutabilibus legibus logicis pendet, quæ ipsi rerum naturæ insitæ sunt, quemadmodum ex principiis nostris Ontologicis (x) & logi-

H 3

cis

(x) §. 142 & seqq. 236 & seqq. Ontol.

cis (y) perspicue intelligitur, & circa quas nullus superior dispensare potest, cum rerum essentias in se immutabiles (z) mutare nequeat. Distinximus superius (§. 5) duos casus, de quibus sigillatim nos sententiam nostram dicturos esse promissimus. Liberabimus jam fidem nostram, & primo dicemus de illis definitionibus, quæ emendantur, dum iis respondens notio confusa distincta redditur. Definitio unaquæque ex intrinsicis rei determinationibus constat, quarum illæ eandem ingredi debent, quæ per se invicem non determinantur, per quæ tamen determinantur cetera rei definitæ prædicata absoluta. Si cui quædam obscurius dicta videantur, is agnoscat non posse hic doceri, quæ ex Logica & Ontologia addiscenda veniunt; obiter tamen notet, per determinationem intrinsicam hic intelligi, quicquid rei inest, & unam determinationem determinari per alteram, si alterum quod rei inest, abesse nequeat, siquidem in sit primum; absoluta autem esse prædicata, quæ de re in se spectata, extra relationem ad alias enunciari possunt. Jam si

res

(y) §. 172 & seqq. Log. (z) §. 300 Log.

res certa sit, de qua definitio Jcti loquitur, ad eam animum advertere debemus, ut in ea distinguamus, quæ eidem insunt, ac inde separemus ea, quæ definitionem ingredi debent. Ita nimirum accuratam obtinemus rei, ad quam spectat definitio Jctorum emendanda, definitionem, modo rem intime perspicere & regulas definiendi logicas dextre applicare nobis datum fuerit. Notandum vero est, præter determinaciones necessarias, quas in Jure naturali solas attendi convenit, in Jure civili etiam arbitrarias locum habere. Etenim cum jus civile ex naturali efficiatur, quatenus aliquid huic vel additur, vel detrahitur; hoc ipso quædam aliter determinantur, quam jure naturali determinata sunt. Unde enascuntur determinaciones arbitrariæ, quæ etsi principio convenientiæ nitantur, a necessitate tamen exemptæ sunt, atque ita ab arbitrio superioris vel legislatoris pendent. Tales determinaciones sunt in tutela, quod tutor esse debeat civis Romanus; in testamento, quod septem testes, aliæque solennitates quædam requirantur; in pactis ea, quæ extrinsecus accedere debent, ut jure Ro-

mano obligent. Habent illæ suas rationes, sed non necessarias, quæ sive latent, sive pateant parum refert. *Æqui*pollent enim definitiones, quas ingrediuntur, nominalibus, quas arbitrarias esse constat. Pertinent adeo illæ determinationes inter principia, quæ sumuntur, non probantur, ubi cetera demonstrare volueris, quemadmodum in ipsa *Mathesi* sumitur progressio numerorum naturalium, sumuntur characteres, quibus iidem notantur, sumuntur signa operationum arithmeticarum seu specierum algorithmi, divisio circuli in 360 gradus & generaliter divisio integri in partes secundum rationem sexagecuplam. Non tamen ideo prorsus inutile nosse rationes illarum determinationum, ut tuto ignorentur, quamdiu demonstrationis unice habenda est ratio, quemadmodum in *Mathesi* non omni utilitate caret, si illorum ratio redditur, quæ pro arbitrio determinari possunt, etsi demonstranti perinde sit, utrum aliquam habeant rationem, an nullam, & utrum hanc habeant, an aliam. Immo determinationes in jure arbitrarie ad principia quædam generalia necessaria

ria

quod ut appareat, propositiones, quarum prædicata sunt absoluta, demonstrandæ sunt. Sic enim demum certo constabit, te nihil in definitione omisisse, quod in eadem locum habet, nec quicquam in eandem admisisse, quod ex ea exulare debet. Equidem non nego definitionem tanquam prima demonstrandi principia esse primas in intentione; ob ea tamen, quæ modo diximus, eas ultimas esse debere in executione, qui acumine utitur facile perspiciet. Et hoc ipso palam fit definitiones, quas condimus, esse menti Juristorum Romanorum conformes. Si enim prædicata absoluta legitimo ratiocinio inde deduci possint, id indicio est, rem definitam esse eandem, de qua leges loquuntur, consequenter menti Juristorum conformem. Ubi vero jam vera & genuina rei definitio prostat, haud difficulter quoque ostendere licet, quænam notiones verbis ipsorum respondeant, quæ elocuti sunt definitionem suam concinnantes. Atque ita clarissime evincitur, notionem confusam, quæ definitioni Juristorum Romanorum respondet, ad distinctam rite fuisse revocatam. Quoniam exempla
huc

huc spectantia jam dedimus, cum definitiones juris naturæ, gentium & civilis atque justitiæ interpretaremur (a); si ab iis discesseris, quæ de arbitrariis determinationibus dicta sunt, clarissimam lucem hætenus dictis per ea affundere licet. De casu altero definitionum, quarum determinationes ex legibus eruendæ sunt, notandum imprimis est, quod ante tentandæ sint propositionum, in quas leges resolvimus, demonstrationes, quam de definitionibus statui certi quid possit. Per has enim demonstrationes non modo innotescit quænam de re sumi debeant, ut, quod leges præcipiunt, inde demonstrari queat; verum etiam patescit, quænam sint ea, quæ per se invicem demonstrari nequeant. Utrumque autem exploratum esse debet, ubi in definitione concinnanda nihil ponendum, quod ex ea proscribitur, nec ex ea omittendum, quod locum sibi in eadem vindicat. Quoniam definitiones, quæ in Corpore Juris extant, spectantur tanquam leges, non tanquam definitiones, ideo perinde ac leges in propositiones resolvendæ sunt, perinde ac si definitio

omnis

(a) Vide supra not. e & f.

omnis prorsus abesset &, quæ hinc prodeunt, propositiones ceteris adjiciendæ. Etenim ea prædicata, quæ quod suo convenient subjecto absque circulo vitioso demonstrari nequit, de subjecto assumi atque adeo definitionem ingredi debent. Quamvis vero præcepta logica promiscue omnia, quemadmodum paulo ante monuimus, in condens definitionibus juris usui esse possunt; in iis tamen præcipue casibus, ubi genus in suas species distribuitur, egregio prorsus adjumento sunt, quæ de notionibus specierum ex data notione generis vel notione speciei unius formandis præcipimus (b). Hac sane methodo per compendium determinantur ea, quæ definitionem ingredi debent & quæ methodo anteriore non sine tardiosis ambagibus venari daretur. Et si hac via ad definitiones pervenitur, eas esse exactas judicare licet, antequam leges inde pendentes demonstrantur, utut per earum demonstrationes idem confirmetur, dum scilicet opere ipso experimur, quod demonstrandi principium sufficiens præbeant. Quemadmodum vero in
 omni

(b) §. 712. 714 Log.

omni cognitione reliqua accidit, ut ex iis, quæ ex aliis notionibus demonstrata sunt, condantur definitiones; ita idem quoque in Jure civili obtinet. Sane manumissio servorum demonstrari potest, si rem ipsam spectes, absque definitione; iis autem demonstratis, quæ circa eam juris sunt, definitionem manumissionis condere licet. Obtinet hoc eo potissimum in casu, quo termini introducti sunt, ut sint compendium loquendi, cum res ipsa per alia principia intelligi possit absque confusione, etiamsi peculiari nomine non exprimat.

§. 8. Principia demonstrandi appellamus propositiones omnes, quæ in syllogismis, ex quibus demonstrationes concatenantur, locum majoris tuentur (c). Sunt igitur præter definitiones propositiones ex philosophia prima, morali & civili atque jure naturali mutuata, rationes a forma Reip. Romanæ desumptæ aut potius propositiones, quæ istis rationibus nituntur, tandemque propositiones, quæ vi definitionum, nominalium præsertim, seu explicationis terminorum, absque pro-

batione

Quæ circa principia cetera sunt observanda.

(c) §. 561 Log.

batione sumi possunt. His accedunt ipsæ leges jam antea independenter ab iis, quarum demonstrationem ingrediuntur, demonstratæ. De legibus anterioribus demonstratis jam non agimus; sed tantummodo de ceteris, quæ in Jure absque probatione sumenda sunt. Principia illa vel necessaria sunt, quorum immutabilis est veritas, ita ut eorum oppositum sit absurdum, vel arbitraria, quibus alia substituere licet ceteris salvis. Inter necessaria primum sibi locum vindicant, quæ ex philosophia prima, morali & civili atque Jure imprimis naturali desumuntur ibidemque demonstrantur. Ea utique præsupponenda sunt, cum eorundem demonstratio in Jure sit impossibilis, propterea quod una propositio sine aliis multis demonstrari nequeat, ita ut vel integræ disciplinæ philosophicæ Juri inferendæ essent, si nihil absque probatione sumi deberet. In Astronomia inter principia demonstrandi locum habent propositiones geometricæ in Elementis demonstratæ. Equis vero in systemate Astronomiæ, ut sit demonstrativum, consideret, propositiones *Euclideas* demon-

monstrari, propterea quod Geometriæ studium neglexit, neque adeo veritatis earum convictus est. Quemadmodum itaq; Geometriæ, Arithmeticæ ac Trigonometriæ principia sibi familiaria reddere tenetur, qui in Astronomia certam cognitionem expetit; ita similiter in philosophia prima, morali & civili atque Jure naturæ multus quis esse debet, antequam ad Jus civile accedat, si certam Juris hujus scientiam sibi comparare voluerit. Idem vero multo magis requiritur in eo, qui Juris disciplinam in formam demonstrativam redigere voluerit, ut adeo hinc liqueat, cur frustra-
neus fuerit eorum conatus, qui, cum essent methodi demonstrativæ rudes atque ignari, certa que principiorum philosophiæ primæ, moralis atque civilis cognitione destituerentur, opus tam arduum moliebantur. Præsupponit Jurisprudentiæ civilis systema demonstrativum illas philosophiæ partes in systemata similia redactas, siquidem nihil admittendum, quod non sit demonstratum. Et ubi istiusmodi systemata philosophica prostant, Jus civile cum philosophia arcto adeo vinculo connectere licet,

licet, quo partes Matheſeos mixtæ cum pura, veluti Aſtronomia cum Geometria, Trigonometria & Arithmetica, vel etiam recentior Aſtronomia Phyſica cum Mechanica connectuntur. Quamdiu vero ſyſtemata iſtiusmodi philoſophica deſiderantur, methodi artifex Jus quidem civile demonſtrativum condet, modo principiorum philoſophicorum fueris gnarus; ſed principia philoſophica vel ſumere debet eo in loco, quo in demonſtrationibus iisdem opus habet, vel per modum axiomatum definitionibus ſubjicere, quemadmodum *Erhardus Weigelius* (d) partem Aſtronomiæ ſphæricam demonſtraturus definitionibus ſub titulo axiomatum ſubjecit propoſitiones *Euclideas*, quibus utitur in demonſtrando; vel, quod conſultius videbatur, utpote legibus methodi demonſtrativæ magis conveniens, inſtar lemmatum iſtis propoſitionibus, quarum demonſtrationes primum ingrediuntur, præmittere debet, demonſtratione ex philoſophia præſuppoſita. Principia neceſſaria porro ſunt ea, quæ vi definitionum in Jure ſumi debent.

Ac-

(d) In Sphærica Euclidea.

Atque hæc sunt axiomata Juris propria, vel definitionibus, per quas eorum veritas patet, subjicienda, vel propositionibus, in quibus primus eorundem usus est, præmittenda. Principia arbitraria respondent hypothefibus, quæ ad arbitrium sumuntur de istiusmodi rebus, quæ ceteris salvis diverso modo determinari possunt. Ea igitur illis locis reponenda sunt, in quibus cetera ponuntur principia, quibus una cum ipsis in demonstrando opus habemus. Enimvero palmaria quæstio circa principia huc redit, unde innotescant, quænam assumenda sint & quot eorum assumi conveniat, ne vel præmittantur, quæ cum nullum habeant in sequentibus usum superflua sunt, vel deficient ea, sine quibus demonstratio completa fieri nequit. Etsi responsio difficilis videatur illis, qui in demonstrationibus condendis nondum sunt versati; revera tamen nihil difficultatis habet. Etenim ubi demonstrationes actu condimus, ipso opere addiscimus, quibusnam & quot principiis opus habeamus. Non alia re opus est, quam ut sedulo annotentur singula, quibus in ratiocinando

(*Hor. (subf. 1730.)*)

I uti-

utimur, dum juxta formam genuinæ demonstrationis (d) ex notione subjecti eruimus prædicatum. Cum usum Logicæ amplissimum doceremus, modum quoque reducendi demonstrationem propositionis cujuscunque ad formam geometricæ declaravimus & exemplo illustravimus (e). Ex illo perspicere licet, quomodo principia, quæ demonstrationes ingrediuntur, certissime detegere licet, quæ absque demonstratione sumenda sunt. Tota nimirum demonstratio resolvenda est in syllogismos formales, atque ita ipsis sensibus manifestum erit, quænam sine probatione assumi debeant: Illæ scilicet propositiones instar axiomatum sumuntur, quarum ulterior probatio non requiritur, etsi alibi demonstratæ non supponantur. Artificio isto etiam hic uti datur, etsi eodem opus non habeant, qui, cum sint artifices methodi, absque ista resolutione principia sine probatione admittenda advertunt, ut ipsis verendum non sit, ne quod forsitan defectu attentionis negligatur. Subinde etiam singulari quodam modo incidimus in
 prin-

(d) §. 551 Log. (e) §. 801 Log.

principia tum demonstrativa, tum demonstrationis minime indiga. Obtinet hoc in eo casu, ubi plures conclusiones ex notione subjecti ratiocinando collegimus, quorum notionibus in unam collectis prodit propositio, quæ ad propositionem demonstrandam aptata enthymema exhibet, cui conveniens major, quæ deest, nulla opera suppletur. Plura notatu digna moneri poterant; sed talia reservanda sunt Arti inveniendi, in qua propria eorum sedes est. Obiter monemus, hoc artificio usos esse ipsos Mathematicos præclari nominis. Exemplo esse poterat *Hugenius* in theoria centri oscillationis, immo & in theoria motus ex percussione corporum, siquidem hic ostendi poterat, quod absque ambagibus ostendere non licet.

§. 9. Accedimus jam ad propositiones demonstrativas, de quibus tria tenenda sunt, 1. quomodo propositiones demonstrandæ ad talem formam redigantur, ut fiant demonstrabiles, 2. quomodo demonstrationes condantur & 3. quo ordine propositiones sint collocandæ. Propositiones tum demum demonstrabiles sunt, quando ita deter-

*Quarantam
circa propo-
sitiones
observari
debeant.*

minantur, seu ita enunciantur, ut per notionem subjecti determinetur prædicatum. Determinatur autem per notionem subjecti prædicatum, si notio subjecti resolvatur in propositiones, quibus in Syllogismis pro minoribus sumtis juxta formam ratiocinandi in demonstrando observandam (f) elicitur tandem propositio ad demonstrandum proposita tanquam conclusio. Quamobrem ex ipso successu patet, utrum propositio rite fuerit determinata, nec ne. Ceterum hic probe consideranda sunt, quæ de resolutione Juris in propositiones dicta sunt in superioribus (§. 6). Formam demonstrationum adeo distincte in Logica (g) delineavimus, ut nihil de ea amplius addendum superfit. Et si qua præterea non inutiliter monenda veniunt, ea passim in opere Logico annotavimus, ope indicis facile invenienda. Neque vero existimandum est, formam demonstrationum in Jure aliam esse debere, quam in Mathesi. Forma enim demonstrandi pendet a natura mentis humanæ, eodem prorsus modo de objecto quocunque

ra-

(f) §. 551 & seqq. Log. (g) §. 551 & seqq

rationantibus; non vero ab objecto, de quo ratiocinamur. Hinc Logica non nisi una est, nec alia utitur Mathematicus, alia Philosophus, alia Jētus, alia Theologus. Syllogismus eandem formam tenet in Mathesi, Philosophia, Jurisprudencia, ipsa Theologia, immo in communi quoque vita, id quod in primis in Psychologia empirica dilucide ostendi (h). Quemadmodum Geometria, immo tota Mathesis pura pendet a notionibus communibus quoad principia, quemadmodum ex opere nostro ontologico palam fit, ubi notiones istas communes a priori demonstravimus; ita similiter forma ratiocinandi in eadem Mathesi pendet a communi more ratiocinandi, quo utuntur homines in universum omnes in quibusvis obviis vite negotiis, si ipsum modum concatenandi & per legitimam concatenationem continuandi ratiociniorum seriem spectes. Quamobrem dudum docuimus (i), probationem probabilem a demonstratione non forma, sed tantummodo principiis differre. Communiter enim autores nihil distincte

(h) §. 342 Met. (i) §. 588 Log.

probant, sed in usum saltem memoriae principia quaedam demonstrandi indicant, quorum demum evolutione conficitur vel demonstratio, vel probatio pro diversitate materiae. Atque ideo non mirum est, quod in Mathesi hospites omni demonstrationis idea destituantur, & pro demonstrationibus venditent, quae ab iis magis differunt, quam truncus arboris ab homine vivo, non nisi a sui similibus pro demonstratoribus habendi. Neque etiam mirum videri debet, quod in Mathesi cum laude versati, sed Logicae verioris notitia non imbuti, methodum, qua utuntur Mathematici, ad notiones distinctas revocantis, distincta demonstrationis notione carentes veram ejus formam extra Mathesin non exprimant, utut propius ad eam accedere videantur ceteris statuam humanam cum homine vivo confundentes. Et, si quis vel maxime formam demonstrandi genuinam distincte animo conceperit; non tamen in applicandis regulis artificem se probare valet, nisi multo usu eam sibi facultatem comparaverit. Et ubi formam in demonstrando sanctissime custodire didiceris; non tamen

tamen dabis demonstrationes a nævis liberaſ, niſi rei demonſtrandæ diſtinctam habueris notionem & principia demonſtrandi familiaria experiaris. Utinam ſingula probe perpenderent, qui plus de facultatibus ſuis ſperant, quam in iis eſt! Enimvero reſtat ut tandem de ordine dicamus, quo ſingulæ collocandæ ſunt definitiones & propoſitiones. Non alia hic obſervanda eſt lex, quam quæ ubiſvis cuſtodienda, ubi methodi demonſtrativæ rationem habere volueris. Nimirum definitiones præcedere debent, quarum definiſta ingrediuntur tanquam notæ definitiones alias: ita enim & definitiones ſequentes intelliguntur per antecedentes, & circulus in definiendo evitatur methodo demonſtrativæ maxime adverſus. Similiter propoſitiones præcedere debent, quæ tanquam principia ingrediuntur aliarum demonſtrationes: ita enim & principia certa ſunt, & circulus in demonſtrando evitatur methodo demonſtrativæ e diametro adverſus. Quamobrem ordo ſua ſeſe ſponte offert, ubi demonſtrationes condere aggredereſ. Quamprimum enim principiis opus habes, quæ in anterioribus

demonstrata nondum fuere, ea propo-
sitioni, quæ præ manibus est, præmittenda
esse apparet. Quodsi demonstratio-
nem hujus propositionis denuo ingre-
diantur aliæ, quas in anterioribus non-
dum exposuisti; hæ ipsæ quoque eidem
præmittendæ erunt, donec ad tales per-
veneris, ad quas demonstrandas princi-
piis aliis opus non habes, quam quæ ex
anterioribus assumere licet. Qui disci-
plinas ad formam demonstrativam re-
vocarunt, illi recordabuntur, se ad ordi-
nandas propositiones aliis regulis non
habuisse opus.

*An in
systemate
demon-
strativo
ordo titu-
lorum
juris re-
ceptus
retineri
possit.*

§. 10. Ex dictis liquet, si leges civiles
ad formam demonstrativam reducere
vuleris, eas ita ordinandas esse, ut po-
steriores pendeant a prioribus seu se-
quentes ab antecedentibus. Titulos
neque in Pandectis, neque in Institutio-
nibus ea lege se invicem excipere, ut le-
ges in sequentibus pendeant a legibus in
antecedentibus, vel exinde colligitur,
quod in titulis antecedentibus occur-
rant termini, qui demum in titulis sequen-
tibus explicantur. Ita quando de servis
præcipiuntur, quæ tenenda sunt, servi
dicuntur esse in dominio Quiritium, cum
quid

quid sit dominium demum explicetur multo inferius, ubi jus in re exponitur. Servi dicuntur posse vendi, cum contractus emtionis venditionis demum explanetur multo adhuc inferius, ubi de jure ad rem agitur & contractus explicantur, per quos istud acquiritur. Antequam igitur in Systemate explicare possis, quid sit esse in dominio Quiritium; notio domini evolvenda est. Et prius quam affirmare licet, servos vendi posse, contractus emtionis venditionis definiendus. Intelligitur porro ex eo, titulos non respicere mutuan legum a se invicem dependentiam in Institutionibus atque Pandectis, quod leges in titulis anterioribus demonstraturus tanquam principia sumere debeat leges ex titulis sequentibus. Ita demonstraturus servos posse vendi supponere debet, non posse vendi nisi ea, quæ sunt in dominio nostro, seu quæ alienare valeamus. Demonstrandum igitur ante est, ex jure domini fluere jus alienandi, & hoc sub se comprehendere jus vendendi. Tituli igitur non ordinantur ea lege, quam custodire debemus, ubi leges demonstrare voluerimus. Atque adeo oleum atque

I s ope-

operam perdes, ubi observato titulorum communi ordine leges demonstrare volueris, cum is ordini in systemate demonstrativo observando absolute repugnet. Quod si igitur sive Pandectarum, sive Institutionum ordinem quoad titulos sequi volueris, quemadmodum fere moris est; absolute impossibile videtur, ut leges demonstrares. Est id profecto impossibile, nisi singularem quandam medelam afferas. Nimirum præmittenda sunt Principia Juris, quæ Isagogen quandam ad Jurisprudenciam exhibent. In eorum numerum referenda, quæ ad titulos anteriores intelligendos veleorum leges demonstrandas supponenda sunt ex inferioribus. Ne vero numerus eorum excrescat & maximam legum partem ad se rapiat illa Isagoge, quæ non nisi viam ad Jurisprudenciam pandere debet; quædam ex titulis præcedentibus rejicienda sunt in sequentes. Ita in titulum de emptione venditione rejici potest propositio de servis vendendis, neque adeo opus est, ut propositiones longe plurimæ, quæ demonstrationem illius ingredientur vel ut principia proxima, vel ut remota;

in

in Isagoge illa collocentur. Quod si systema philosophiæ practicæ methodo demonstrativa adornatum, quale, si Deus voluerit, post Metaphysicam dabimus, profertur atque ad id Jurisprudentia referatur, ut cum philosophia connexa tradatur, miro studiosorum Juris emolumento; aut illa Isagoge prorsus carere licebit, aut principiorum numerus valde coarctari poterit, etiamsi in Systemate demonstrativo titulorum ordinem retinere volueris, qui vel in Pandectis, vel in Institutionibus occurrit. Si a citatione discesseris, qua utuntur Jcti, & cui alio artificio facile succurritur, quali usus est vir Consultissimus, *Christophorus Henricus Freiesleben* (k), nullam video rationem, cur titulorum ordo, qui vel in Institutionibus, vel in Pandectis occurrit, in Jurisprudentiæ demonstrativæ systemate adeo sollicitè sit observandus, cum leges scholæ methodo digestæ sint, qua memoriæ consulitur; systema autem demonstrativum methodum scientificam postulet ab illa prorsus diversam. Neque profecto insolitum est,

(k) In Corpore Juris civilis Academico Altenburgi 1781 edito.

est, leges alio ordine proponere, quam qui in Institutionibus vel Pandectis comparet. Habemus enim præeuntem Jctum Helmstadiensem celeberrimum *Joannem Paulum Kressium* (l), qui contra Institutionum ordinem a Jure rerum orditur & Jus personarum ultimo loco pertractat, propterea quod jus personarum absque jure rerum non satis intelligere datur, quemadmodum & paulo ante de servis allatum exemplum confirmat. Et Jctus Lipsiensis *Titius* (m), cum Jurisprudentiæ systema condere vellet, in quo leges inter se coherent, alium prorsus titulorum ordinem fecit, quam qui vel in Pandectis, vel in Institutionibus occurrit. Neque insolens est ad alium titulum referri leges, quam cui in corpore Juris civilis tribuuntur. Sufficit hic provocare ad Virum Per-Illustrem *Bergerum*, qui ut memoriæ consuleret leges de eodem objecto agentes in eundem titulum conjecit, etsi per plures titulos in Corpore Juris dispersas (n). Immo ipse

Iri-

(l) In Specimine Jurisprudentiæ civilis forensis. (m) in Jure privato Romano Germanico. (n) in Oeconomia Juris.

Tribonianus in Institutionibus a serie titulorum, quæ in Pandectis comparet, recessit & in eodem titulo posuit, quæ in diversis deprehenduntur in Pandectis. Nulla igitur necessitas jubet, ut in tradenda Jurisprudentia civili titulorum ordini inhæreamus, qui vel in Pandectis, vel in Institutionibus occurrit, ubi leges demonstrare voluerimus. Consultius omnino est sequi quam strictissime ordinem, qui lege methodi demonstrativæ præscribitur, quam ipsa invita nescio quam ob superstitionem retinere scholæ ordinem & per remedia anxie quæsitæ eum cum ordine naturæ in gratiam revocare. Quod si tamen Isagogen illam conscribere volueris; totum Jurisprudentiæ systema ante condendum, in quo ordine naturali secundum mutuam a se invicem dependentiam leges omnes cum definitionibus ac principiis necessariis ordinentur. Tum enim demum apparebit, quænam leges commode ex titulo aliquo præcedente in alium sequentem rejiciantur, & quæ in numerum Principiorum referenda locum in Isagoge sibi vendicent. Si tamen, quod verum est, ingenue fatendum,

dum, systema ordine naturali digestum præstat altero, quod titulorum receptum conservat ordinem, cum multo clarius mentis aciem perstringat veritas in systemate priori, quam in posteriore, ubi a se invicem divulsa sunt, quæ inter se connexa & uno quasi obtutu comprehensa multo pulchriora apparent ob sensum quippe perfectionis delectantia. Facilius quoque singula intelliguntur, cum principia recentius memoriæ impressa sint clariora, quam ubi quasi e longinquo petenda sunt, olim in Isagoge quidem intellecta, sed non adeo firmiter memoriæ infixæ, ut, quando iis opus habemus, veluti sponte sua nobis occurrant sensumque certitudinis secum vehant. Immo nec tædiosum est principia sibi familiaria reddere, propterea cum festinata applicatione statim conspiciatur illorum usus, repetita vero applicatione & clariora evadant, & memoriæ tenacius adhæreant. Quod si tamen præjudicio eorum, qui auctoritate pollent, aliquid dandum; Scholæ ordinem cum ordine naturæ tantisper conjungi convenit, quantum datur, donec præjudiciorum nebulæ penitus fuerint fugatæ.

S. II.

§. II. Vidimus hæcenus, quid fieri Quomodo titulus unus in formam demonstrativam redigatur. debeat, ut systema Juris integrum in formam demonstrativam redigatur. Restat, ut ostendamus, quomodo eadem forma vestiatur titulus unus. Parum differt labor a præcedente, quemadmodum ex sequentibus apparet. Nimirum initium hic quoque fieri debet a resolutione tituli in propositiones determinatas. Habet enim ea usum multiplicem eumque prorsus indispensabilem. Ex ea perspicitur, quomodo construï debeant definitiones, ut nec plures, nec pauciores contineant determinationes, quam eas ingredi fas est, & quot condi oporteat, ut nihil in titulo occurrat, quod sit obscurum. Ex ea porro intelligitur, quomodo ordinandæ sint propositiones, ut a se invicem pendeant. Immo ex prædicatis propositionum plerumque colligitur, ex quibus titulis aliis mutuo petenda sint principia. Dein condendæ sunt definitiones tum attentione ad rem ipsam directæ, quemadmodum in Logica (o) præcipitur, tum ad propositiones, in quas titulus resolutus, habita eruendo determinanda-

(o) §. 682 Log.

minationes, ex quibus constare debet. Quod si enim contingat, quasdam fuisse prætermittas, aut forte plures, quam par erat, in eandem fuisse admittas; in progressu defectus facile suppletur & determinationes superflue eliminantur, singulisque tituli demonstrationibus absolutis eas exactas esse demonstrari potest, etsi demonstrationem addi nec opus sit, nec moris, præsertim cum definitiones sumantur pro nominalibus, hoc est, arbitrariis terminorum explicationibus. Tandem propositionum demonstrationes aggrediamur necesse est, quas, si lubet, etiam ante conditas definitiones aggredi licet, si definitiones in Corpore Juris vel in libris Jæctorum prostantes simul in propositiones resolveris, quemadmodum supra (§. 7) præcepimus. Dabimus in posterum specimen demonstrationum in Jure, ut genuinum a spurio separare discant, qui illas quærunt, nec sibi scorias pro auro obtrudi improvide patiantur.

Qua ratione dissertationes methodo de-

§. 12. Si quis denique dissertationem aliquam methodo demonstrativa conscribere velit, duo casus a se invicem probe sunt distinguendi. Etenim aut propositioni-

positiones, quas demonstrare intendit, jam ab aliis sunt inventæ, aut de-<sup>monstra-
tiva con-
scriban-
tur.</sup> tum si non omnes, saltem aliqua a nobis adhuc sunt inveniendæ. Casus prior in dissertationibus juridicis potissimus est; posterior rarius obtinet, præsertim quando nobis cum jure civili, non naturali sermo fuerit. In priori itaque casu tantummodo opus est, ut propositiones singulæ colligantur, quæ apud autores passim extant, & casus speciales, qui occurrunt, in propositiones resolvantur, atque collectæ demonstrentur & ordinentur. Quod si demonstrationem tentaveris juxta regulas, quas in Logica (p) satis dilucide proposuimus; statim apparebit, tum quibus principiis opus habeas, tum quænam propositiones pendeant ab aliis. Atque hac ratione principia sub definitionum, axiomatum & hypothesium titulo præmittenda annotare licebit. Conspectui tuo sese offerent leges, quibus ad demonstrationes conficiendas opus habes. Istantem leges, cum sint principia cognita atque concessa, non opus est ut præmittas; sed sufficit eas allegari eo in
(Hor. *subf.* 1730.) K lo-

(P) §. 551 & seqq. Log.

loco, ubi iisdem opus habueris. Si quis vero methodi demonstrativæ nondum fuerit adeo gnarus, neque in ratiocinando tantopere exercitatus, ut ex notione subjecti continuo ratiocinationis filo propositiones ad demonstrandum propositas instar conclusionum deducere possit, illo utendum est, artificio, quod superius (§. 8) ex Logica (q) commendavimus. Quodsi vero quidam fuerint, qui in ratiociniis concatenandis nondum sunt verlati, nec propositiones determinatas familiares experiuntur, quibus tanquam principiis in ratiocinando opus est; illis nullas præscribere licet regulas, quibus adjuti dissertationem aliquam methodo demonstrativa conscribant. Ignaro artis nemo regulas dabit, quarum auxilio id em cum artifice perito præstabit. Si quis vero in demonstrando fuerit artifex, eidem abunde sufficiunt, quæ a nobis dicta sunt. Nihil igitur de casu priori addimus. Quod casum posteriorem spectat, quo propositiones quædam adhuc inveniendæ sunt; de eo peculiaria nonnulla annotanda veniunt. Etenim primo loco

derer-

(q) §. 801 Log.

determinandi sunt casus per circumstantiarum variationem, aut casus, quos praxis suggerit, apud Autores passim obvi colligendi. Jam determinationes, quibus casus isti a se invicem differunt, sumendæ sunt pro notione subjecti & huic inde eruendum est conveniens prædicatum. In eruendo prædicato eodem prorsus modo procedendum, quo in demonstrationibus ordinatis procedimus (r). Sed cum ars inveniendi inter paucos omnino distributa sit; non opus est ut de his plura dicamus.

§. 13. Rem maxime difficultatis ac laboris plurimi esse vidimus Jus civile Romanum in formam demonstrativam redigere. Erunt igitur, qui existimaturi sunt operæ pretium non esse, ut quis tam arduum opus moliatur, propterea quod legum idem sit valor, sive demonstrantur, sive absque demonstratione discantur. Immo erunt alii, qui hunc laborem prorsus damnaturi sunt, propterea quod demonstrationibus addiscendis tempus inutiliter teri arbitrentur. Enimvero hi erunt, qui per præcipitantiam statuentes de iis, quæ non

K 2

in-

(r) §. 551 & seqq. Log.

intelligunt, negant quod ignorant. Systematis demonstrativi notione destituti nullam ejus utilitatem vident, ac inde nullam dari colligunt. Aliter vero de utilitate illius statuunt, quotquot comprehendunt, quantum interfit, veritates demonstrativa ratione proponi. Nostrum adeo est utilitatem Juris in Systema demonstrativum redacti breviter quidem, attamen perspicue delineare. Si jus fuerit in formam demonstrativam redactum, liberabimur ab omnibus interpretationibus dubiis. Etenim si qua lex occurrit, cujus dubia est interpretatio, interpretibus in diversas euntibus sententias, certo decidere licebit, quinam verus esse debeat sensus. Quoniam enim Imperator voluit, ut omnes in Jure evitentur antinomix, sitque una concordia, una consequentia (l. 4); is verus erit legis sensus, in quo ea ex legibus aliis evidentibus, de quarum sensu nulla est dubitatio, demonstrari potest. Hoc sane in sensu concordat cum ceteris legibus & legitima consequentia ex iis deducitur: alius vero sensus quicumque illis repugnat, nec ex iis inferri potest, Deinde certi erimus de
 equi-

æquitate legum & Judex justus convictus erit, se in Jure dicendo a Justitiæ tramite nunquam discessisse. Ubi singulorum negotiorum, de quibus in foro litigatur, Definitiones accuratæ prostant, quales in Systemate demonstrativo unice locum obtinent; non modo intelligetur, quænam præcise ad probandum, quale sit negotium, quod liti originem dedit, requirantur; verum etiam omnes de hac quæstione disceptationes e foro exulabunt, quales nunc per bina lustra continuatas fuisse novimus. Ubi leges singulæ ad propositiones determinatas fuerint revocatæ, quales sunt, quæ demonstrari possunt; ex hypothesi ejusdem seu determinata notione subjecti constabit, quænam de facto probanda sint, ut lex ad eam applicari possit. Atque ita cessabunt diversæ de eodem facto sententiæ, quæ nunc sæpius tot deprehenduntur, quot sunt capita. Si qui casus occurrunt, qui in Systemate nondum decisi sunt, de iisdem per demonstrationes eruetur ex ceteris, quid statuendum sit, ut decisio non tollat cum legibus expressis concordiam. Applicatio legum & certa, & facilis evadet.

K 3

Præ-

Præterea demonstrationibus adsuetus singulare sibi comparabit artificium de factis ex pluribus legibus iusta consequentia inter se concatenatis statuendi, de quibus si ex una sententiam dicere velis in difficultates inextricabiles incidis, neque profers quæ ad rhombum faciunt.

III.

De Notionibus fœcundis.

§. I.

*Instituta
tum Au-
toritas.*

IN his ipsis horis subscevis, tum etiam alibi, aliquoties mentionem injeci notionum fœcundarum. Etsi autem ex ipso contextu facile appareat, quænam verbis istis notio jungenda sit, & notione ista confusa, quæ sese offert, contenti esse queamus nihil quippe de fœcunditate notionum sub hoc titulo demonstraturi: quoniam tamen in legendis libris nostris versati sensim sensimque notionibus distinctis ita adsuefiunt, ut non sine tædio ferant notiones confusas, nec sibi satis intelligere videantur quid verba significant, quamdiu notiones abstractæ fuerint confusæ; ideo non defuere, qui a me desiderarunt ut notio-
num

num fecunditatem in distinctam notionem resolverem dicturus forsitan, quæ e re sunt doctrinæ solidioris cupidorum. Eorum igitur desiderio ut satisfacerem, brevem quandam theoriam fecunditatis notionum condere libuit.

§. 2. Inest huic appellationi aliquid *Explicatio* metaphorici, quatenus nempe simili- *tio ter-* tudo quædam inter notiones fecundas *mini fec-* & semen fecundum intercedit, quæ *cundita-* comparatio notionem confusam menti *tis no-* offert, per quam terminum notionis fœ- *tionum.* cundæ intelligit, utut distincta explicatio-
 ne destituatur. In omni metaphora habemus duas notiones, quarum una absque altera nobis esse potest, ex earum autem comparatione per abstractionem resultat notio quædam tertia, quæ aliquid repræsentat, quod utrique simul inest, ac ideo tertium comparationis dicitur, ultra quod similitudo, in qua metaphora fundatur, extendenda non est. Etsi igitur res ista, quæ nomine metaphorico insignitur, intelligi possit, etiam si ad alteram, a qua petitur denominatio, animum non advertas; prodest tamen metaphora, si ea rite uti noveris, ut ad distinctam pervenias termini explicatio-

nem, unde porro colligitur, quid rei sub-
sit. Artificium analyticum est meta-
phorarum usus in venandis notionibus
distinctis, quæ alias facile sese subduce-
rent attentioni nostræ, vel ad quas abs-
que subsidio ideæ rei alterius, cum qua
instituitur comparatio, vix ac ne vix qui-
dem perveniretur. Hoc ideo obiter mo-
nemus, ut appareat, non vana esse, quæ
de Arte inveniendi a nobis dicta sunt, in
formam artis nondum redacta, sed in
quæsitis adhuc latente. Utamur igitur
hoc artificio in distincta termini, de cu-
jus significatu jam laboramus, explica-
tione, cum id vel maxime intendamus,
ut lectorem ad habitum meditandi per-
ducamus. Agedum itaque! Atten-
tionem nostram convertamus in semen,
inquisituri in rationem, cur fœcundum
dicatur: ratio enim ista cum manifestet
tertium comparationis, haud difficile
erit, attentione in notionem directa,
reperire, quid istud sit, ob quod fœcun-
dum dici possit, & cum semine, quatenus
fœcundum, similitudinem quandam in-
volvatur. Semen fœcundum dicitur, qua-
tenus ex eodem crescit planta, dum ter-
ræ committitur. Inest quid semini,
quod

quod a planta, quæ inde excrescit, diversum apparet, sine quo tamen planta progeminare nequit. Semen igitur per essentiam & naturam suam ita dispositum est, ut planta ex eodem progeminare possit, actu progeminatura, ubi solo fertili committitur, hoc est, causæ superaccedunt actum determinaturæ. Fœcunditatem illam amisit semen, si agro fertili commissum non amplius germinat, hoc est, si causis positis, per quas actus in casu præsentis determinatur, non amplius sequitur effectus, qui alias iisdem positis sequebatur. Est igitur fœcunditas seminis potentia germinandi. Germinat semen, dum ex eo prodit planta a semine diversa, quæ ideo ex isto progeminare dicitur. Enimvero antequam beneficio ideæ seminis fœcundi ac notionis fœcunditatis terminis licet generalibus conceptæ ad notionem fœcunditatis notionum detur transitus; significatus quidam generalis abstrahendus est, tertium comparationis demum manifestaturus. Perpendamus itaque illam germinandi potentiam, ut generales istæ determinationes nobis occurrant, quæ significatum generalem,

K 5 quam

quam quærimus, constituunt. Dum semen germinat, prodit ex eo, quod ab ipso diversum est, cum eodem tamen ad idem genus reduci potest, quatenus & semen, & quod ex eo progerminat ad genus vegetabilium pertinet. Fœcundum igitur in significato generali dicendum est, in quo talia continentur, unde prodire possunt alia ab ipsis quidem diversa, quæ tamen cum illo ad idem quoddam genus referri possunt. Quod si jam significatum hunc generalem ad notiones applices, eas fœcundas dici debere intelliges, quæ continent determinationes rei, per quas cetera, quæ rei conveniunt, colligi possunt. Eatenus igitur notiones fœcundæ sunt, quatenus ex iis certa ratiocinationis lege colligi possunt alia rei prædicata. Hæc enim quasi germina sunt, quæ ex notione tanquam femine proveniunt. Referuntur autem ista prædicata ad determinationes rei intrinsecas, quemadmodum in earum numero sunt, quæ notionem ingrediuntur, consequenter quæ ex notione deduci possunt, cum iis, quæ eidem insunt, ad unum quoddam genus referri possunt. Atque hac ratione patet similitudo de-
ter-

terminata, non vaga, quæ inter semen, atque notiones illas intercedit, quæ sæcundæ appellantur. Manifestum etiam est tertium comparationis, ultra quod similitudo non extendenda, & a quo ne latum quidem unguem recedere licet, siquidem a sæcunditate feminis ad sæcunditatem notionum argumentari voveris, aut sæcunditate feminis uti libuerit tanquam principio ad investiganda ea, quæ de sæcunditate notionum notanda veniunt. Non piget talia prolixè inculcare, cum iis insint principia generalia maximæ utilitatis tum ad inveniendum, tum ad illustrandum, in Arte inveniendi ex instituto tradenda. Plurimum hic peccant oratores atque poëtæ in allegoriis ac metaphoris ad tertium istud comparationis, quod significatum generalem constituit, non attendentes. Aberrant etiam sæpissime a scopo interpretes scripturæ sacræ in allegoriis, similitudinibus & metaphoris ultra tertium comparationis, quod non satis accurate determinant, evagantes ac talia proferentes, quæ vel ad scopum minime tendunt, vel a veritate profus aliena sunt. Intelligentiores autem iis, quæ

quæ de notione fecunditatis notionum in medium afferimus, utentur tanquam exemplari, quotiescunque allegoriz, metaphoræ ac similitudines veniunt explicandæ.

*Notio-
num fœ-
cunda-
rum pri-
ma classis.*

§. 3. Acquisivimus definitionem nominalem notionum fecundarum. Ex ea vero jam porro colligitur, quænam sint notiones istæ fecundæ. Primum igitur huc referendæ sunt definitiones, quæ nomen suum tuentur, five nominales fuerint, five reales. Tuentur autem nomen suum, quæ regulis Logicis alibi (s) propositis ad amissim respondent. Nimirum distincte in iis recenseri debent ea, quæ rei insunt constanter, nec tamen per se in vicem determinantur, hoc est, quæ ita comparata sunt, ut constanter simul inesse debeant, non tamen ex uno vel aliquot eorum ratiocinando colligatur, quod cetera simul inesse debeant. Appellamus istas determinaciones essentielles (t) & specialibus nominibus genericas atque specificas (u) atque earum enumeratione definitiones generum, vel specie-

rum

(s) §. 153 & seqq. Log. (t) §. 143 Ontol. (u) §. 230 Ontol.

rum absolvi ostendimus (x). Fieri tamen potest, ut in illarum locum subinde succedant aliæ vicariæ, quæ attributorum nomine veniunt (y), Attributa enim vices essentialium in definiendo subire possunt, quod perinde essentialia ex attributis, quam attributa ex essentialibus colligantur. Referendæ adeo sunt ad notiones fœcundas definitiones tam essentielles, quam accidentales (z) siquidem re, non nomine tales fuerint. Etenim ex hisce definitionibus colliguntur ea ratiocinandi forma, quam in demonstrando observari convenit (a), prædicata rerum absoluta, immo superaccedentibus aliis determinationibus accidentalibus sive intrinsicis, sive extrinsecis, etiam hypothetica. Notiones vero cum fœcundæ dicantur, quatenus ex iis, quæ in iisdem continentur, certa ratiocinandi lege colliguntur alia, quæ in iisdem non continentur (§. 2); definitiones nominales re, non nomine tales, quales modo descripsimus, in notionum fœcundarum numero sunt. Non absimili modo ostenditur, esse quoque

(x) §. 172 Log. (y) §. 173 Log. (z) §. 192 Ontol. (a) §. 551 & seqq. Log.

que definitiones reales in notionum fecundarum numero. Etenim definitiones reales, quales in primis geneticæ sunt modum, quo res aliqua fieri potest, exponentes (b), istiusmodi determinationes in se continent, ex quibus illæ colligi possunt, quæ essentialium nomine veniunt & definitionem nominalem ingrediuntur, quemadmodum ex adverso ex definitione nominali realis deduci potest. Quod si vero ex definitione reali deductæ fuerint singulæ illæ determinationes, quæ nominalem constituent; per se patet, ex iis porro derivari posse, quæ ex definitionibus nominalibus derivantur. Definitiones reales itaque fecundæ sunt, quatenus ex iis tum ea, quæ in definitionibus nominalibus continentur, tum cetera omnia, quæ ex definitionibus nominalibus eruuntur, colligi possunt. Abunde igitur patet definitiones veri nominis esse notiones fecundas, atque adeo notiones fecundas efficit, qui definitiones exasciatas in disciplinis condit. Patet simul, quandonam disciplinæ sive philosophicæ, sive quæcunque aliæ sint

steri-

(b). §. 194. 195 Log.

steriles, quando nimirum definitiones accuratæ ex iisdem exulant. Est vero aliud adhuc fœcunditatis genus, quod definitionibus in primis nominalibus convenit. Etenim ex determinationibus, quas rebus obviis vel inesse observamus, vel ex aliis observatis iisdem inesse concludimus, colligimus, ad quodnam genus, vel ad quamnam speciem res nobis obvia referri debeat, quatenus determinationes illas easdem omnino agnoscimus cum illis, quæ definitionem nominalem ingrediuntur (c). Sunt igitur notiones fœcundæ vi definitionis nominalis, quam de fœcunditate eruimus (§. 2). Hujus fœcunditatis autem non minor est utilitas, quam illius, de qua primo loco diximus. Quemadmodum enim prior disciplinas veritatibus utilibus locupletat; ita hæc multiplicem fert earundem in vita usum (d).

§. 4. Ad notiones fœcundas porro Notionum fœcundarum altera classis. referimus propositiones determinatas, quarum prædicatis positis ponuntur alia ejusdem rei prædicata: id quod ra classis. multiplici modo contingit. Etenim velposito prædicato absoluto alicujus sub-

(c) §. 1211 Log. (d) §. 1112 Log.

subjecti ponitur prædicatum absolutum
 aliud; aut posito prædicato hypotheti-
 co ponitur prædicatum hypotheticum
 socium, vel posito prædicato absoluto,
 superaccedentibus determinationibus
 accidentalibus sive intrinsicis, sive ex-
 trinsicis, ponitur prædicatum hypo-
 theticum, vel denique posito prædicato
 hypothetico superaccedentibus deter-
 minationibus accidentalibus adhuc a-
 liis, ponitur prædicatum hypotheticum
 aliud minime socium. Prædicata hy-
 pothetica socia appello, quæ rei sub ea-
 dem determinatione subjecti tribuen-
 da veniunt; minime socia voco, quæ
 sub diversa subjecti determinatione ei-
 dem conveniunt. Prædicata ista, quæ
 positis prædicatis propositionum po-
 nuntur, ex propositionibus eodem pror-
 fus modo colliguntur, quo ex defini-
 tionibus concludimus prædicata. Eo-
 dem itaque sensu fecundæ dicendæ
 sunt, quo definitiones fecundæ appel-
 lantur. Enimvero propositiones quo-
 que sunt notiones determinatæ perinde
 ac definitiones, quæ subjectum cum suis
 determinationibus & prædicato, quod
 inde concluditur, repræsentant. Ea
 sola

sola differentia inter definitionem ac propositionem intercedit, quod in illa non contineantur rei prædicata, quorum unum per alterum determinatur, in hac vero talia quoque prædicata occurrant, quæ determinantur per alia simul inexistencia. Sed hæc differentia in præsentia non venit attendenda, neque enim obstat, quo minus propositiones eodem jure in numerum notionum referantur, quo definitiones referri solent, nec quicquam impedit, quo minus ex iis eadem ratiocinandi forma alia colligantur, quemadmodum ex definitionibus colligantur. Sunt igitur quoad ea, quæ in fecunditate spectanda sunt, eadem. Ceterum hinc elucet, ut disciplinæ a sterilitate liberentur & notionibus fecundis locupletentur, definitionibus exasciatis accedere debere propositiones determinatas. Unde porro consequitur philosophiam evadere fecundam, quando ad usum vitæ aptatur, quoniam huic usui apta esse nequit, nisi ad definitiones accuratas & propositiones determinatas revocetur (e). Et quoniam Jura civilia

(Hor. (subs. 1730.) L in

(e) Vids Trim. brum, A. 1729 Num. I,

in definitiones justas & propositiones determinatas itidem resolvuntur, ubi in formam demonstrativam rediguntur, quemadmodum paulo ante ostendimus; eadem quoque fecunda fiunt, dum methodo demonstrativa proponuntur.

*Ufus no-
tionum
fecunda-
rum.*

§. 5. Restat ut dicamus de usu notionum fecundarum. Et si omnes definitiones accuratae & propositiones determinatae sint notiones fecundae; notionibus tamen fecundis usus omnis tribui nequit, qui a definitionibus accuratis & propositionibus determinatis manat, sed is tantummodo in praesentem censum venit, quem habent definitiones ac propositiones istae, quatenus sunt fecundae. Definitiones ac propositiones fecundae sunt, quatenus determinationes singulae rei ad eam pertinentes sigillatim propriis suis nominibus ita efferuntur, ut ex iis concatenata ratiociniorum serie alia ejusdem rei praedicata colligi queant, quae sunt quasi germina ex semine prodeuntia, dum agro fertili committitur (§. 2.). Notionum itaque fecundarum is potissimus usus est, ut veritates a priori erui possint, atque

que adeo in quocunque disciplinarum genere continuo ulterius progredi liceat ad novas veritates hæcenus incognitas investigandas. Ipsa experientia hunc usum confirmat. In universa Mathesi Indies novæ continuo veritates eruuntur, ita ut singulæ ipsius partes novis inventis & Mathesis ipsa integris disciplinis locupletentur. Sane in Mechanica tot præclara habemus inventa veteribus ignorata, immo ad quæ profectum illorum temporum ipsis aditus præcludebatur, ut aliam prorsus induerit formam, magisque differat Mechanica recentiorum a Mechanica veterum, quam ab infante homo, ubi ad virilem ætatem pervenit. Veteres in Mechanica de potentiis tantummodo mechanicis seu machinis simplicibus ea demonstrabant, quæ facilia sunt, usi *Archimedis* principiis de æquiponderantibus. Addidit vero *Galileus* theoriam de motu æquabili & æquabiliter accelerato ac retardato seu gravium motu, de motu projectionis & resistentia solidorum; *Hugenius* theorias sublimes de motu pendulorum, centro oscillationis, motu corporum ex percussione; *New-*

tomus de viribus centripetis & resisten-
 tia mediorum : quæ inventa Mathematico-
 rum diversis meritis celeberrimo-
 rum *Jacobi* ac imprimis *Joannis Ber-*
noulli, Mariotti, Varignonii, Herman-
ni aliorumque opera ulterius perfecta
 fuere. Similiter Astronomia recentior
 post inventa *Copernici, Kepleri, Cassini*
 aliorumque & *Tychonis Braheii, Heve-*
lii, Cassini, Flamstædii aliorumque obser-
 vationes novam prorsus faciem induit.
 Alia silentio prætereo, cum incremen-
 ta disciplinarum mathematicarum ne-
 mo in dubium vocare possit, nisi idem
 fuerit in omni historia Matheseos pror-
 sus peregrinus ac hospes. Quod in-
 tegræ disciplinæ accesserint, probat
 Dioptrica, a *Keplero* primum inventa,
 ab *Hugenio* imprimis ad eximium fasti-
 gium evecta, fundamento a *Willebror-*
do Snellio jacto; probat Aërometria,
 nostra opera in artis formam redacta, ut
 peculiarem locum inter disciplinas ma-
 thematicas mereatur; probat imprimis
 Algebra recentiorum, quæ ab Algebra
 veterum adeo differt, ut pro diversa
 prorsus ab hac disciplina merito ha-
 beatur. Jam vero si quæsieris, cur Ma-
 the-

thematici tantos tamque felices continuo faciant progressus, rationem non aliam deprehendes, quam quod utantur notionibus fecundis, sterilibus prorsus profligatis. Nondum ea est temporum nostrorum felicitas, ut de disciplinis philosophicis & Facultatibus superioribus eadem pari jure prædicare liceat. Notionibus igitur fecundis in philosophiam & Facultates superiores introductis cessabunt mutilatae & deformatæ repetitiones ac inanes altercationes novisque inventis locupletabuntur thesauri generis humani. Est & alius usus notionum fecundarum, qui consistit in applicatione earundem ad casus in vita communi obvios. Quemadmodum enim notionibus fecundis utimur in disciplinis ad investigandas veritates universales; ita eodem utimur in negotiis vitæ & aliis quibuscunque casibus obviis ad inveniendas veritates singulares, quibus in determinandis actionibus & ferendis judiciis de rebus singularibus opus habemus. Sed cum de his jam abunde dixerimus, cum de philosophia ad publicam privatamque u-

L 3

tili-

tilitatem aptanda ageremus (f); non opus est ut plura de hoc usu commemoremus.

IV.

*De officio hominis erga alios juxta
mandatum Joannis Luc. III. II.*

§. I.

*Officium
hominis
erga alios
quibus
verbis
Joannis
contineatur.*

Officium hominis erga alios præcipit Joannes his verbis ex versione vulgata: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat.* Verba hæc non minus, quam ea, quibus officium hominis circa injurias præcipit Christus (g), præcipere videntur, quæ a ratione aliena sunt: quod ut distinctius exponamus opus non est, cum facile unusquisque capiat, quæ inde consequantur incommoda, si litteræ verborum inhærere velit. Hinc & Hammondus in Paraphrasi sibi persuadet, quod hic a Joanne præcipitur non esse commune hominum officium, sed eminentem quendam virtutis gradum hominibus respicientibus commendandum. *Præcipiebat, inquit, Jo-*

(f) Vide Trim. brum. A. 1729 n. I, (g) Vide Trim. Vernal, A. 1729 n. V.

Joannes summam liberalitatem, caritatem misericordiamque in eos, qui veniam egebant. Enimvero si nostrum interpretandi morem sequaris, quem in Logica præscripsimus, notio verbis Joannis non alia respondet, quam qua commune hominum officium erga alios contineri in Moralibus demonstravimus,

§. 2. Præcipit Logica (h), non alias ^{Sensus} in Scriptura sacra supponi posse notio- ^{verbo-} nes, quam quæ a rebus præsentibus ab- ^{rum lo-} strahuntur. Unde consequitur ex con- ^{annis in-} textu dijudicandum esse, qua de re lo- ^{vestiga-} quatur *Joannes*, & attentione in eam ^{tur.} conversa dispiciendum esse, quænam in ea discernantur a ceteris, quæ sensum litterali congruum pariunt. Eadem igitur via incedendum, quam calcavimus, cum verba Christi officium hominis circa injurias præscribentia expendere-
mus (i), Ex contextu facile apparet, sermonem *Joanni* esse de omni officio hominis erga alios tanquam resipiscen-
tiae signo. Etenim vir divinus reprehendebat in iis, qui ab ipso baptizari volebant, virtutis defectum & mores ab ea-

L 4

dem

(h) §. 272 Log. (i) Vid. Trim. cit. N. cit. §. 2.

dem alienos, utque hos mutarent præcipiebat. Quare cum eundem interrogarent, quid facere teneantur, mores pristinos mutaturi; interrogantibus respondebat, qui habet duas tunicas, eum dare debere unam non habenti ullam, & qui habet escas, similiter facere debere. Liquet igitur, aut *Joannem* responsione sua non satisfecisse querentibus, aut verbis ipsius tribuendum esse significatum generalem, quem res exempli loco prolatae tanquam species involvunt. Quod si vero verba generaliter accipias aut per interpretationem extensivam, ut phrasi *Jctorum* utar, ad omnes casus speciales ea extendas, qui cum dato, de quo verba loquuntur, sub eodem genere respectu prædicati aut officii, quod inculcatur, continentur; officium omne hominis erga alios iisdem contineri debere extra dubitationem positum est. Enimvero quoniam sic nondum satisfacit responsio interrogantibus, cum ab impietate pravisque moribus resipiscens non tantummodo officia erga alios, verum etiam erga seipsum ac inprimis erga Deum colere debeat; quæ de officio erga alios præcipit

cipit *Joannes*, ea accipienda sunt tanquam signum respicientiæ. Atque ita abunde constare arbitror, quam de re accipienda sint verba *Joannis*, ut adeo nil amplius restet, quam ut in rem istam attentionem nostram convertamus, quæque in ea deprehendimus ad verba illa referamus. Vestimenta & escæ sunt res, quibus homines ad necessitatem vitæ ita indigent, ut iis carere non possint. Et in hoc vestimenta & escæ inter se conveniunt, quod rei utriusque indispensabilis fit necessitas ad vitæ conservationem. Homo vitam suam corporisque sanitatem ac vigorem conservare tenetur ipso jure naturali. Vestimentis itaque & escis opus habet, ut officiis jure naturali præscriptis satisfacere possit. Quare si ponamus, esse hominem, qui caret vestimentis atque escis, nec habet, unde sibi vestimenta & escas comparare valeat; eum supponimus statum, in quo ipsi defunt subsidia necessaria ad officia jure naturali præscripta adimplenda. Porro qui habet duas vestes & escas plures, quam quibus ad famem explendam indiget; is eo in statu est, quo absque neglectu officii sui alteri suppeditare valet subsidia,

L 5

qui-

quibus adjutus & ipse faciat, quæ sunt officii sui. Quamobrem casus, quem supponit *Joannes*, hic est. Duo sunt homines, quorum unius ea est conditio, ut non modo habeat subsidia, quibus ipsemet ad explenda officia jure naturali præscripta opus habet, verum etiam eadem sunt alia, quibus ipsemet minus indiget; alterius vero ea forse est, ut careat istis subsidiis, neque eadem sibi comparare valeat. In eo autem casu jubet vir divino afflatu correptus, ut prior suppeditet alteri subsidia, quibus is opus habet ad satisfaciendum obligationi suæ naturali, quæ vero sibimetipsi comparare non valet. Qui legem naturæ intimius rimantur, illis abunde perspectum est, huc omne hominis officium erga alios redire. Nos sane in hoc principium incidimus, cum principium juris naturalis de officiis hominis erga alios ex primo juris naturalis principio erueremus (k). Officia igitur hominis erga alios accuratissime determinat *Joannes*, ut in specialibus casibus nunquam a veritate aberrare possis. Facies enim alteri quod debes in omni casu, si quod

(k) §. 770 Mor.

quod facies per hanc regulam demonstrare queas, nec quicquã omittes, quod vi ejusdem a te fieri debebat. Ecce tibi inexpectatam in verbis Baptistæ communibus & intellectu facillimis profunditatem! Attende vero simul ad artificium singulare, quo menti clare exhibentur ut intuitiva ratione agnoscantur, quæ in abstracto distincte enunciata difficilius comprehenduntur. Perpende denique, quod applicatio regulæ, quam in officiis erga alios adimplendis adhibere tenemur, beneficio idæ a *Joanne* suscitæ fiat facillima & in potestatem plebis redigatur, quæ beneficio notionis abstractæ nonnisi ab iis fieri potest, qui intellectum satis exercitatum habent. Neque enim regula *Joannis* usus alia re opus habet, quam ut casum obvium ad casum a *Joanne* indigitatum referat & ex notionum confusarum collatione de similitudine casuum statuatur idem facturum in casu altero, quod Baptista præcipit in uno. Ponamus enim, esse quendam, qui aliqua in re consilium capere nequit, cujus tamen capiendi necessitas ipsi imponitur. Eadem erit ejus conditio, quæ est hominis veste carentis, quæ nud-

nuditatem corporis tegat. Ponamus porro esse alium, qui ipsi consilium suppeditare valet. Eadem erit hujus conditio, quæ est hominis veste quadam abundantis, qua alter habet opus. Hic igitur illi si consilium candide impertitur idem facit, quod facit alter vestem, qua abundat, illi dans, qui nullam habet. Regulæ igitur *Joannæ* in quovis casu facilis est applicatio, si personis a Viro divino commemoratis substituas eas, de quibus quæstio est, quid una alteri naturali obligatione debeat, vestibus vero ea, in quibus una alterius indiget auxilio.

*Conne-
xio regu-
lae Joan-
nis cum
amore
proximi.*

§. 3. Ut vero intelligatur, quomodo actio huic regulæ juris naturalis conveniens proponi possit tanquam signum resipiscentiæ; ante demonstrandum, quomodo regula ista cum amore proximi connectatur, quem tanquam seipsum amari jubet Scriptura sacra. Equidem in philosophia morali (1) jam explicavimus, quando nam proximum tanquam nosmetipsos amemus: non tamen inconsultum erit in usum demonstrationis repeti, quæ ad eam comprehendendam sufficiunt. Amamus alterum,

(1): §. 774-775 Mor.

rum, quando ex felicitate ipsius voluptatem percipimus. Alterum igitur amamus tanquam nosmetipsos, si ex felicitate ejus eam percipimus voluptatem, quam percepturi eramus, si nostra esset felicitas, qua fruitur alter. Quod si vero ex felicitate alterius eam voluptatem percipimus, quam ex eadem percepturi essemus, si nobis propria esset; quin & alteri præstemus id, quo maxime indiget, quando a nobis præstari potest, dubitari nequit. Regula ergo *Joannis* determinat actiones ex amore proximi fluentes, quando cum amamus tanquam nosmetipsos. Perinde sane est, ac si is docuisset, quænam a nobis fieri debeant, ut alterum tanquam nosmetipsos amemus, signumque infallibile hujus amoris indicasset actiones externas ex illo fonte profluentes. Provide simul regula *Joannis* distinguit actus sinceros amoris erga proximum signa ab actibus simulatis. Neque enim aliam rationem urget, cur alteri succurrere debeamus, quam quod nostro auxilio indigeat & nos eidem auxilio esse valeamus. Quod si vero quis ad præstandum alteri auxiliû non alio motivo utitur, quam alterius indigentia & pro-

propria potentia; is utiq; ita dispositum habere debet animum, ut ex hominis cuiusque felicitate eam percipiat voluptatem, quam ex propria percipere valet. Fluit igitur præstatio auxilii ex amore sincero, quo hominem quemvis complectitur. Hæque in re imitatur Deum, ad quem imitandum nos hortatur Christus (m): etenim & Deus homini indigenti benefacit, cum benefacere possit, sepositis rationibus, ob quas beneficio indignus reputari poterat.

*Respi-
scentia
signum.*

§. 4. Atque ita demum intelligitur, quomodo actus a Joanne præcepti sint signum resipiscentiæ. Etenim signum amoris sinceri sunt, quo proximum complectimur (§. 3). Illo amore imitamur Deum (§. cit.). Qui vero Deum imitatur, is ex perfectionibus ipsius voluptatem percipit. Qui ex perfectionibus divinis voluptatem percipit, is eum amat. Quamobrem in homine, qui Deum agnoscit agnitumque colit, amor proximi sincerus cum amore Dei connectitur, consequenter actus, qui amorem proximi pro-

(m) Matth. V. 45.

produnt, simul amorem Dei loquuntur. Satisfecit igitur *Joannes* responsione sua querentibus ex ipso, quid facere teneantur, si respiscere velint & ut ipso opere probent, quod respuerint, seu mores pristinos perversos correxerint, ut in attentione ad litteram acquiescenti respondisse videatur, quæ non satisfaciunt, immo quæ prorsus paradoxa videntur. Quemadmodum vero jam anno superiori (n) monuimus, illum verborum Christi atque Autorum sacrorum sensum oppido profundum detecturum esse, qui philosophiam nostram probe excultam cum legibus verioris methodi in Logico opere expositis conjunxerit & methodo utendi facultatem sibi comparaverit; ita in præsentis exemplo sane illustri idem confirmavimus ac pluribus in posterum confirmaturi sumus.

CON-

(n) Trim. Vern. N. V. §. 5.

CONSPECTUS

TRIMESTRIS BRUMALIS.

I.

*De Voluptate ex virtute perci-
pienda,* I

II.

*De Jurisprudentia civili in for-
mam demonstrativam redigen-
da,* 84

III.

De Notionibus fecundis, 105

IV.

*De officio hominis erga alios juxta
mandatum Joannis Luc. III. II.*
166

Finis Trimestris Brumalis.

HORÆ SUBSECIVÆ
MARBURGENSES

ANNI MDCC XXX.

QVIBUS

PHILOSOPHIA

AD

PUBLICAM

PRIVATAMQVE UTILITATEM
APTATUR.

AUTORE

CHRISTIAN. WOLFIO.

POT. SUECORUM REGIS, HASSIÆ LANDGRA-
VII CONSILIARIO AULICO, MATHEMATUM AC
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PRIMARIO IN ACA-
DEMIA MARBURGENSI, PROFESSORE HONO-
RARIO PETROPOLITANO, SOCIETATUM
REGIARUM BRITANNICÆ AC BORUS-
SICÆ SODALI.

TRIMESTRE VERNALE.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ MDCCXXXI.
PROSTAT IN BIBLIOP. RENGERIANO.

HORÆ SUBSECIVÆ
MARBURGENSES

Anni M D CC XIX.

Trimestre Vernale.

L

*De Voluptate ex virtute christiana
 percipienda.*

§. 1.

CUM in Trimestri superiori (a) de voluptate ex virtute percipienda ageremus; de voluptate quoque singulari, quæ ex virtute christiana percipitur, nos ex instituto dicturos esse promisimus (b). Fidem igitur nostram liberaturi in prærogativas inquireremus, quas habet virtus christiana præ naturali, hoc est ea, quæ beneficio luminis naturalis agnoscitur. Quæ enim de voluptate ex virtute percipienda in genere tradita fuere, ea maxime ad virtutem christianam applicari debent, propterea quod in virtute christiana adsit,

*Institu-
 tum Am-
 toris.*

M 2

quic-

(a) N. I. p. 1 & seqq. (b) loc. cit. §. 17

quicquid de virtute rationis lumine assequi datur. Non igitur jam repetemus, quæ nuper satis discussa sunt: sed singularia tantum dabimus, quæ virtuti christianæ soli conveniunt. Si qui virtute christiana fuerint instructi, illi ad se attenti voluptatem, de qua loquemur, actu percipient dictorumque veritatem in se ipsis experientur. Si qui vero eadem adhuc destituti fuerint, vel nondum multum in eadem profecerint: dulcedine hujus voluptatis capientur, quamvis eam nondum degustent, cum eandem in se nondum percipiant.

*Difference
virtutis
christianæ
&
naturalis.*

§. 2. Virtutem naturalem appellamus eam, quam lumine naturali usi agnoscimus, quatenus scilicet denotat habitum actiones suas legi naturali conformiter determinandi, & motiva ab intrinseca actionum honestate & turpitudine, aut, pietate philosophica superaccedente, ab attributis divinis desumuntur. Ab eadem differt virtus christiana, quatenus Spiritus S. eandem in mente fidelium operatur, & motiva a veritatibus revelatis desumuntur, novaque accedit obligatio ab opere redemptionis. De prima differentia satis a Theologis expen-

penſa ut dicamus opus non eſt: ſed quoniam differentias poſteriores hæcenus pro dignitate non expenderunt, qui de Theologia morali commentati ſunt, eadem tamen in præſenti negotio omne punctum ferunt; ut de iis nonnulla annotemus, quibus ad ſequentia intelligenda opus eſt, e re eſſe videtur. Actiones externæ quando legi naturali conformes ſunt, a diverſis motivis, quibus appetitus determinatur, ortum trahere poſſunt. Atq; inde eſt, quod virtus chriſtiana a philoſophica materialiter differre poſſit, quemadmodum in philoſophia morali (c) indicavimus, & in Notis ad orationem de Sinarum philoſophia præctica (d) uberius docuimus. Qui ex virtute naturali agit, quæ legi naturali conformia ſunt, iſ aliis motivis uti nequit niſi veritatibus lumini naturali perviis. Quantumcunque autem intellectum excolueris, non alia lumine naturali aſſequeris, quæ appetitui determinando inſervire queant, niſi ea, quæ ex actionibus ſive in ſe ſpectatis, ſive ſub datis circumſtantiis conſequentur, & attributa præterea divina in

M 3

Théo-

(c) §. 675 Mor. (d) paſſim.

Theologia naturali explicari solita. Quamobrem nec alia ipsi esse possunt motiva, quam quæ ab intrinseca actionum humanarum honestate ac turpitudine atque divinis attributis, quatenus beneficio rationis agnoscuntur, desumuntur. Qui vero ex virtute christiana agit, motiva desumit non modo ab attributis divinis, quatenus ea per revelationem divinam innotescunt & per œconomiam gratiæ comprobantur, verum etiam ab ipso opere redemptionis, ut actiones nostræ in universum omnes tendant ad gloriam Dei atque Christi (c). Tendunt autem actiones ad gloriam Dei atque Christi, si per eas probemus, nos habere Deum pro ente illo summo atque perfectissimo, Conditore ac Conservatore universi, auctore salutaris, & Christum pro Salvatore generis humani. Status adeo animæ toto cœlo differt in homine christiano & alio, qui principiis religionis naturalis tantummodo imbutum habet animum, a principiis religionis autem revelatæ prorsus vacuum, vel instar *Confuci* prorsus non agnoscit nisi intrinsecam actionum honesta-

(c) 1 Cor. X. 31.

nestatem ac turpitudinem, utut actio externa eadem sit & ad virtutem, non ad vitium referatur in quocunque subjecto. Virtus autem in mente residet, cum actio externa ad speciem componi possit, ut sit juri naturæ consentanea, ex habitu tamen interno vitioso procedat. Quamobrem virtus in diversis subjectis, etsi nomine eadem, ex diverso illo mentis statu discernenda venit, ex quo actiones externæ tanquam rivuli ex fonte suo profluunt. Equidem si actionem externam integram rite æstimare noveris, prout ad vultum, gestus, vocem & sermonem simul, non vero solum ad legem naturæ tanquam normam respicias; pro diverso mentis statu interno, illam quoque non prorsus eandem deprehendes: nondum tamen philosophia & theologia moralis ad id fastigium evecta, ut de consensu vultus, gestuum, vocis ac sermonis cum statu animæ certum detur in omni casu judicium. Erit tamen tempus, quo dabitur, quando nostro more philosophabuntur homines & ad veritates præterea revelatas in Systema veri nominis redigendas animum applicabunt. Sed antequam de his cogitemus, philo-

sophia moralis magis adhuc excolenda erit, quatenus actiones per genuina motiva determinandas exhibet, & Theologia inprimis moralis ad eam formam revocanda; quod quin fieri possit tanto minus dubitandum, quanto notius est clarissimi nominis Theologum *Bajerrum* (f) jam indicasse viam, qua fit eundem. Quando opera legi divinæ conformia per motiva a veritate revelata petita determinantur, tunc veræ fidei fructus sunt: neque enim veritates divinitus revelatæ per modum motivorum influunt in appetitum, nisi quatenus assensu salutari easdem complecteris, ut non modo certus sis vera esse & a Deo revelata, quæ ex Scriptura sacra didicisti, verum etiam eadem ad te statumque tuum applicare studeas. Atque hinc sua veluti sponte patet, quod bona opera sequantur fidem, neque adeo cadant nisi in hominem regentem. Hæc nobis differentia hic loci inprimis attendenda venit, ubi de gradibus voluptatis sermo est, quæ ex virtute percipitur. Etsi autem virtus christiana plurimum differat ab ea, quæ ipso rationis lumine agnosci-

(f) In Compendio Theologiæ moralis.

scitur; eadem tamen in illa quoque ad-
sunt, quæ in hac commendantur. Ne-
que enim negliguntur s̄b homine chri-
stiano motiva, quæ ab actionum intrin-
seca honestate ac turpitudine desumun-
tur, & quæ ab attributis divinis petun-
tur, quatenus per naturæ opera agno-
scuntur & comprobantur. Atque mo-
tivis istis inprimis utitur ad appetitum
a vitio retrahendum, cum inde intelli-
gatur, quam parum id deceat hominem
christianum, quod homini sibi relicto est
dedecori. Sane ipsa Scriptura sacra
conjungit motiva, quæ ab honestate ac
turpitudine actionum intrinseca petun-
tur, cum iis, quæ ab attributis divinis &
redemptionis opere desumuntur. Ita ju-
bemur abstinere a nimio vini potu, quod
is secum juxta paraphrasin *Hammondi*
omnes libidines trahat (g). Ecce igitur
tibi motivum vitandæ ebrietatis de-
sumtum ab intrinseca actionis turpitu-
dine! Bibere jubemur in gloriam Dei
(h): id quod alia ratione fieri nequit,
nisi quatenus actus bibendi determina-
tur per motiva ab attributis divinis de-

M 5 sum-

(g) Eph. V. 18. Conf. Annotat. ad v. 18.

(h) 1 Cor. X. 31.

sumta, quemadmodum alibi (i) demonstravimus & ex anterioribus colligitur. Ecce igitur tibi motiva desumta ab attributis divinis, quæ urget Scriptura sacra. Jubemur vitare ebrietatem, quia ebrii regnum Dei non possidebunt (k), hoc est, juxta paraphrasin *Hammondi*, nunquam consequentur coronam, quam Christus suis pollicitus est, sed cum divite epulone in infernum detruentur. Ecce tibi motivum, quod desumitur a justitia Dei vindicativa, qualem œconomia salutis exhibet sapientiæ legibus a Deo adstrictam (l). Poteramus idem probare generaliter, si quidem opus esset. Sane Apostolus (m) increpat Gentes, quod Deum non coluerint tanquam Deum. Urget igitur, ut, qui Deum per contemplationem operum naturæ agnoscit, suis operibus testetur, se Deum habere pro ente istiusmodi perfectionibus instructo, quibus eam eminere probat hoc universum. Jubet Scriptura Deum amare, quod prior nos amaverit, quatenus filium suum dedit redemptorem generis humani (n). Utitur

(i) 9. 654 Mor. (k) 1 Cor. VI, 10. (l) Marc. XVI, 16. (m) Rom. I, 21 (n) 1 Joh. IV. 19.

tur adeo ipsa Scriptura sacra motivis ab opere redemptionis petitis. Enimvero non opus est, ut hæc uberius deducamus, quæ a nobis aliorsum probanda hic sumuntur. Restat igitur ut de tertia differentia dicamus, quæ inter virtutem christianam & eam, quæ vi luminis naturalis agnoscitur, intercedit. Consistit ea in singulari obligatione, quæ ex opere redemptionis descendit. Etenim ad illas ipsas actiones, ad quas jure naturali obligamur, postquam a Christo redempti sumus, etiam ideo obligamur, quia ab eodem redempti sumus. Satis hoc probatur a Theologis, a quibus hoc principium in rem nostram assumere liceat. Ex hac vero obligatione fluit, quoad bona opera, hoc est, actiones legi conformes proficisci debeant ex grato in Deum Christumque animo, fiantque animi hujus grati signa, ita ut actionem legi divinæ contrariam committere nolit homo christianus, ne fiat in Deum redemptorem ingratus.

§. 3. Ex his jam primum colligitur, *Cur voluptatem, quæ ex virtute christiana percipitur, multo majorem esse debere altera, quæ ex sola naturali percipitur,* *hoc* Cur voluptas ex virtute christiana percipitur

peret
eam, quæ
ex actu.
rali per-
cipitur.

hoc est ea, quæ nititur motivis a sola honestate intrinseca actionum legi conformium & turpitudine intrinseca oppositarum, quæ legi diffformes sunt, atque attributis divinis lumine naturali agnitis defumtis: hanc enim virtutem naturalem in oppositione ad christianam seu supernaturalem appellare lubet. Nostrum vero jam non est inquirere, multo minus decidere, quantum homo naturæ solis viribus usus in virtute ista proficere possit. Quando de voluptate, quæ ex virtute percipitur, sermo est, eam in statu puræ possibilitatis consideramus, quoniam voluptas est prædicatum absolutum, quod vi intrinsecæ possibilitatis eidem convenit, hoc est, vi illarum determinationum, per quas possibilitas intrinseca constituitur. Agedum itaque! exponamus paulo distinctius, quomodo per antecedentia, quæ de differentia virtutis naturalis & christianæ dicta sunt, intelligatur voluptatem, quæ ex virtute christiana percipitur, multo majorem esse debere altera, quam ex naturali percipere licet. Virtus naturalis solis nititur motivis, quæ ab intrinseca actionum honestate ac turpitudine de-

su-

sumuntur, atque iis, quæ ab attributis divinis solo naturæ lumine agnitis derivantur. Virtus christiana etsi aliis motivis adhuc utatur, illa ipsa tamen non respuit, sed simul cum ceteris conjungit. Quamobrem virtus christiana naturalis una complectitur, sed præterea aliquid amplius idque multo præclarior: id quod in progressu apparebit. Quare quicquid ex virtute naturali percipi potest voluptatis, tantopere deprecandum a philosophis, qui lumine rationis bene usi fuerunt, illud totum ex virtute quoque christiana percipitur. Quatenus tamen virtus christiana aliquid amplius multoque excellentius continet, aliud præterea voluptatis genus ex ea percipi debet, quale ex naturali hauriri impossibile est. Virtute adeo christiana qui fruitur, non modo voluptate perfunditur, quam virtus naturalis spondet; sed simul alia multo exquisitiori, quam mox distinctius delineaturi sumus. Dico animum uno eodemque tempore perfundi utraque voluptate: quod quomodo fieri possit, paulo distinctius exponendum. Voluptas, quæ vel ex sola virtute naturali

per-

percipitur, multiplex est, quemadmodum nuper docuimus (o). Singulæ voluptates simplices suas habent rationes quas nuper indicavimus de virtute naturali, nunc vero de christiana exposaturi sumus. Illis sigillatim positæ singulæ initio sigillatim excitantur (p). Enimvero ubi aliquoties excitatæ fuerint, animum subire nequit virtutis aliqujus memoria, quin singulæ simul excitentur, quatenus nimirum notio confusa, quæ menti objicitur, rationes illas singulas continet, utut distincte nullo intuitu comprehendere non possint. Plures igitur voluptates simul excitatæ voluptatis gradum majorem constituent, non secus ac in uno eodemque mobili plures gradus celeritatis una impressi majorem gradum celeritatis exhibent. Jam per demonstratam voluptas ex virtute christiana orta sociam habet voluptatem ortam ex virtute naturali. Illa itaque voluptas hac multo major esse debet. Loquimur, quæ rationi conformia sunt, quod Ontologia & Psychologia principia intimius perspecta probant.

(o) In Trimm. bram. anni præf. n. 1. (p) §. 118 Ontol.

bant: loquimur etiam, quæ experientie consentanea deprehendimus. Quare nulli dubitamus, fore ut eadem in se experiantur, si qui eam ad se attentionem afferre possunt, quæ ad talia a se invicem distinguenda requiruntur, quæ in mente nostra nobis insciis successu temporis confunduntur.

§. 4. Est adhuc alia ratio, ob quam voluptas, quæ ex virtute christiana percipitur, longe superat alteram, quam quis ex naturali capere potest. Etenim ex principiis Psychologicis constat, gradum voluptatis pendere a gradu certitudinis nostri de perfectione rei iudicii. Major adeo voluptas est, si certiores fuerimus, actiones nostras fluere ex habitu virtutis, nec externa saltem specie legi naturali conformes esse. Jam vero major convictio concipi nequit ea, quam Spiritus S. in fidelibus operatur; dum intellectum in assensum veritatum revelatarum trahit. Quamobrem cum virtus christiana tota quanta nitatur motivis, quæ in veritatibus, quas fide divina amplectimur, consistunt, maximus quoque in virtute christiana locum habet voluptatis gradus, qui a certitudine
judi-

judicii nostri pendet. Hinc vero simul offenditur, ipsam illam voluptatis partem, quæ ex virtute christiana percipitur, quatenus cum naturali materialiter convenit, multo majorem esse, quam ubi ex naturali percipitur. Voluptas enim illa nititur certitudine judicii de honestate ac turpitudine intrinseca actionum. Hoc vero judicium majorem habet certitudinis gradum, si assensus debetur operationi Spiritus S. quam ubi naturali evidentia nititur. Major itaque est voluptas, quæ ex virtute percipitur ob honestatem actionum legi conformium & turpitudinem eidem difformium intrinsecam, si virtus christiana fuerit, quam ubi tantummodo naturalis fuerit. Obiter monemus, falli eum, qui sibi persuaserit, turpitudinis actionum intrinsecæ perperam haberi rationem, ubi nobis cum voluptate ex virtute percipienda res fuerit, propterea quod ex illa tædium percipiat homo virtutis amans utpote vitiorum osor: neque enim perpendit, vi legis oppositorum honestatem actionum intrinsecam fieri clariorem, quatenus consideramus damna ex actionibus oppositis redundan-

dantia, quæ beneficio virtutis evitantur, & nos gaudere, quando cogitamus damna virtutis beneficio a nobis evitata. Non inconsiderate loquimur, etsi non semper fieri possit, ut extra systema demonstremus principia, quibus ad alia probanda utimur. Si quis enim eorum veritatem intime perspicere voluerit, is philosophiæ nostræ operam navet &, quicquid in eadem didicerit, per examina comprobare studeat; nec erit quod in claritate ac evidentia illorum amplius desideret. Alia ratione ad eandem perveniri non posse, in dubium non vocabit qui attenta mente comprehendit de successiva assensus generatione anno superiori (q) a nobis stabilita. Id autem prorsus singulare est, quod iudicium hominis christiani de actionum intrinseca honestate & turpitudine multo certius sit, quam hominis sola ratione utentis, etsi illud inevidens sit, hoc vero evidentia rationis nitatur: quod antequam ostendamus, differentia paulo distinctius explicanda venit, cujus hic mentionem injicimus. Evidentia rationis nititur iudicium de intrinseca honestate

(*Hor. (sub). 1730.*)

N

ac

(q) *Frim, Vern. n. III.*

ac turpitudine actionum, si rationes perspicimus, cur actio aliqua sit intrinsece honesta, altera eidem opposita intrinsece turpis: per eas enim intelligimus, cur illa potius pro honesta, quam turpi, hæc autem potius pro turpi, quam honesta habenda sit (1). Judicium vero inevidens est, quando equidem nobis constat, actionem aliquam esse intrinsece honestam, aliam intrinsece turpem, cur tamen illa honesta sit, hæc turpis, non intelligimus. Quando solo rationis lumine utimur, intrinsecam actionum honestatem ac turpitudinem non aliter agnoscimus, nisi per ea, quæ ex ipsis in se spectatis necessario consequuntur, vel sub datis quibuscunque circumstantiis consequi debent, consequenter per rationes, ob quas intrinsece vel honestæ, vel turpes sunt. Judicium igitur nostrum evidens est, quod de intrinseca actionum honestate ac turpitudine ferimus. Enimvero homo christianus assensum suum resolvit in auctoritatem Dei dicentis, quem esse omniscium atque veracem cum fide immota teneat, eidem actionem prohiben-

(1) §. 56 Ontol.

benti, aliam præcipienti fidem habet ac prorsus convictus est illam esse intrinsece turpem, hanc honestam, aut, si malis, illam esse malam, hanc vero bonam, etsi non intelligat, cur illa turpis, hæc honesta sit, nec ad ea animum advertat, quæ ex utraque actione necessario consequuntur. Judicium igitur ejus hoc in casu inevidens est, quamvis non repugnet idem esse evidens, quemadmodum ex superioribus abunde intelligitur. Ponamus autem casum inevidentiæ! Tanta in eodem certitudo est, quanta est homini christiano de omniscientia & veracitate Dei, quæ attributa in locum rationum cedunt, quibus nititur certitudo judicii evidentis de intrinseca actionum honestate ac turpitudine. Ecquis vero dubitet cum convictio de omniscientia & veracitate Dei pendeat ab operatione Spiritus S. in homine regenito, qualem hic supponimus, certitudinem ejus de omniscientia & veracitate Dei esse majorem, quam hominis solo rationis lumine utentis de iis, quæ ex actionibus in se spectatis necessario consequuntur, aut sub datis quibusvis circumstantiis consequi debent. Atque

N. 2

hinc

hinc patet cur homo christianus ex virtute & actionibus inde fluentibus majorem voluptatem percipere debeat, quatenus eadem tantummodo ut bonæ spectantur, etsi de earum honestate inevidens sit ipsius judicium, quam homo rationis solo lumine utens, cujus judicium rationis evidentia nititur. Absit tamen, ut quis hinc colligat, homini christiano rationes, cur actiones sint honestæ, cur turpes, esse negligendas. Etenim superius ostendimus, in ipsa Scriptura sacra nos juberi advertere ad eas animum. Unde colligitur, Deum in actionibus aliis præcipiendis, aliis prohibendis ad eas respexisse: id quod & aliis modis ex principiis Scripturæ sacre demonstrari potest. Quamprimum igitur vel beneficio rationis, vel ipsa experientia discimus rationes, cur actio aliqua intrinsece bona, vel mala sit; mox ratiocinio mixto inferimus pertinere has actiones ad illarum numerum, quas quia Deus prohibuit, declaravit malas, vel quia præcepit, significavit esse bonas. Dico autem ratiocinium mixtum, quod partim principia rationis, partim principia revelationis ingrediuntur. Ita
VERO

vero evidentia rationis evehitur ad gradum certitudinis fidei, atque hinc patet, quod ipsa ratio illuminetur & cur rationi illuminatae prærogativa præ ea, quæ non illuminata est, sit concedenda. Jam igitur homo christianus, qui evidente iudicio utitur in actionibus bonis a malis separandis, majore voluptate perfunditur, quam alius, qui in iudicio inevidente acquiescit, quatenus voluptas naturalis evehitur ad gradum supernaturalis. Paucis multa diximus, de quibus ampla instituenda foret tractatio, si ad eam evidentiam forent singula reducenda, ad quam veritates reducere in systemate suevimus: sed diffusior eorum explicatio a præsentis instituto aliena est.

§. 5. Qui ex virtute christiana agit, motivis utitur veritatibus revelatis, & si quando motiva adhibet veritates naturales, eas tamen mixto ratiocinio ad gradum certitudinis veritatum revelatarum evehit, ut his æquipolleant. Multiplex igitur illa voluptas, quæ ex cognitione veritatum revelatarum percipitur (s), ei se sociam jungit, quam ex virtute percipit homo christianus. Dum

*Voluptas
tum ex
cognitione
ne veri-
tatum re-
velatarum
percipitur
& eorum
qua ex
virtute
christiana
percipiuntur,
vo-
confusio.*

N 3

(s) Vide Trim. Autumn. A. 1729 n. I.

voluptates ex diversis causis ortæ in unam confunduntur, voluptatis gradus fit major. Quare voluptas, quæ ex virtute christiana percipitur; major evadit, ubi cum voluptatibus, quæ ex cognitione veritatum revelatarum percipiuntur, ita confunditur, ut mixta quædam inde prodeat voluptas, quemadmodum soni a diversis instrumentis musicis simul editi in unum confunduntur, ut mixtus quidam prodeat sonus animum magis demulcens suavitate sua, quam singuli figillatim facere solent. Sentiant hanc voluptatem, qui veritates revelatas assensu divino amplectuntur, & virtuti christianæ totos sese dedunt; sed quæ in mixta illa voluptate confunduntur, a se invicem distinguere nequeunt. Tum demum a se invicem separare licet, quæ intime invicem permiscuntur, ubi a priori demonstraveris, vel experientia didiceris, quænam simplices voluptates in hoc vel isto casu gignantur, consequenter tum simul concurrere debeant, ubi ob rationes plures simul locum habere advertis. Hanc viam nos ingressi sumus ad discernendas voluptates simplices, quarum quasi in unam coali-

coalitione aut, si mavis, confusione nascitur mixta sensui interno obvia. Idem nimirum obtinet, quod in sono mixto accidit, dum plures simplices a diversis instrumentis musicis simul eduntur. Qui sonum mixtum percipit auditu, nec videt instrumenta musica, a quibus simplices eduntur, is illum non resolvet in simplices; ast qui novit, quænam hic instrumenta musica tangantur ad sonum quendam mixtum producendum, ei quoque spectum est non modo quod simplices in unum confusi gignant mixtum, verum etiam quinam simplices confundantur. Neque vero arbitrator fore quenquam, qui existimet, voluptates simplices in unam confundi minime posse, quemadmodum soni simplices in unum confunduntur, propterea quod voluptates singulæ nascantur ex singulis notionibus, quarum mens sibi conscia esse debet. Voluptas enim nascitur ex notionibus confusis, notionibus autem confusæ non sunt nisi plures, quarum una nobis conscii sumus. In ipso sono mixto, de quo diximus, singulorum sonorum perceptiones confusæ sunt, quæ simul perceptionem

N 4

nem

nam confusam totalem constituunt, neque aliter hujus nobis conscii sumus, nisi quatenus particularium istarum simul nobis conscii sumus. Talia satis manifesta sunt ex principiis nostris Psychologicis.

Voluptas
orta ex
indivul-
su nexu
pietatis
& vir-
tutis.

§. 6, A virtute naturali pietas philosophica separari potest, ita ut motiva tantummodo petantur ab intrinseca actionum honestate ac turpitudine, non vero simul ab attributis divinis. Exemplum habemus in *Confucio*, magno illo Sinarum philosopho, qui per omne vitæ suæ tempus a prima pueritia usque ad extremam senectutem in virtutis studio continuus fuit, cum tamen distincta Dei cognitione destitueretur, & ab erroribus Gentilium in majestatem Numinis injuriis immunem haberet animum, aliis motivis usus non est, quam quæ ipsi nascebantur ex actionibus ad seipsum aliosque homines atque Remp. relatis, ut nec in seipsum, nec in alios injurius videri posset, boni autem civis nomen mereretur. Hinc & Theologi virtutem naturalem honestatem externam justitiamque civilem appellare solent. Magna vero imperfectione laborat virtus,

tus, si a pietate sejungatur, ut Deus non amplius singulis omnino hominum actionibus tanquam Deus colatur: quæ de re paulo inferius plura dicemus. Enimvero virtus christiana a pietate nunquam seungi potest. Sane homo christianus potissimum utitur motivis ab attributis divinis desumptis & actiones alias appetit, alias averfatur, quod illas voluntati Numinis conformes, has difformes seu contrarias esse norit non tam sui, quam Dei rationem habens in actionibus suis. Atque ideo non sibi hominibusque aliis vivit homo christianus, sed Deo, etsi hoc ipso, quod Deo vivat, ea faciat, quæ ad sui aliorumque hominum salutem pertinent, suamque ac generis humani felicitatem magis promoveat, quam qui sibi aliisque hominibus vivunt a cultu Numinis alieni. Præterea homo christianus singularem quendam usum facit honestatis ac turpitudinis intrinsecæ actionum, a qua sola motiva petuntur in virtute naturali a pietate philosophica sejuncta. Etenim rationibus, quæ inde petuntur, utitur ad refellendas objectiones, quasi Deus nobis imponat jugum durum, ut-

N 5 que

que confirmetur in amore Numinis, quatenus agnoscit Deum legislatorem patris personam non mutare, nec nisi ea prohibere, quæ nobis aliisque nocua sunt felicitatique adversa, ea vero jubere, quæ ad eandem conducunt (t). Præbent adeo ista motiva, quæ ab actionum honestate ac turpitudine intrinseca desumuntur, media voluptatem, quæ ex virtute christiana percipitur, ilibatam conservandi adversus illecebras & irritamenta malorum. Enimvero sive istum pietatis cum virtute christiana indivulsum nexum, sive hunc honestatis ac turpitudinis intrinsecæ singularem usum spectes; materiam gaudendi virtus christiana præbet. Ostendimus nuper pietatem, si tantummodo philosophica fuerit, omnem virtutem ad majorem gradum elevare, ut exquisitior inde percipiatur voluptas (u). Quare cum prærogativa, quam paulo ante vindicavimus virtuti christianæ, præ naturali etiam pietati theologicæ præ philosophica conveniat; pietas profecto theologica virtutem ad præ-

(t) Vide §. 58 & seqq. (u) Trim. brum. A. præf. n. l. §. 15.

præclarum magis gradum evehere debet, ut exquisitissima inde percipiatur voluptas. Quoniam itaque pietas a virtute christiana inseparabilis; voluptatis istius compotes fiunt, quotquot virtuti christianæ dediti sunt, non tantummodo videntur: qui enim videntur, non sunt, fructus percipere nequeunt ex virtute, quam non habent, provenientes. Gaudemus, dum experimur, quam bene nobis consuluerimus, quod nos ab aliis seduci passi non fuerimus, nec bonorum apparentium fallacia decepti in actiones nocuas consenserimus. Quare cum eadem in se experiatur, qui per honestatis ac turpitudinis intrinsecæ rationes animum a malo avertit & ad bonum attentionem conservat; hunc vero honestatis ac turpitudinis intrinsecæ actionum usum faciat virtutis christianæ strenuus cultor; illius quoque gaudii quin idem particeps fiat fieri profecto non potest. Objiciet forsitan aliquis, virtutis quoque naturalis cultorem istum honestatis ac turpitudinis intrinsecæ usum facere posse. Norunt enim actiones bonas esse felicitatis medium; malas vero infelicitatis genetricem. Nec ideo se ab aliis

aliis seduci patiuntur, quod de veritate ista convictum habent animum: immo eadem de causa bona vera apparentibus præferunt. Quæ igitur de virtute christiana prædicantur, ea in naturalem quoque convenire videntur. Enimvero quavis ad speciem composita sit objectio, acutiores tamen duplicem prærogativam virtutis christianæ præ naturali perspiciunt, quam eidem recte opponunt. Usus iste virtuti christianæ constanter adhæret, etiamsi ipsa honestatis ac turpitudinis intrinsecæ ratio distincte non agnoscat: id quod superius dicta animo attento recolenti palam fieri debet. In virtute autem philosophicâ nunquam locum habere potest, nisi ubi honestatem ac turpitudinem intrinsecam distincte agnoveris, nec de eadem dubii quicquam superfuerit. Quantum vero ex eo limitetur usus tam præclarus abunde perspiciunt, quotquot perpendunt, quam arduum ac difficile, immo nonnunquam impossibile sit distinctam eamque certam intrinsecam honestatis ac turpitudinis sibi comparare notitiam: ut adeo homo sibi facile imponi patiatur a bonis apparentibus audiatque vocem seductricem. Et in

his præterea casibus, ubi ille locum habere potest, non tamen semper habet: cujus cum varix allegari possint causæ, unam nunc quidem commemorasse nobis sufficiat. Honestate ac turpitudine intrinseca actionum ad refellendam apparentiam boni & vincenda irritamenta malorum uti nequit, nisi qui eo tempore, quo hunc illius facere usum debet, illius recordatur &, dum recordatur, attentionem ad eandem conservat. Nec quilibet attentionis gradus hic sufficit, sed singularis quidam requiritur, quo claritas idearum conservatur, quibus illa exhibetur. Quam vero difficilis sit opportuna honestatis ac turpitudinis intrinsecæ recordatio, & quanto adhuc difficilior deprehendatur attentionis ad eandem conservatio, nemo illorum ignorat, qui in philosophia nostra, præsertim morali, probe versati & quæ ibidem a nobis demonstrata intellexerunt per experimenta propria confirmarunt. Cessat autem ista difficultas in homine christiano, siue recordationem spectes, siue attentionem ad ea, quorum recordaris, conservandam; utriusque enim sufficiens semper adest ratio.

tio. Actiones is ideo appetit, quod eas
 novit voluntati Dei convenientes; alias
 ideo averfatur, quod eas novit volunta-
 ti Dei contrarias. In genere certa fide
 tenet, Deum non obligare hominem ad
 ea, quibus infelix redditur, nec prohibere,
 quæ ad felicitatem consequendam
 conducunt. Quamobrem quoties de
 actione patranda, vel omittenda cogi-
 tat, toties quoque animum subit cogi-
 tatio, utrum ea fit voluntati Numinis
 consentanea, an eidem repugnet. Quo-
 ties de eo cogitat, quod actio fit volun-
 tati Numinis conformis, vel quod ei-
 dem repugnet; toties quoque recor-
 datur, illam sibi fore proficuum, hanc
 nocuum. Fieri adeo haud quaquam
 potest ut, quoties vel apparentia bona
 eidem fucum faciunt, vel homines per-
 versi eum seducere tentant, honestatis
 ac turpitudinis intrinsecz non recorde-
 tur. Quoniam vero actionis bonæ con-
 formitas cum voluntate divina, malæ
 autem repugnantia cum eadem stimu-
 lus est, quo ad illas appetendas, ad has
 vero averfandas utitur, quemadmo-
 dum vel *Josephi* exemplum probat,
 cum castitatis præclarum ederet speci-
 men

men (x); attentionis quoque ad honestatem actionum atque turpitudinem earundem intrinsicam conservandæ rationem habes sufficientem, eamque semper præsentem, ut adeo attentionem non conservari absurdum existimari debeat (y). Deficit autem istiusmodi stimulus in virtutē naturali, ubi non alia habemus motiva, quam quæ ab intrinseca honestate ac turpitudine desumuntur, ut adeo eadem rationum loco esse non possit, cur attentionem ad eandem conservemus. Notandum porro venit secundo loco, quod homini christiano rationes ab intrinseca honestate ac turpitudine desumptæ fortius præbeant præsidium adversus irritamenta malorum & persuasiones hominum seductorum, quam ubi quis a virtute christiana procul adhuc remotus in sola naturali acquiescit. Etenim christianus divina Spiritus S. operatione convictus pro certo habet, actionem hanc sibi esse bonam, illam vero esse malam; homo vero solis naturæ viribus cognitionem de honestate intrinseca ac turpitudine sibi comparans vel a priori perspicit, actionem

(x) Gen. XXXIX. 9. (y) 9. 118 Ontol.

nem hanc esse bonam, illam malam, vel experientia magistra idem didicit. In priori casu non modo omnis formido oppositi longissimo intervallo abest, verum etiam extra omnem dubitationis aleam posita est sententia: in casu autem posteriori evidentia raro tanta est, ut nulli prorsus scrupuli animo injici queant, & si vel maxime de veritate iudicii dubium supersit nullum, multis tamen exceptionibus locus admittitur, per quas attentio ab eo divertitur, quod appetitum in bonam partem determinare debebat. Ecquis ergo dubitet, in honestate ac turpitudine intrinseca actionum fortius præsidium esse homini christiano adversus sensus, imaginationem atque affectus, quod malum est, suadentes, quam homini in notitia naturæ viribus acquisita acquiescentia. Quod si christianus ad ea, quæ hæcenus a nobis explanata sunt, animum advertit suamque prærogativam sane in signem præ aliis hominibus agnoscit, qui istis virtutum auxiliis destituuntur; quin de meliori conditione latetur dubitandum non est. Hæc autem lætitia cum accedat ad voluptatem, quam is ex virtute per-

percipit; eodem, quo supra, modo liquet, eam mirifice amplificari debere.

§. 7. Ex virtute ipsa & actione ex eadem profluente voluptatem percipit; qui ex virtutis habitu agens mentis actionem in actionem suam dirigit, quatenus virtus perfectionem hominis loquitur (2). Quoniam voluptas major est; quo majoris perfectionis nobis conscius sumus; ut intelligatur, quod voluptas ex virtute christiana percepta plurimum superet eam, quæ ex naturali percipitur; non alia re opus quam ut ostendatur; virtutem christianam multo perfectiorem esse naturali. Nostrum igitur est; ut hanc differentiam distincte exponamus & præjudicia removeamus, quæ nonnullorum animos occuparunt. Si qua enim in re præjudicia nocent, virtutum incremento nocua deprehenduntur. . . Quamdiu homo non satisfacit obligationi omni, virtus ejus aliqua adhuc imperfectione laborat: quæ profecto tanto major est, quo plures ea in re defectus notari possunt. Quod si ponamus agentem ex habitu virtutis ex se satisfacere obligationi suæ, nihil in ea

Voluptas, quæ ex ipsa virtute christiana percipitur.

(Hor. *subs.* 1730.) O de-

(2) Trim. bram, an. præf. n. I, §, 8.

desiderari amplius poterit. sed perfectissima cenferi debet: minor igitur evadit perfectio, quo minus obligationi omni fatisfit. Sumo autem hic obligationem passive: quo sensu activæ opponitur, cujus effectus est. Quemadmodum enim obligatio active sumta denotat actum, quo quis alteri necessitatem quandam moralem agendi imponit, adeoque, si definitionem realem desideres, connexionem motivi cum actione: ita ex adverso obligatio passiva denotat in agente necessitatem moralem agendi hoc potius, quam alterum oppositorum, adeoque, si definitionem realem desideres, impulsum ad agendum per motiva cum actione connexa. Sed hac de re paulo post data alia occasione plura dicemus. Nunc ad rem nostram redeamus! Ad unam eandemque actionem variis modis obligamur, ita ut obligatio dividi possit in varias quasi partes. Obligamur qua homines ad vitam naturæ nostræ convenientem; obligamur qua creaturæ ad illustrandam gloriam Dei; obligamur qua servi ac subditi Dei ad vitam voluntati ejus conformem; obligamur qua christiani ad vitam
ho-

homine christiano dignam, cui ultimæ obligationi plures insunt, ut ulterius quasi in partes discerpi possit: id quod ex sequentibus magis elucescet. Actio tum demum perfecta censeri potest, si homo eandem edens satisfacit omni obligationi, ita ut eadem actione se probet tanquam hominem ratione utentem, tanquam creaturam creatorem suum venerantem, tanquam servum ac subditum Domino ac Regi suo obedientem, tanquam christianum beneficium redemptionis agnoscentem & ratione illuminata utentem. Hisce obligationibus simul satisfacere nequit, qui christianus non est. Quomodo enim satisfaceret obligationi, quam ne quidem agnoscit. *Confucius* non obstante summo studio, quod per omnem vitam in virtute sibi comparanda posuit, vix tamen aëno ætatis septuagesimo sibi id affectus videbatur, ut obligationi naturali satisfaceret, qua se hominem ratione in dirigendis actionibus utentem probaret, sponte nimirum quasi sua appetitu rationali cum sensitivo consentiente, quod etsi in homine non alio nisi rationis lumine utente, nec aliis adminiculis

adjuto, summopere laudandum ; virtutem tamen arguit valde imperfectam, quæ adeo tantam parere nequit voluptatem, qua perfectior animum sui cultoris perfundit. Ignoravit philosophus, quænam sit vita creaturam rationalem decens, distincta cognitione Dei destitutus. Quamobrem etsi gloriam Numinis non obscuraverit inter gentilium, absurdas de Deo opiniones foventium, quibus actiones ex obligatione naturali fluentes contaminabantur, ut ne huic quidem satisfieri posset; non tamen eam illustravit, adeoque de obligatione illustrandi gloriam Dei per actiones suas in universum omnes ne cogitavit quidem, tantum abest ut eidem satisfacere conatus fuerit. Quoniam vero ex eo voluptatem percepit, quod se vitam homine dignam agere atque adeo obligationi naturali satisfacere intelligeret; nullum profecto dubium est, quin ex eo quoque voluptatem adhuc majorem percepturus fuisset, si gloriam Dei a se illustrari atque adeo obligationi creaturæ rationalis, nec non obligationi, qua homo tanquam servus ac subditus Dei tenetur, satisfactum fuisse intellexisset.

set. Equidem non repugnat, ut homo solo rationis lumine usus agnoscat relationem, quæ inter Deum & creaturam intercedit, & obligationem ad gloriam Dei illustrandum, quemadmodum ipsimet illud in Theologia naturali, Metaphysicæ parte, hoc in philosophia morali ex principiis rationis demonstravimus; non tamen idem eadem facilitate fieri potest ab hominibus, ad quos veritatum revelatarum nulla pervenit notitia: id quod exemplum Sinarum, quibus nulla cum aliis gentibus consuetudo intercessit, abunde probat, confirmat quoque exemplum paganorum nescio quæ absurda, quæ scelera atque flagitia de Deo affirmantium. Si quis puriorem de Deo doctrinam ex principiis revelatis hausit, is, quæ ex rationis lumine agnosci possunt, ex rationis principiis demonstrare poterit, modo methodi artifex fuerit principiisque philosophicis instructum habuerit animum, etsi ex iisdem principiis sibi perspectis eadem deducere haud quaquam potuisset, immo prorsus non deducturus fuisset. Facilius veritates inventæ demonstrantur, quam nondum inventæ

eruntur, Quodsi vero ponas agnosci ab homine Dei existentiam atque attributa divina, agnosci obligationem ad illustrandam gloriam ejus; non tamen ideo pollet habitu illustrandi gloriam Dei, quem facilius Spiritus S. gratia assequetur. Sane cum opus redemptionis ardua præbeat atque valida motiva gloriæ divinæ illustrandæ, quod ex sequentibus colligetur; facilius quoque homo christianus gloriam Dei illustrabit, quam homo sibi relictus. Accedit, quod illustratio gloriæ divinæ in homine christiano plurimum differat ab eadem, quæ cadit in hominem solo rationis lumine utentem, propterea quod in illam influit redemptionis opus & salutis œconomia, quo ipso singulæ notiones motivorum munere fungentes ac pendent inde appetitus plurimum variantur. Diversa igitur præsertim est voluptas, quam ex illustratione gloriæ divinæ percipit homo christianus, quam alius, qui solo rationis lumine utitur. Enimvero perfectior quoque est virtus christiana, quatenus simul satisfacit obligationi ad Deum tanquam redemptorem & autorem salutis æternæ venerandum, ita

ut

ut eundem omnibus omnino actionibus tanquam redemptorem salutisque æternæ autorem, quemadmodum pietate philosophica tanquam creatorem ac rectorum universi colamus. Quemadmodum vero voluptas ex cultu Numinis tanquam creatoris & gubernatoris universi plurimum incrementi capit, ita majora adhuc capere debet ex eo, quod eum veneremur tanquam redemptorem & datorem salutis æternæ. Abunde igitur patet ex virtute christiana tanquam multo perfectiori voluptatem percipi multo majorem, quam ex naturali percipi potest, etiamsi ponamus eam ad summum gradum, quem concipere datur, evectam. Rationem diversitatis factis distincte exposuimus, ut eam in dubium vocare non possit, nisi qui principia theologiæ revelatæ ignoraverit; experimentum vero in seipso capiet, qui virtute christiana instructus acumine pollet, ut separare possit voluptates simplices in mixta ex diversis fontibus fluentes: quod etsi non facile sit, haud quaquam tamen inter impossibilia referri debet. Huc etiam quadantenus facit, si quis dans operam, ut virtus,

qua pollet, continua capiat incrementa, ad diversos animi status diu attentum conservet animum, præteritorum olim recordaturus eisdemque cum præsentem collaturus, Obiter monemus ex præsentem tractatione elucere, quam desint homines officio suo in iis, quæ veram ipsorum felicitatem adaugerent: neque enim datur felicitas, nisi quæ in sincera voluptate animi consistit, quæ & durabilis est, & innocua.

*Voluptas
ex virtute
christiana,
percepta
quatenus
actiones
ex amore
Dei
profluunt*

§. 8. Postquam in genere ostendimus, virtutem christianam naturali multo perfectiorem esse, atque adeo voluptatem parere, quæ alteram ex naturali perceptam longissimo intervallo post se relinquit; ad specialia quædam descendendum est, ex quibus virtuti christianæ socia voluptas insignia profus capit incrementa. Primum igitur observamus, Deum per opus redemptionis omnemque œconomiam salutis omnium luculentissime demonstrasse suum erga nos amorem (a) & amorem hunc nos obligare ad Deum vicissim amandum (b), ita ut singulæ nostræ actiones sint amoris divini signa. Indignum scili-

(a) Joh. III. 16. (b) I Joh. IV. 19.

scilicet reputamus, facere quid voluntati Numinis adversum, quod tanto amore nos complecti maxime convicti sumus. Exquisitissimum vero voluptatis genus est, quo animus perfunditur, dum actiones ex amore Dei tanquam fonte ita profluunt, ut detestemur simul oppositas tanquam eidem maxime exosas. Non aliud Deus toto redemptionis opere intendit, quam ut in æternum simus felices. Necessè igitur est, ut ex nostra felicitate percipiat voluptatem. *Ecquis ergo dubitet Deum amare genus humanum, dum redemptionis opus meditatur? Neq; enim amor consistit nisi in animi dispositione percipiendi voluptatem ex felicitate alterius. Ex ipsa itaque amoris notione fluit, Deum ideo nos amare, quod nos per christum redimi curaverit. Fieri autem non potest, quin nos ex eo voluptatem percipiamus, quod Deus tantopere nos amet, quodque sit in salutem nostram adeo pronus. Quare cum constet, nos amare eum, in quo deprehendimus quidpiam ex quo voluptatem percipimus, quodque nobis gratum accedit; quin Deum iterum amemus,*

mus, fieri profecto non potest. Si qui enim sunt, qui nomen christianorum profitentur, nec tamen amore Dei exardescunt, quoties opus redemptionis meditantur, illi profecto veritatem revelatam divino assensu nondum complectuntur, neque, de eadem convicti eam ad se applicant. Sicuti enim impossibile judicat *Joannes* (c), ut quis Deum agnoscat, nec tamen amet; ita non minus impossibile, ut quis assensum præbeat veritati revelatæ de opere redemptionis totaque œconomia salutis, nec tamen Deum christumque amet. Jam vero constat ex amore fluere sollicitudinem animi, ne quicquam a nobis fiat, quod voluntati personæ amatæ contrariatur, nec omittatur, quod eidem gratum atque acceptum esse novimus. Quamobrem amor quoque Dei nos impellit, ut faciamus quæ ipsi accepta sunt, omittamus quæ ipsi displicent. Quoniam itaque ad actiones committendas atque omittendas obligamur, quando motiva tanquam stimulus urgent appetitum; amor omnino Dei per opus redemptionis in Christo

nobis

(c) 1 Joh. 11. 4.

nobis demonstratus ad actiones committendas, malas omittendas nos obligat. Sufficit itaque homini christiano, ut norit, has actiones Deum præcipere, illas prohibere, nec alia opus ipsi est obligatione, quam quæ nascitur ex amore Dei. Neque vero difficilis est demonstratio, voluptatem esse prorsus singularem, qua perfunditur animus amore erga Deum inflammatus, quem amor Dei erga nos in Christo nobis demonstratus excitat atque fovet. Constat nimirum in genere, omnes omnino actiones hominum alium longe supponere hominis statum, ubi ex amore profluunt, quam ubi ab aliis motivis derivantur. Experiuntur idem parentes, quoties ipsis cum liberis suis negotium est, quos sincere amant: experiuntur quoque idem liberi, quoties ipsis cum parentibus res est, quos amant, & quoties amore impelluntur ad ea agenda, quæ ipsis probantur, alia vero omittenda, quæ displicent. Si quis vero fuerit acutior, ut in penetralia mentis penitus introspicere possit, is a priori comprehendere valet, quæ per experientiam in uno casu observantes ad
fimi,

similem trahimus. Et quoniam casus, a quorum uno ad alterum fit argumentatio, non adeo similes sunt, quin plurimum adhuc diversitatis ab acutioribus deprehendatur; per rationes a priori detegimus, quæ attentioni nostræ alias sese subducunt. Omnis amor voluptatem quandam in se alit, pro diversitate rationum, ob quas in objectum aliquod tendit, nunc majorem, nunc minorem; id quod cum a posteriori patet, tum ex ipsa ejus notione liquet. Amor adeo quoque Dei voluptatem in se alere debet. Immo rationes hujus amoris in specie idem loquuntur. Oritur enim ex redemptionis opere, quo Deus attributa sua luculento modo manifestavit, ita ut idem inspiciens sensum perfectionum divinarum in se habeat. Quare cum ex sensu perfectionis oriatur voluptas, eadem profecto animus perfundi debet, quoties opus redemptionis meditantibus Dei in nobis amorem gigni experimur. Hinc vero jam liquet, voluptatem istam fore tanto majorem, quo solertius inquirimus, quomodo per opus redemptionis comprobentur attributa divina. Non inutilem igitur operam
sume-

fumeret, qui attributa divina singula ex opere redemptionis demonstraret, quemadmodum ex opere creationis seu argumentis a contemplatione universi petitis in usum pietatis philosophicæ demonstrari debet. Augent istiusmodi demonstrationes ad captum omnium componendæ Dei in nobis notitiam, ut inde continuo magis magisque inflammetur Dei amor atque hic solus sufficiat ad appetitum in eam partem flectendum, in quam secti debet. Ecce tibi fidem oculatam ejus, quod paulo ante asseruimus, scilicet quod in rationes amoris divini a priori inquirens advertat, quæ alias attentionem ipsius facile effugiunt. Porro cum actiones ex amore Dei profluunt, ex his ipsis certissimis signis colligimus nos amare Deum adeoque per eas amoris erga Deum in nobis flagrantis fumus conscii. Amor Dei cum naturam mentis humanæ tanto magis perficiat, quo major ipse fuerit; ex sensu quoque amoris divini voluptas nascitur, quæ illam, de qua priori loco diximus, suaviter alterat, quemadmodum sonus instrumenti musici sono alterius junctus eundem alterare solet,

etfi

etsi hic prævaleat. Quoniam ex opere redemptionis simul innotescit summum, quo Deus malas actiones hominum prosequitur, odium; amor autem sollicitudinem animi parit nil quicquam faciendi, quod Deo vel tantillum displicet; cui opus redemptionis amorem erga Deum instillavit, quin is summum quoque actionum pravarum odium concipere debeat, fieri nequit. Amor igitur Dei non flectit appetitum in bonam partem, nisi ut eundem quoque fortiter retrahat a parte mala. Vim istam in nobis sentientes singularis cujusdam perfectionis nobis conscii sumus, atque adeo hinc quoque oritur suavissima in mente voluptas, tanto quidem major, quo detestatio mali major fuerit. Auget ea in nobis mali detestationem bonumque propositum fortius firmat. Ceterum singularitatis sensus in nobis clarior redditur in voluptatis inde ortum trahentis incrementum, ubi perpendimus esse fructum ex meditatione operis redemptionis enatum, quo adeo carere debent quotquot idem vel ignorant, vel non credunt, vel non satis, nec pro dignitate meditantur. **Ecce tibi sti.**

stimulum, quo blande instigamur ad seriam operis redemptionis meditationem. Prodest adeo continuo intellectus appetitui sua notitia ad virtutis incrementum; prodest vicissim appetitus sua virtute intellectui ad notitiam amplificandam, utrobique voluptate mediatrice.

§. 9, Opus redemptionis summa Dei in nos beneficia loquitur: id quod extra omnem dubitationis aleam positum nemo non agnoscit, qui veritatem ejus in dubium minime vocat. Beneficia, dum perpenduntur, amorem excitant, in quo gratum erga benefactorem animum consistere constat. Actiones igitur hominis christiani fluunt ex grato in Deum animo atque hujus sunt fructus, qui tanquam signa certissima eundem aperte loquuntur. Ad actiones suas attendens homo christianus cum grati in Deum animi sit sibi conscius, quæ naturam ejus mirifice perficit, voluptate perfunditur. Magnitudo beneficiorum a Deo nobis præstitorum, tum quod mundo redemptorem dare voluerit, tum quod nos ad ejus notitiam perduxerit, tum quod fidem in nobis accenderit, cujus ope illorum participes red-

Voluptas percipienda ex virtute christiana, quatenus actiones ex grato in Deum animo fluunt.

dimur bonorum, quæ per Christum par-
ta sunt, animum gratum augent; quod
adeo ut fiat illam solerter meditari debe-
mus. Quo major fuerit animus gratus,
eo magis ardet studium bonorum ope-
rum. Ardor ille tanquam effectus ani-
mi grati ejus signum est, ut illum perci-
pientes hujus quoq; sensum habeamus.
Conducit adeo ad id, ut gradum animi
grati percipiamus, consequenter ut vo-
luptas ex illo percepta majora capiat in-
crementa. Dum intelligimus nos non
alia ratione animum gratum pro tot ac
tantis beneficiis Deo præstare posse,
quam ut faciamus ea, ad quæ facienda
absque istis beneficiis obligamur, immo
ad quæ nostra nos obligat felicitas, tri-
stitiæ quædam species se gaudio nostro
jungit, quatenus dolemus, in facultati-
bus nostris non esse ut meliori quodam
modo animum gratum testari quea-
mus. Illa quidem tristitia non tollit vo-
luptatem, de qua ante diximus, sed eam
tantummodo alterat, ut singulari qua-
dam blanditiæ animum demulceat. Im-
mo eadem gaudium prorsus accendit,
ut eo magis efferamur, quam absque il-
la fieri posset; utrumque nec a sensu
pror-

prorsus alienum est etiam inexpertis. Etenim tristitia illa assimilatur ei, in quam resolvuntur parentes liberos impense amantes ob gaudium ex tenerrimo in ipsos amore profluens, vel etiam isti, quam in hominibus magno quodam bono præter omnem expectationem potitis, dum gaudentes vel lachrymas effundunt, observare datur. Cui vero non exploratum est, minime molestas, sed suaves esse lachrymas præ nimio gaudio effusas? Quod si vero insigni ardore testandi animum gratum flagramus, nec tamen in nobis reperimus facultates, quibus id fieri possit; gaudio profecto summo efferimur, data bene agendi occasione: id quod in aliis quoque casibus fieri observamus, ubi dolentes de occasione animum gratum alteri testandi arripimus ambabus manibus eam, qua vel utcunque eundem testari nobis datur. Opera bona, quæ ex grato in Deum animo profiscuntur, & quibus eundem testari intendimus, ea sunt, ad quæ etiam alias jam obligamur. Quare cum homo christianus anhelet media, gratum erga Deum animum testandi, nec quicquam in se re-

(*Hor. (sub). 1730.*)

P

pe-

periat, quo id fieri possit, suæ quippe indigentia sibi optime conscius quodque Deus ens summe perfectum ac prorsus immutabile sibimetipsi abunde sufficiat probe perpendens; non potest non insigniter gaudere, quod Deus opera nostra imperfecta & a nobis debita in tesseram animi grati accipere velit; ut sic voti nostri quodammodo competes fiamus. Quoniam vero ideo Deum non possumus non amare, amor ad gaudium istud accedens suavissime ipsum alterat, ut tenerrima hinc nascatur voluptas, tranquillum animum singulariter refo-cillans.

*Voluptas
ex eo
percipi-
enda,
quod Deo
placeant
nostra
imperfec-
ta opera*

§. 10. Quod si omnem obligationem, qua ad eandem actionem legi conformem tenemur, intimius perspectam perpendis, satis superque intelliges, quam imperfecta sint bona nostra opera, cum vix reperire licuerit aliquam actionem, quæ universæ obligationi satisfaciat, & in qua non aliquid deprehendatur, quod jure reprehendas. Quo in actionibus trutinandis acutior fueris, eo plures defectus detegere licebit. Apparet hinc usus insignis philosophiæ moralis, qualem nos tradimus, & theologiæ moralis ad

ad eam formam revocanda, quam in antecedentibus indigitavimus. Neque enim solum id præstat, ne tibi videaris qui non es, verum etiam & cujuslibet actionis ad normam legis compositæ defectus acute detegas. Qui defectus in actionibus suis detegit, imperfectionis sensum habet, adeoque radium inde percipit. Obstare hoc videtur voluptati ex virtute percipienda & obstat sane in homine, qui vel saltem nomine, vel nec re, nec nomine christianus est; at in homine christiano & voluptatem auget, & humilitatem gignit. Etenim christianus, qui vera fide tenet veritatem revelatam, novit se cum Christo uniri per fidem & vi hujus unionis ipsi imputata Salvatoris perfecta obedientia tolli defectus actionis propriæ, ut ita imperfecta opera transeant in perfecta, quæ sola Deo placere possunt. Atque ita clarissime perspicitur, cur nemo Deo placere possit nisi in Christo & cur hominum a fide in Christum alienorum opera Deo placere nequeant, qui infinita intellectus vi ad ea dijudicanda usus innumeros defectus perspiciat, qui requisita ad bonum, quæ adsunt,

plurimum superant. Qui vero Deo placebit id, cuius imperfectionem intime perspiciet? Equis vidit artificem, cui placeat opus alterius, qui artifex non est, plurimis mendis obnoxius? Homo igitur rationem perspicuens, si eius nostra Deo opera placeant, gaudium perfunditur & exultat, quod Deum ad eum benignum experiatur & amore erga Deum tanto magis exardescit, quanto clarius benignitatem eius sibi representat. E-
nimvero dum defectus actionis propria agnoscit, minime sibi placet, nec se ob opera sua super alios effert. Atque ita humilitati studet procul ab omni animo elato. Plurima hic dicenda forent, nisi nimis multa e Theologia præsupponi deberent, de quibus jam dicere non est nostri instituti.

*Voluptas
percipi-
enda ex
remune-
ratione
gratuita
bonorum
operum
& spe
salutis
æternæ.*

§. II. Constat homini christiano, quinam sit futurus hominum status post hanc vitam, cum eundem prorsus ignoret homo sibi relictus. Novimus præterea Deum propter fidem in Christum bona nostra opera post hanc vitam remuneraturum. Cum nullum majus bonum concipi possit æterna illa beatitudine, quam Christus suis promi-
fit

fit post hanc vitam; nulla quoque voluptas major, nullum gaudium majus concipi potest, quam quod ex spe illius enascitur. Quamobrem cum homo christianus, quicquid agat, prospiciat beatitudinem olim venturam, eminens illa voluptas, summum istud gaudium actionum suarum fit socium: quo ipso voluptas ex virtute christiana percipienda ad id fastigium evehitur, ut, quæ ex virtute naturali provenire potest, perinde ac lumen minus a majore profus obfuscetur. Quantum valeat gaudium ex spe certissima vitæ æternæ, qua lætantur christiani, percipiendum, omnium optime colligitur ex læto Martyrum inter exquisitissimos cruciatus animo. Gaudium istud, quod dolorem intensissimum obfuscat, ut ne sentiatur quidem, tale profecto sit necesse est, ut cum eo aliud comparari neutiquam possit. Nullum igitur dubium est, quin idem fortius stimulet appetitum, quam motiva alta solitaria facere possunt. Extra omnem quoque controversiam positum intelligitur, inflammari inde amorem Dei & ex aliis causis, de quibus in antecedentibus dictum, enatum

ad gradum multo sublimiorem: **evehit.**
Amor Dei magis in animo Christiani
 exardescens: statum ejus ad singularem
 quandam tranquillitatis speciem redu-
 cit, ut beatitudinem aeternam sibi prae-
 sentire videatur, cum non detur ex cau-
 sa alia in his terris animi status, cum
 quo is conferri possit. Accedit, quod
 homo christianus: prospiciat quoque
 poenas aeternas ob male facta hominibus
 post hanc vitam a Deo iudice justo in-
 fligendas. Inde actionum malarum
 turpitudinem intimius perspicit &
 quam sint noxiae intelligit. Augetur
 adeo in ipso earundem odium: quod no-
 va incrementa capit ex amore Numi-
 nis, quatenus ex eo simul colligit, quan-
 tum Deo displiceant mala hominum o-
 pera. Quemadmodum vero hoc re-
 medio praesenti utitur adversus vitia, ut
 se ad ea a virtutis tramite abripi non
 patiat; ita ad actiones suas verae in
 Christum fidei fructus, propter quam
 Deus eas olim remuneraturus, respi-
 ciens gaudet, quod a periculo liber sit,
 cui sese exponunt, quotquot vitiis dedi-
 faciunt, quae Dei voluntati repugnant.
Multo magis igitur huc trahenda sunt,
 quae

quæ in superioribus de incremento voluptatis ex damnis, in quæ vitia hominem præcipitem dant, enato (d) dicta sunt. Ex his igitur nemo non clarissime videt, quantum virtus christiana præstet naturali, si vel maxime concedamus, eam pietate philosophica stipatam esse & hominem rationis lumine utentem ad eam pervenire posse, & quod multæ voluptatis capax sit christianus, quæ in hominem non christianum minime cadit.

§. 12. Quæ nuper de voluptate ex virtute aliena percipienda diximus (e), ea potiori jure ad virtutem christianam applicari possunt. Etenim christiani

amore infucato se invicem prosequuntur, cujus singularia habent motiva, veluti exemplum & mandatum Christi fidemque certam, quod amor mutuus sit ipso Salvatore interprete signum christiani re talis (f). Amor vero iste non una ratione auget voluptatem, quam christianus percipit ex virtute aliena, Neque enim solum ipse sinceram quan-

P 4

dam

(d) in Trim. super. n. 1. §. 10. conf. Trim. præf. n. præf. §. 8. (e) loc. cit. §. 11. (f) 1 Joh. XI II, 35.

dam voluptatem in se alit, quemadmodum reliquus omnis; verum etiam attentionem nostram ad virtutem alterius excitat, ut eam intimius agnoscentes voluptate tanto majore perfundamur, ipseque amor per se suavis, dum nova incrementa capit, suavior reddatur, & ad facta homine christiano digna nos impellit, quibus tanquã signis unionis cum Christo voluptas in nobis excitatur. Nascitur una voluptas ex altera, dum una est stimulus ad id, quod voluptate animum demulcet. Quemadmodum vero hæc ipsa voluptas in causa est, ut habitus virtutis augeatur & firmetur; ita multiplex voluptas in unam confusa actionibus sese jungit, ut ex eadem virtute continuo major majorque percipiatur. Quoniam felicitas hominis in statu voluptatis ac gaudii durabilis consistit (g); christiani felicitas indies augetur virtutisque studium redditur continuo jucundius, donec tandem a morte hujus corporis ad felicitatem nunquam defituram perducatur. Neque hic loci negligendum est, quod christianus ad virtutem alienam attentus late-

(g) §. 52 Mor.

letetur tum de numero civium in regno Dei aucto, tum de incremento regni Dei in singulis civibus. Et hoc ipsum gaudium impedit, quo minus invidia corripiatur animus hominis christiani, dum alios in virtute sibi pares vel eadem prorsus superiores observat. Etenim mutuus ille amor inter christianos subsistere nequit, nisi quamdiu bonus ex alterius virtute eandem voluptatem percipit, quam ex ea perciperet, si sibi propria esset. Singularis quaedam ratio subest, cur virtutem alienam pari loco cum propria ponat christianus. Etenim vi unionis cum Christo singuli ununtur inter se: quod eodem prorsus modo a priori liquet, quo alibi (h) ostendimus, cum eodem tertio juncta uniri inter se. Ita vero inter se uniti corpus unum constituunt, cujus caput Christus est. Communis adeo censetur gratia, quæ omnibus simul confertur, & vires gratiæ singulis concessæ sub idea virium diversarum singulis corporis membris competentium repræsentantur, quæ simul sumtæ vim totius corporis constituunt. Dei autem arbitrio relinquitur,

P 5

tur,

(h) §. 12 *Cosmol.*

fur, quale nos membrum esse voluerit istius corporis: optime nimirum novit christianorum unusquisque, omnes vires spirituales gratis sibi conferri, ut adeo prorsus acquiescendum sit in benigna Numinis voluntate, & Deo omniscio ac sapientissimo omnium optime constare, quomodo illas distribui conveniat. Conformia hæc sunt doctrinæ Apostoli, qui eadem utitur ad factum spiritualem, qui christianos minime decet, eliminandum (i),

*Intensio
auctoris.*

§. 13. Quod si in specie virtutes examinare liberet, in singulis diversi quidprehenderemus, quod voluptati gignendæ inservit. Enimvero quæ de virtute theologica seu christiana in genere dicta sunt, sufficere nobis debent, ne involumen excrescat tractatio. Si quis antecedentia probe intellexerit & methodum in suam potestatem sibi redegerit, distinctamque virtutum christianarum cognitionem sibi comparaverit, is specialia per se deteget atque detecta cum aliis communicabit. Apparet itaque etiam ex præsentis de voluptate ex virtute christiana percipienda

tra-

(i) I Cor. XII, 16 & seqq.

tractatione, quam multa generi humano
 utilia inquiri possint, nec opus esse liquet,
 ut vanitati litantes tempus inanibus al-
 tercationibus consumant. Et si autem
 anno superiori de voluptate ex cogni-
 tione veritatis tam naturalis, quam re-
 velata percipienda egerimus invitati a
 viro quodam illustri præclaris in Remp.
 patriam meritis eminente, & anno præ-
 senti addiderimus tractationem de vo-
 luptate ex cognitione virtutis percipi-
 enda consilio Theologi celeberrimi, exi-
 miis in Ecclesiam meritis conspicui;
 hoc tamen non obstante id potissimum
 intendimus, ut doceremus, dari volu-
 ptates, ad quas homines animum pa-
 rum advertunt, quæ tamen ab omni labe
 puræ nos vere felices reddunt. Maxi-
 mam fere mortalium partem hoc præ-
 judicium occupavit, quasi solæ sint vo-
 luptates, quibus animum pascere licet,
 quæ ex cibo ac potu aliisque objectis
 sensus afficientibus ortum ducunt:
 quod non parum fovetur, quod videant
 eos, quos fortuna altiori loco colloca-
 vit, istud voluptatis genus unice conse-
 crari & ob ejus fruitionem felices præ-
 dicari. Enimvero quamvis non adeo

rigidi

rigidi sumus, ut voluptatem omnem ca-
 ducam damnemus; sed dari quendam
 ejusdem usum probe noverimus, quo
 in concordiam cum voluptate ex virtu-
 tibus moralibus ac intellectualibus per-
 cipienda redigitur & veræ felicitati tan-
 quam particula superaccedit; malle-
 mus tamen voluptatis sinceræ, quæ sola
 nos vere felices reddit, homines magis
 fieri participes, quam vulgo fieri solet.
 Et ideo non solum in his horis subseci-
 vis voluptatem istam vivis coloribus
 depingere licuit: verum etiam eo tan-
 dem tendit omne nostrum studium,
 quod in emendanda philosophia col-
 locamus. Utinam tandem saperent
 mortales ac felicitatis suæ rationem ha-
 berent!

II.

*Specimina Definitionum in Jure
 emendatarum.*

1. *Definitio obligationis emendata.*

§. 1.

*Institu-
 tum an
 juris.*

CUM in trimestri superiori docere-
 mus, quomodo Jurisprudentia
 civilis in formam demonstrativam sit
 redigenda; promissimus (k), nos datu-

(k) Num. II. §. 102.

ros esse exemplum definitionis in Jure
 qua emendatur, ubi determinationes ex
 legibus inde demonstrandis eruenda
 adjiciuntur illis, quae in definitione jam
 continentur. Libet abimus itaque rsi
 dem nostram placu daturi, quam pro
 misimus. Neque enim inconsultum pi
 detur, ut plures definitiones exascie
 nus hinc appareat, quid in eeteris emen
 dandis observari debeat. Monimus
 jam nuper (1), huc pertinere, qua det
 notione juris naturae, gentium, & civitatis,
 atque justitiae ex mente Jctorum Ro
 manorum dicta sunt. Quamobrem de
 finitiones istas perpendere debet, qui
 ideam definitionum juris exascianda
 rum animo comprehendere voluerit.
 Jam primo loco addemus definitionem
 obligationis, propterea quod in hac de
 finitione aliquid metaphorici occurrit
 ad proprietatem reducendum.

§. 2. Definitionem obligationis re-
 perimus in Institutionibus (m). Defi-
 nitur nimirum *Obligatio* per juris vin-
 culum, quo necessitate adstringimur
 alicujus rei solvenda secundum nostram
 civitatis jura. Quoniam sub finem ad-
 ditur,

(1) loc. cit. (m) sic de oblig.

ditur; nos ad solutionem rei alicujus adstringi secundum nostrae civitatis jura; statim apparet, definitionem non respicere obligationem in genere, sed civilem in specie. Agitur enim in eadem de illa obligatione, quae a lege civili vim atque robur suum habet. Distinguit autem ipsum jus Romanum obligationem civilem a naturali; quemadmodum deinceps ostendemus. Ut vero definitio haec intelligatur, tria potissimum explicanda sunt: nimirum 1. quid sibi velit vinculum juris, 2. quid sit solutio, cuius hic mentio injicitur & 3. quomodo ad eam necessitate adstringamur. Quod si loco juris civilis in definitione ponatur jus in genere; definitio evadet generalis (n): quemadmodum in definitionem obligationis naturalis abit, ubi pro jure civili naturale ponis (o). Hoc ipso autem apparet, obligationem esse aliquid, quod ex lege fluit, atque adeo illam necessitatem, qua quis adstringitur, ex lege oriri. Quoniam vero necessitate quadam adstringi dicimur ad rem quandam alteri solvendam; obligatio, de qua hic loquitur Imperator, passiva est,

non

(n) §. 710 Log. (o) §. 714 Log.

non activa, adeoque non confundenda cum ea, quam in philosophia practica (p) dedimus, utut illa cum hac consentiat, quantum species una cum altera consentire potest, hoc est, quatenus determinationes genericas communes habent. Obligatio activa spectatur in legislatore, passiva in subdito, qui actiones suas ad normam legis componere tenetur, habetque passiva vim ac robur suum ab activa, a qua per legem in istam vis seu necessitas adstringendi derivatur. Quamobrem plurimum conducet ad definitionem Imperatoris clariorem reddendam, ubi mentis aciem in rem ipsam, de qua loquitur, converterimus: etenim hac ratione apparebit, quam auctori definitionis obversata fuerint, dum definitionem condidit. Antequam tamen id fiat, terminus solutionis explicandus venit, ut hac notione attentio dirigatur ad ea, ad quae auctori definitionis respexit. De solutionibus & liberationibus integer titulus occurrat in Pandectis. Etsi autem definitio solutionis ibidem non extet, ex iis tamen, quae de solutione praecipuntur, quid

ca

(p) §. 8 Mor.

ea sibi velit, satis superque intelligitur *Marcianus*: (q) ait: *solutam pecuniam intelligimus utique naturaliter, si numerata sit creditori.* Pone igitur te Titio debere 100 florenos, quos ab ipso mutuo accepisti ealendis Maji hoc anno restituendos. Quod si pecuniam istam eidem numeres tanquam creditori, adeoque eo animo, ut in arcepius esse definas, juxta sententiam *Marciani* pecunia erit soluta & tu a debito liberatus. Numeratio pecuniae est actus debitoris, quo praestat creditori id, quod ex contractu mutui eidem debet. Quam obrem solutio aliter concipi nequit, quam quod sit actus, quo id, quod alteri debetur, praestatur. Debetur autem alteri, quod jure a quodam exigere valet. Convenit solutionis notio, quam ex verbis *Marciani* eliciimus, cum definitione solutionis a *Struvio* (r) data, neque hic quicquam difficultatis occurrat. Solvere adeo idem est ac praestare id, quod altera nobis jure exigit. Nimitum si alteri jus est exigendi a nobis, ut quid ipsi demus; dandum id est: si

habet

(q) l. 49 ff. de solut. (r) in Jurisprud. Rom. Germ, lib, 3. tit, 21. §. 3.

habet jus exigendi, ut quid faciamus, faciendum id est. In utroque igitur casu solvitur, quod debetur. Agedum itaque! intendamus jam ingenii nostri aciem in rem ipsam, quæ obligationis nomine venit. Nullum enim dubium est fore, ut notio solutionis attentionem nostram in ea dirigat, quæ animo illius obversata fuere, qui definitionem obligationis in Institutionibus datam primus condidit. Ne autem abstracta difficultatem præter necessitatem creent, utamur exemplo aliquo speciali, a quo generalia haud difficulter abstrahere nobis dabitur.

§. 3. Retineamus casum, quem a ^{Modum} Marciano suppeditatum adhibuimus ad ^{eruedi} notionem solutionis eruendam. Po- ^{notionem} namus itaque ^{obligationis.} *Mevium* a *Titio* mutuo accepisse quadringentos florenos die 20 Martii solvendos. Dicimus *Mevium* obligari *Titio* ex contractu mutui ad solvendos quadringentos florenos termino statuto. Inquiramus ergo, in quonam consistat obligatio *Mevii*, seu, quidnam illud sit, quod obligationis nomine hic venit. *Mevius* solvere debet *Titio* quadringentos florenos statuto

(*Hor. (subs. 1730.)*)

Q

tem-

tempore: ratio hæc est, quod eos a *Titio* hac conditione acceperit, ut eisdem illi restituat statuto tempore, sequæ id futurum promiserit. Si actionem *Mevii*, qua *Titio* solvit 100 florenos, physice consideres; æquæ possibile est, ut is centum florenos solvat, quam ut eisdem non solvat, hoc est, generaliter loquendo, ut actionem committat, quam omitfat. — Enimvero si rem moraliter consideres, adest ratio sufficiens, cur 100 florenos potius solvat, quam non solvat; hoc est, ut actionem potius committat, quam non committat. *Titius* eidem concessit usum pecuniæ suæ ad certum tempus, sed ea conditione, ut eandem elapso tempore hoc restituat. Moraliter igitur, hoc est, salva lege naturali de rerum dominio fieri nequit, ut pecuniæ alterius ultra istud tempus utatur, neque eandem ipsi restituat. Ecce tibi necessitatem moralem agendi hoc potius, quam alterum oppositorum, quæ oritur ex ratione, cur unum oppositorum potius fieri debeat, quam alterum. Atque in hac necessitate morali agendi consistit obligatio naturalis. Oritur autem ex ratione sufficiente, cur unum

potius oppositorum fieri debeat, quam alterum, consequenter quatenus ratio actioni intrinseca præbet motivum determinandi appetitus, qui in se ad utrumque oppositorum indifferens est: *Obligatio igitur passiva naturalis* est necessitas moralis agendi hoc potius, quam alterum oppositorum, ob rationem actioni intrinsecam, aut, si mavis, vi motivi cum actione necessario connexi. Unde simul patet, connexionem motivi necessariam cum actione esse *obligationem naturalem activam*, quemadmodum in Moralibus (s) dudum docuimus. Enimvero rationes extrinsecæ pro diversitate subjectorum & circumstantiarum plurimum variantes prævalere possunt adversus rationem intrinsecam, si vel maxime perspecta fuerit, ut appetitus determinetur in alteram partem, v. gr. ut in dato exemplo centum floreni non solvantur, atque adeo obligatio naturalis inefficax est. Necessitas enim moralis non tollit liberam agendi facultatem, nec in mente se exerit nisi quatenus per motiva appetitum impellit. Quamobrem juxta principia in Po-

Q 2

liti.

(s) §. 8. Mor.

liticis stabilita (t) obligationem naturalem fortiolem reddi convenit per subsidia civilia. Constituuntur itaque Magistratus; datur per legem civilem ei, cui alter naturaliter obligatus est, actio in foro adversus eum, qui obligationem naturalem nihili facit; Magistratus habet potestatem condemnandi reum, ut det vel faciat, quod debet, & potentiam vi compellendi condemnatum ad solvendum, quod debet, ubi refractarium se præbuerit. Accedunt igitur plures rationes in Rep. cur unum potius agamus, quam alterum, v. gr. cur in dato exemplo *Titio* potius 100 florenos solvat *Mevius*, quam non solvat, ne scilicet adversus eum actio instituat in foro, & a iudice ad solutionem condemnatur, immo iudex ipso invito præstet victori, quod ipse præstare recusat. Ecce tibi necessitatem moralem agendi hoc potius, quam alterum oppositorum, quæ oritur ex lege civili vi rationum arbitrariarum cum actione connexarum & coactionis externæ, cui quis se opponere virium defectu nequit. Atque in hac necessitate morali agendi consistit obli-

(t) §. 341 & alibi.

obligatio civilis, quæ adeo oritur ex ratione sufficiente politica seu civili, cur unum potius oppositorum fieri debeat, quam alterum, consequenter quatenus ratio arbitrio superioris actioni superaddita præbet motivum determinandi appetitus, qui per rationem actioni intrinsecam determinari nequit. *Obligatio igitur passiva civilis est necessitas moralis agendi hoc potius, quam alterum oppositorum ob rationem lege a superiore lata superadditam, aut, si mavis, vi motivi cum actione per legem civilem connexi.* Unde simul liquet, connexionem motivi arbitrariam cum actione factam a superiore esse *obligationem civilem activam*, quemadmodum dudum cum in Moralibus (u), tum in Politicis (x) docuimus. Hæc obligationis civilis notio beneficio nostrorum principiorum philosophicorum nostra methodo (y) deducitur ex supposito exemplo. Idem confirmari potest analysi in aliis exemplis repetita. Non moramur hic illorum scrupulum, qui, cum methodum universalis a singularibus abstrahendi ignorent, defectu acuminis

Q 3

sibi

(u) §. 17 Mor. (x) §. 341 Polit. (y) §. 678 Log.

fibi persuadent a singulari vel particulari ad universale fieri argumentationem. Videamus itaque, utrum definitio communis cum his conspiret, nec ne, & quomodo exasciari debeat, ut accurata evadat.

*Emen-
datio de-
finitionis
communis.*

§. 4. In definitione communi, quam supra (§. 2) in medium attulimus, duo in primis sunt, quæ obscuritate laborant, nec satis intelliguntur, nisi quatenus exempla consueta notiones terminis jungendas animo ingenerantia lucem quandam offundunt. Nimirum quaeritur, quidnam sit juris vinculum & quomodo idem necessitate agendi nos adstringat. Vinculum vocabulum metaphoricum est, atque adeo hic loci attendi nequit nisi significatus generalis, qui constituitur per id, quod rei propriae, cui significandæ destinatur, & rei impropriae, ad quam denotandam per similitudinem transfertur, commune est. Quod si vinculum & obligationem passivam inter se confers, id ipsis commune deprehendes, quod libertatem agendi tollat, quam ante habebamus, vel liberam agendi facultatem ad certas actiones restringat. Ita homo in vincula

con-

conjectus manere cogitur aliquo in loco pro arbitrio alterius, cum antea sese in eum locum conferre posset, qui ipsi commodus videbatur. Obligatus vero alteri civiliter ad solvendum 100 florenos, eos statuto tempore solvere cogitur, siue velit, siue minus. Vinculum igitur in genere denotare nequit, nisi id, quod quidpiam agendi vel patiendo necessitatem imponit. In dato adeo casu vinculum denotat id, quod necessitatem imponit solvendi centum florenos tempore statuto, vel patiendo, ut judex rem nostram vendat & nobis vel maxime invitis ex pretio illos solvat debitori. Jam vero id, quod necessitatem istam nobis imponit, lex civilis est. Unde patet, perperam obligationem, quæ ex lege manat, vinculum juris appellari. Vinculum adeo juris, nihil significat, adeoque terminus inanis est, quando ad obligationem transfertur. Quamobrem qui definitionem communem obligationis civilis condidit, id equidem animadvertit, adesse quandam agendi necessitatem, sed notionibus confusis intentus ex obligatione eam fluere existimavit, cum tamen in ipsa consistat ob-

Q 4

liga-

ligatio. Hinc consequitur ex definitione obligationis communi eliminandum esse terminum *vinculum juris* & ejus loco ponendam esse necessitatem moralem agendi. Quod si quibusdam terminus hic non clarior videtur vinculo juris; illi agnoscant velim, notionibus philosophicis destitutum in ipsa luce meridiana sæpissime caligare. Quoniam vinculum juris sumtum de obligatione terminus inanis est, nullum quoque ipsi hujus respectu prædicatum convenit. Frustra igitur queritur, quomodo vinculum nos adstringat necessitate agendi, cum ipsa agendi necessitas sit obligatio, quæ definiiri debet. Enimverò cum obligatio civilis, de qua hic agitur, tantummodo versetur circa id, quod ex contractu debetur; præstatio vero ejus, quod ex contractu debetur, solutionis nomine venit (§. 2); definitio communis obligationis, scilicet passivæ civilis, in notionem secundam abit, si dixeris esse necessitatem moralem quid solvendi lege civili impositam. Quomodo vero lege civili imponatur necessitas, ex anterioribus abunde patet. Quicquid de obligatione civili prædicari potest, ex defi-

definitione ista demonstrari potest. Qui methodo pollent, fœcunditatem ejus satis superque ipso opere experientur. Ceterum obligationis definitio *Justinianea* emendata ab ea, quam paulo ante (§. 2) eruimus, nonnisi in eo differt, quod sit paulo restrictior, cum illa latius pateat. Sufficit autem ad demonstrandum jus Romanum *Justinianea* emendata, ut non opus sit eam fieri latiorrem. Ex sententia *Justiniani* itaque *obligatio* (nempe *passiva civilis*) est necessitas moralis alicujus rei solvendæ a lege civitatis propria imposita. Quemadmodum enim in se necessarium est, cujus oppositum contradictionem involvit; ita hic moraliter necessarium est, cujus oppositum salva lege fieri nequit. Et sicuti obligatio naturalis a lege naturali, ita civilis a civili venit, quemadmodum paulo ante explicavimus. Et hinc intelligitur, quomodo ex *Pauli* (z) sententia *obligationum substantia in eo consistat, ut alium nobis obstringat ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præstandum.* Nimirum in dando, faciendo & præstando solutio consistit.

Q 5

Date

(z) l. 3 ff. de oblig. & act.

Dare nimirum idem est ac transferre rei dominium; facere significat actum omnem a datione diversum, quem alterius gratia edere tenemur, veluti pignus nobis datum vel rem depositam aut commodatam restituere, negotium alterius gerere. Præstare autem dicitur, qui dat vel facit, ad quod ex contractu tenetur, etsi de eo specialiter non sit conventum, veluti cum damnum creditori datum resarcit debitor. Negat vero *Paulus* substantiam obligationis consistere in eo, *ut aliquod corpus nostrum aut servitutem nostram faciamus*. Obligatio igitur est aliquid, quod ad debitorem spectat, non ad creditorem, neque ad utrumque simul, nisi quatenus mutua quædam obligatio est, ubi quis diverso respectu & debitoris, & creditoris personam sustinet. Hinc debitor obligatur creditori ad aliquid eidem solvendum, seu dandum, faciendum vel præstandum, non vero ex eo etiam ad aliquid tenetur creditor, nisi peculiaris quædam ipsius sit obligatio. Quamobrem nobis non probatur eorum sententia, qui vinculum juris ita interpretantur, ut sit aliquid, quo debitor

bitor & creditor inter se conjunguntur, etsi quid istud sit explicari non possit.

§. 5. Qui novit methodum ex data ^{Species} specie una determinandi species alias ^{obligationis.} alibi (a) a nobis expositam; is species obligationis ex notione data facile eruet. Substantia, ut loquitur *Paulus*, seu determinationes genericæ, quæ omnem obligationem ingrediuntur, consistunt in necessitate aliquid dandi, vel faciendi, vel præstandi, vel in genere aliquid agendi. Una igitur obligatio ab altera differre nequit, nisi eo, unde fuit ista necessitas. Quare cum a lege oriatur, legum diversitas diversas parit obligationum species. Quamobrem si necessitas ista manat a sola lege naturali; *obligatio* est mere naturalis; si a sola lege civili proficiscitur, *obligatio* tantum *civilis* est; si ab utraque simul ortum trahit, *mixta* est *obligatio*, ex naturali scilicet atque civili simul. *Obligatio* naturalis duplici modo ex lege naturali manat, vel ex ea sola, nullo intercedente facto nostro, vel aliquo intercedente facto nostro, veluti dum alteri nos quid duros, vel facturos pro-

mit-

(a) §. 714 Log.

mittimus, vel expresse, vel tacite, quod posterius in præstatione inprimis obtinet. Atque hinc obligatio naturalis in duas abit species, quarum priorem *obligationem naturalem plenam*; posteriorem vero *minus plenam* appellare solent. In jure civili nonnisi obligationis plenæ habetur ratio, quæ ob duplicem rationem fortius stringit & cui ut satisfiat interest Reip. quemadmodum in Politica docemus. Quoniam in jure Romano Jus civile stricte sic dictum differt a Jure prætorio, five honorario; vi anteriorum in eodem obligatio civilis abit in duas species, quarum altera a jure civili stricte sic dicto, altera vero a jure honorario proficiscitur. Illa *obligatio civilis* stricte sic dicitur adeoque nomen sibi competens retinet; hæc autem *obligatio prætoris* appellari solet. Quoniam obligationes civiles in universum omnes, quocumque tandem nomine eas appellare sueverimus, sunt plenæ atque adeo interveniente facto aliquo nostro demum contrahuntur, diversi modi obligandi civiles per diversitatem istius facti determinantur. Sed modos istos

istos obligandi ad suas species revocare nostri jam non est instituti.

2. *Definitio tutela emendata.*

§. 6. *Tutela*, definiente *Servio*, est, ^{Tutela} vis ac potestas in capite libero ad tuen- ^{definitio}
 dum cum, qui propter aetatem se defen- ^{communis}
 dere nequit, jure civili data ac permessa. ^{vis.}
 Definitionem hanc nemo non obscuritatis accusat. Etenim quanam est illa vis ac potestas, quae hic generis loco ponitur? Quanam intelligitur per caput liberum? Quid hic significat tueri aliquem ac se defendere? Quid sibi vult *Servius*, quod dicat, tutelam jure civili dari ac permitti? Quanam enim est ratio, cur duo haec verba conjungantur? Non hic sufficit, ut, quemadmodum in casu precedente, in rem ipsam ingenii aciem intendas visurus, quid sibi velit *Servius*, & quanam sint ea, quae verbis ejus respondent. Alia igitur via incedendum. Quae de tutelis tam in genere, quam in specie traduntur in Jure Romano, resolvenda sunt in propositiones & cum his conferenda sunt verba *Servii*, ut appareat, quanam verbis singu-

(b) l. 1. ff. de tut.

singulis indigitare voluerit. Etenim Servius ad leges utique Romanas respexit, dum definitionem suam condidit, consequenter dubium nullum superesse potest, quin in iis singulae determinationes contineantur, quae definitionem Servianam ingrediuntur. Atque haec in primis ratio est, cur hanc definitionem emendare nobis proposuerimus, ut appareat, quomodo in talibus sit procedendum.

Quomodo definitio ista ab obscuritate liberetur.

§ 7. Prolixum nimis foret ac inutile omnes propositiones hic cumulari, quae prodeunt, ubi titulos singulos de tutelis resolvis, ut eas seligas, quae praesenti instituto intersunt. Suffecerit nobis suo loco notasse eas, quae seligendae sunt. Primum itaque notandum est, tutores apud Romanos dari non potuisse nisi personas liberas, erant enim apud eos homines vel liberi, vel servi. Quod si servus in testamento dabatur tutor, eo ipso libertatem accepisse censebatur (c); servus autem alienus pure inutiliter testamento dabatur tutor, quia ex eo non poterat accipere libertatem (d). Romano igitur jure prorsus necessarium est hanc

(c) §, 2 Inst. qui test. tut. &c. (d) ibid,

hanc determinationem ingredi definitionem, cum absque ea quis tutor concipi nequeat. Repugnat enim esse tutorem & non esse liberum, sed servum. Queniamodum itaque ex definitione quadrati omitte nequit ista determinatio, quod sit figura rectangula, cum absque angulis rectis concipi nequeat quadratum; ita etiam ex definitione tutelae omitte nequit, quod tutor esse debeat persona libera, quia tutela sine libertate tutoris concipi nequit jure Romano. Præterea non ex aliis, quæ ad tutelam requiruntur, demonstrari potest, quod tutor esse debeat persona libera, perinde ac ex ceteris determinationibus quadrati, quæ ejus definitionem ingrediuntur, demonstrari nequit, quod omnes anguli recti esse debeant. Illæ autem determinationes, sine quibus res concipi nequit, quorum tamen una ab altera non pendet, definitionem ingredi utique debent. Jam in definitione *Serviana* occurrunt verba, quæ conimode huc trahi possunt. Etenim tutelam dicit vim ac potestatem in capite libero, quod idem sonat, ac in persona libera & tutores sunt, qui eam vim ac potestatem ha-

habent (e). Aut igitur dicendum est, *Servium* verbis istis indigitare voluisse, tutorem esse debere personam liberam; aut ex definitione quid omisse, quod ex eadem omitti non poterat. Quoniam itaq; nulla necessitas nos cogit, ut posteris dicamus, cum non invitis verbis ceteris de tutore accipi possit, quod esse debeat caput liberum seu persona libera; *Servium* verbis istis hoc indigitare voluisse concludendum. Neque vero opus est, ut de mente *Servii* multum disputemus, sufficit enim verba ejus ita accipienda esse, ubi definitionem emendare voluerimus. Jure Romano tutor dari non poterat nisi personis liberis ac sui juris (f), qui scilicet mortuo patre vel avo in nullius amplius erant potestate. Nemo non fatetur, demonstrari posse, quod servo vel homini libero, qui est in potestate patris sui tutor dari nequeat, cum ex legibus dent rationem, cur id fieri non possit (g): juxta regulas logicas ergo ex definitione exulare debet ista determinatio. Etenim inter propositiones

(e) §. 2. l. c. (f) §. 3. l. c. (g) Vid. Hoppius in Comment. ad Inst. lib. 1, §. 3 de tutel. p. 135.

tiones demonstrativas referri debet, tum quod tutor dari nequeat homini libero, qui non est sui juris; tum quod dari nequeat servo. Atque hinc ulterius elucet necessitas, cur verba *Servii* de tutore, non de pupillo accipienda sint, ubi definitionem condere volueris, quæ juri Romano demonstrando inservit. Nobis vero jam constitutum est exemplis docere, quomodo definitiones in jure sint emendandæ, ut eidem demonstrando inserviant. Non igitur nobis perinde, utrum de pupillo, quemadmodum vulgo a plerisque fieri solet, an de tutore accipiantur verba *Servii*, quemadmodum *Hubero* visum est (h). Neque enim sufficit utrumque esse verum, quoniam ideo aliquid in definitione locum nondum habet, quod de re prædicari possit, cum alias omnia rei prædicata in definitione cumulari deberent: quod quam maxime absolum est & legibus demonstrativæ methodi adversum. Antequam intelligi possit, quid sibi velit vis ac potestas, quæ tutori data ac permessa dicitur; utique inquiren-

(*Hor. subj. 1730.*) R dum

(h) In Prælect. ad Instit. lib. 1. de tut. §. 2.

p. m. 38.

dum erit, quid pupillum tueri significet, & qualis hic defensio intel. gatur. Hic igitur de nouo recurrendum ad leges, ut constet, ad quid pupillo detur tutor & quodnam ejus sit officium. *Placuit*, inquit Justinianus (i), *melio- rem quidem conditionem licere ei facere etiam sine tutoris auctoritate; deterio- rem vero non aliter, quam tutoris auctoritate.* Tutoris igitur est damna auertere, quando alteri obligari debet. Pupillum tueri debet aduersus eos, qui ipsi damnum inferre poterant, dum iis sese obligare debebat. Apparet de nouo, id in defini- tione tutelæ exprimi debere, quod tu- tor auctoritatem suam interponere te- neatur, quoties pupillus alteri obligari debet, ne lædatur ab aliis, cum ipsemet sibi nondum prospicere possit, ne da- mnum incurrat, quoties ipsi negotium est, cum aliis. Nullum adeo dubium est, quin huc respexerit *Seruius*, dum affirmat tutorem pupillum tueri debe- re, qui per ætatem se defendere nequit. Enimvero dispiciendum porro venit, quam in re præterea opus habeat pu- pillus, ut eum tueatur tutor. Quoniam itaque

(i) pr. l. de auct. tut.

itaque tutor moribus pupilli, non rebus duntaxat preponi dicitur (k); educationi quoque attendere debet: qua in re eum defendit aduersus eos, qui damna dant pupillo, quatenus moribus ipsius infidiantur. Et sane in educatione majora damna magisque nocua pupillo dari possunt, quam in administratione bonorum. Quamobrem tutori incumbit cum bonorum administratio, tum etiam educationis cura, utut hanc aliis committere possit, immo per leges, quod notissimum est, committere teneatur, veluti matri, cognatis aliisque personis, in quas nulla suspicio cadit. Quae vero porro leges praescribunt de agentibus vel conueniendis tutoribus in causis pupillorum, ea ex cura tuendi pupillum in administratione bonorum fluunt ac inde demonstrari possunt. Ha igitur ex definitione exulare debent (l). Quomodo, vis ac potestas differat, ex ipsa re potius, quam legibus discernendum. Nimirum potestatem habet, qui jure quid facit; vis autem, qui habet facultatem id exequendi, quod

R. 2

jure

(k) l. 12 §. 3 ff. de administr. & peric. tut.

(l) §. 2 §. 10 Leg.

jure facere potest, ita ut nemini competat jus contradicendi, vcl idem impediendi. Quoniam vero vis ex potestate fluit, non opus est, ut ejus in definitione mentio injiciatur. Tutor impuberibus datur, hoc est, masculis, qui nondum annos 14 nati sunt; & foemellis, quæ nondum 12 natæ: liberantur enim a tutela, cum puberes esse coeperint (m). Apparet adeo, teneram pupillorum ætatem obstare, quo minus sibi a damnis caveant, quæ tum in administratione, tum in educatione dari possunt. Atque hinc intelligitur, quid sibi velit *Scævius*, dum tutorem dari ei pronunciat, qui per ætatem seipsum defendere nequit. Determinatio hæc cum non ex ceteris sequatur, quæ definitioni insunt; eidem utique inferenda. Suet autem claritas in definitione conservanda, ut tutorem dari dicamus impuberibus. Etenim ex impuberum notatione sequitur, quod pupillus ea sit ætate, qua seipsum defendere nequit adversus damna, quæ in administratione bonorum & educatione incurrere potest, immo quod bona sua ipsemet ad-

mini-

(m) l. pr. quib. mod. tut. fin.

ministrare nequeat, nec educationi suæ præesse possit. Ex hæcenus dictis apparet, multas determinationes civiles notionem tutelæ ingredi, qualem definit *Servius* juri Romano convenienter. Quamobrem non superfluum censeretur debet, quod addatur jure civili deferri tutelam: quo etiam referri poterat, quod munus necessarium erat, ita ut idem suscipere teneretur tutor, nisi justas excusandi causas haberet ipsa lege definitas. Constat denique tutelam Romanis fuisse triplicem, testamentariam, legitimam & dativam, hoc est, lege quidam constituebantur tutores; permittum vero erat & patri in testamento dare liberis impuberibus tutores, & magistratui idem permittum erat, deficientibus legitimis & testamentariis. Tutores adeo legitimi dabantur ipsa lege; ut vero etiam pater in testamento & magistratus dare posset tutores lege permittebatur. Atque adeo tutela vel lege dabatur, vel ut daretur lege permittebatur: quod discrimen in definitione exprimendum erat, ut species tutelæ inde deduci possent. Ipsæ igitur leges in præsententi casu & lucem affundunt definitioni

R 3

Ser-

Serviane & determinationes manifestant, ex quibus clara atque distincta notio evadit, ut nihil obscuritatis superfit, nec in fecunditate ejus quicquam desiderari possit.

Definitio
tutela
juxta
Ius Ro-
manum.

§. 8. Ex his intelligitur, quomodo distinctio *Serviana* reddi possit fecunda. Etenim aut terminorum, qui quid obscuritatis alere videntur, praxmittendae sunt definitiones; aut iis substituendi sunt clariores. Termini ante definiendi, quam definitionem *Servianam* prorsus immutatam systemati inferre possis, sunt vis, potestas, caput liberum, tuitio, defensio, datio & permissio jure civili facta. Per *vim* itaque intelligitur facultas exequendi illud, quod quis jure facere potest. *Potestas* denotat facultatem jure aliquid faciendi, seu jus aliquid faciendi. *Caput liberum* est persona, quae servituti non est obnoxia. Supponimus enim servitutem in systemate jam ante fuisse definitam. *Tueri* idem est ac cavere, ne cui ab altero damnum inferatur. *Jure civili dari* dicitur, quod per legem civilem alicui defertur. *Jure civili permitti* dicitur, quod fieri posse lex civilis pronunciat.

Sane

Sane si has terminorum explicaciones præmittis, earum ope definitio *Serviana* fœcunda evadit, ut ex ea cetera deduci possint, quæ de tutela ex definitione ejusdem demonstranda veniunt. Quodsi autem non tenax fueris verborum *Servii*, ipsas terminorum explicaciones in definitione substituere licet, ut fœcunditatem in se habeat, nec eam demum aliunde derivari opus sit. Prodi-
bit adeo sequens tutelæ definitio *Serviane* æquipollens, quod ea sit potestas a persona aliqua ejusve bonis avertendi damna, quæ propter teneram ætatem ipsamet id facere nequit, jure civili personæ liberæ delata, quodsi vero definitione *Serviana* prorsus neglecta definitionem condere volueris, qualis ad leges Romanas de tutela demonstrandas requiritur; ex iis eandem extrues, quæ paulo ante in medium adducta sunt, si eas determinationes eandem ingredi facias, quos eam ingredi debere ostendimus. Ita autem prodibit sequens tutelæ definitio; quod sit potestas jure civili delata personæ liberæ, dirigendi educationem impuberis & ejus bonæ administrandi juraque conservandi.

R 4

Quod

Quod hæc definitio clara sit, per se patet: neque enim ullus occurrit terminus, qui non vel ex communi sermone, vel ex definitionibus philosophicis, vel ex definitionibus in systemate juris præmittendis intelligatur. Quod ea, quæ in definitionibus continentur, per se invicem non determinentur, per se itidem patet: neque enim ulla necessitas orget, ut ea in una eademque persona conjungantur, cum tria diversa constitui possent jura, singula singulis personis concedenda, atque pro diversitate horum jurium diversis quoque nominibus insigniri daretur singulas. Quod denique legibus Romanis demonstrandis sufficiat, aliter doceri nequit, quam ubi ipso opere demonstrationes exhibentur: id quod hic loci nimis prolixum accideret. Obiter monemus, definitiones in Jure Romano non esse adeo absurdas, quemadmodum vulgo videtur, modo satis intelligantur.

2. *Definitio libertatis.*

*Definitio
libertatis
in Jure
Romano
qualis sit*

§. 9. Quoniam in definitione tutelæ supponitur definitio libertatis, de ea hic disserere lubet, etsi parum aut nihil diffi-

difficultatis habeat. Dedit eam *Florentinus* (n): ita vero sese habet. Libertas est naturalis facultas ejus, quodcunque facere libet, nisi quid vi, aut jure prohibetur. Facultas significat in homine possibilitatem agendi, diciturque naturalis, si eam homo habeat a natura. Huc respicere *Florentinum* ex eo patet, quod *Jcti Romani* servitutem negaverint esse juris naturalis eamque ex jure gentium deduxerunt (o), cum natura omnes liberos nasci existimaverint. Removentur autem objectiones, quæ moveri poterant, dum additur, libertati non obstare vim, nec jus prohibitivum. Vis enim exercitium facultatis physicae tantummodo impedit, ipsam autem facultatem intemeratam relinquit. Pone nimirum te vinciri a latrone vel prædone, ut te defendere nequeas: non ideo impossibiles absolute seu in se spectati fiunt motus, qui ad defensionem requiruntur; sed impeditur saltem vincus, ut ad actum deducat, quod in se possibile est. Similiter jus non tollit facultatem agendi physicam, sed saltem moralem. Stante lege facere adhuc

R 5 potest

(n) l. 4 ff. de statu homin. (o) l. 6.

potest eidem subjectus, quod ante legem facere potest; sed non amplius jure facit, quia lex facultatem physicam ad alterutrum oppositorum restringit, & actioni impossibilitatem moralem superaddit, ut non amplius fieri possit, quod antea fiebat, quamdiu nihil fieri debet, quod jure fieri nequit. Etsi autem hæc vera omnino sint, definitionem tamen minime ingredi debent. Quoniam enim servitus vi externæ respondet in nonnullis, in aliis juri, quo facultas physica restringitur, de servo etiam vera sunt, quæ hic dicuntur intuitu libertatis, scilicet quod facultas physica non tollatur, sed tantummodo ejus exercitium impediatur & impossibilitas quædam moralis actionibus superaddatur. Quæ igitur eodem modo sese habent in homine libero atque servo, ea differentiam specificam libertatis a servitute constituere nequeunt. Videtur adeo *Florentinus* libertatem agendi, quæ homini competit & in moralibus attenditur, confudisse cum libertate personarum, quæ servituti in sensu civili opponitur: id quod exinde colligo, quod libertas definiatur per facultata-

cultatem naturalem, cum tamen ex ipso titulo, qui de statu hominum in Pandectis inscribitur, appareat, libertatem hic in sensu civili accipi debere perinde ac servitutem de statu hominum civili. Immo libertas & servitus differtis verbis ad statum hominum civilem referuntur (p). Quamobrem in definitione libertatis, de qua hic sermo est, loco generis poni debet status, quod cum servitute commune habet: differentia vero specifica in eo constituenda, quo status libertatis a statu servitutis differt.

§. 10. Agedum itaque, videamus, *Definitio libertatis emendata.* quomodo definitionem condamus clariorem, cujus cum principiis juris Romani manifestus sit consensus & unde alia de hominibus liberis & servis deduci possint. Generis loco poni debere statum hominis, ex antecedentibus patet. Intelligendum autem esse statum civilem, quo libera nostra agendi facultas lege civili restringitur, non minus liquet. Necessarium vero esse, ut consideremus, statum hic intelligi civilem; ex eo colligitur, quod status libertatis *civi-*

(p) l. 2. ff. de statu hominum.

civilis opponatur statui naturali, ubi sola ex naturæ limitat facultatem agendi physicam. Quamobrem si vel in systemate Juris civilis status naturalis & civilis differentia distincta terminorum explicatione ante expenditur, quam status civilis differentiam secundum Jus Romanum explices; vel differentia ista ex philosophia cognita præsupponitur (nos enim eam ibidem explicamus); multo luculentius apparet, superflua esse ultima in definitione *Florentini* verba, quod libertati civili non obstet vis, nec obstet jus & utrumque, quod hic negatur, inter propositiones demonstrativas referri debere. Potissima igitur cura de differentia specifica est, quam rectius assequemur, si ad rem ipsam attenti libertatem civilem cum servitute conferamus. Vidimus in statu civili libertatem hominis naturalem lege civili limitari, quæ nullam in statu naturali admittit, nisi quæ a jure naturali venit. In servitute igitur ulterior quædam accedere debet limitatio, ob quam aliquis dicitur servus & ob cujus absentiam alius liber appellatur. Unde colligitur, in statu civili liberum

berum censerī, in quo libertas voluntatis seu facultas agendi physica libera solo jure civili limitatur, non vero arbitrio hominis cujusdam privati. Quamobrem *Libertas* (*civilis* nempe) est status civilis hominis, quo ipsi permīssum est actiones suas suo arbitratu determinare, quatenus lege civili non impeditur, aut, si mavis, quo libertas voluntatis non limitatur nisi lege civili. Differt autem libertas civilis a libertate naturali sumpta pro statu. *Libertas* nimirum *naturalis*, qui & *status naturalis* dici solet, est status hominis, quo libertas voluntatis non limitatur nisi lege naturali, seu quo homo actiones suas pro arbitrio suo determinare valeret, nisi quatenus lege naturali impeditur. Patet adeo, quod libertas naturalis major sit libertate civili. Etenim per statum civilem status naturalis non tollitur perinde ac per leges civiles lex naturæ non tollitur: sed quemadmodum ex lege naturæ efficitur civilis, dum aliquid additur; ita etiam libertas naturalis abit in civilem, dum limitationes quædam libertati voluntatis adjiciuntur, quæ in civili non obtinent.

tinent. Potest etiam definiri *Libertas* per statum hominis, quo actiones liberas jure civili non determinatas pro arbitratu suo determinare valet, seu suum in iis determinandis iudicium sequi potest, non alienum sequi cogitur. Nemo miretur, nos unam eandemque rem diversis verbis efferre. Destinatio id facimus consilio. Etenim ubi definitio systemati inferenda, iis verbis concipi debet, quibus ad demonstrandum propositiones inde pendentis aptior efficitur: id quod apparet, ubi demonstrationes actu condimus.

4. *Definitio servitutis emendata.*

*Definitio
servitutis
in Iure
Romano.*

§. 11. Libertati opponitur servitus. Est vero notio servitutis clarior notione libertatis, adeo ut illa praemissa liber definiendi possit per eum, qui servus non est & libertas per statum civilem, quem habet is, qui servus non est. Quamobrem cum de definitione libertatis dixerimus; res ipsa postulare videtur, ut definitione servitutis uberiores lucem eidem affundamus. Hac ratio nos impulit, ut ad definitionem servitutis, qualis traditur in *Iure Romano*, examinandam

dam animum adverteremus. Definitionem servitutis denuo tradit *Florentinus* (q), quæ & Institutionibus inserta legitur (r). Servitus, inquit, est constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur. Persuasum fuit Jctis Romanis, servitutem jure gentium fuisse introductam (s). Atque ea ratio fuit, cur *Florentinus* servitutem definiat per constitutionem juris gentium. Etsi autem Interpretes existiment per Metonymiam hic poni causam pro effectu, constitutionem juris gentium pro re jure gentium constituta (t), non tamen hoc pacto salvatur genus definitionis: est enim nimis remotum, nec in definitione ponendum, quod servitus sit juris gentium, sed demonstrandum potius est, servitutem, qualis viguit inter Romanos & definienda debet, esse juris gentium, non naturalis, in eo scilicet significato, quo Jcti Romani Jus naturæ & gentium a se invicem distinxerunt, quemque anno su-

pe-

(q) l. 4 §. 1 ff. de statu hominum. (r) l. 5 §. 2 de Jure person. (s) l. 4 ff. de iust. & Jure. (t) vid. Vinnius in Comment. ad Insti. h. t.

periori (u) explicavimus. Genus adeo emendatione indiget, Differentiæ specificæ loco additur, quod quis hac constitutione dominio alieno subjiatur, diciturque id fieri contra naturam. Si metonymiam Interpretum admittas, non satis commode dicitur, re jure gentium constituta subjiari quendam alieno dominio: commodior videtur dictio, si nulla metonymia admittatur, quam non minus Logica ægre fert, quam Grammatica. Sed hæc obiter dicta sunt, cum in censendis aliis scrupulosiores esse nolimus, nobisque in præsentia non tam verba, quam res curæ cordique sint. Distinguuntur adeo servi a liberis hominibus per id, quod servi sint in dominio alieno, liberi autem homines in dominio proprio, vel simpliciter loquendo, quod illi sint in dominio, hi autem in dominio non sint. Sumitur autem vox domini in eodem significatu, quo sumitur, quando de rebus usurpatur, & jus seu facultatem moralem denotat de re pro arbitrio nominæ proprio disponendi (x), ut adeo do-
mi-

(u) Trim. brum. n. II. (x) vid. Struvius
Jurisprud. Rom. Germ. lib. 2. tit. 1. §. 15.

minio alterius is subjici dicatur, de quo alter jure pro arbitrio suo nomine suo disponere valet. Quod homo dominio alieno contra naturam subjiciatur, ex eorum numero est, quod demonstrari, minime autem in definitione sumi debet, ubi systema demonstrativum concedere libuerit.

§. 12. Quod definitioni conveniat ^{Definitio} genus, ex iis intelligitur, quæ de libertate ^{servitutis.} dicta sunt. Sunt enim libertas & servitus duæ species oppositæ, quæ adeo idem genus habere debent. Et non minus ex tituli inscriptione, quæ est de statu hominum, colligitur genus esse debere statum hominis, quam idem paulo ante de libertate collegimus. Differentia status servitutis a statu libertatis satis aperte traditur a *Florentino*, modo omittas, quæ omitti debere modo ostendimus. Definitur adeo *Servitus* in sensu juris Romani, quod fit status hominis, quo in dominio alterius est. Unde consequitur, eum actiones suas lege civili non determinatas arbitrato alterius determinare, adeoque in actione committenda, vel omittenda alterius judicium sequi debere. Convenit in hoc cum servis con-
(*Hor. (sub). 1730.*) S du-

ductitiis, quales nunc habemus, quod in actionibus lege civili non determinatis determinandis alterius arbitrium sequi teneatur, non suum: hæc tamen differentia intercedit, quod in servitute Romanorum arbitrium alterius, quod sequi tenebatur servus, esset illimitatum, apud nos vero limitetur per contractum locationis conductionis, quodque apud Romanos servitus esset perpetua, nec finiri posset nisi voluntate domini; apud nos vero conductitia ex contractu habeat durationem, consequenter servi conductitii per temporis quoddam spatium ex alieno arbitrio actiones suas determinare teneantur, servi autem proprii per omnem vitam. Quodsi hæc accuratius perpendas a servis conductitiis atque propriis abstrahere licet aliquod genus commune, sub quo tanquam duæ species continentur. Etenim cum servi Romanorum & servi nostri conductitii in eo conveniant, quod in actionibus lege civili liberis determinandis alterius personæ privatæ arbitrium sequi teneantur; quemadmodum modo exposuimus; *servus in genere* erit homo, qui actiones

nes lege civili liberas ad alterius personæ privatæ arbitrium determinare tenentur. Et quia inter servum Romanum, five proprium & inter conductitium, hæc differentia intercedit, quod illius servitus sit perpetua, hujus vero servitus nonnisi temporaria; quod illa sit absoluta, hæc ex pacto limitata; *servus proprius*, quales fuerunt servi Romanorum, est, qui est in dominio alterius; *servus vero conductitius*, qui ad præstandas operas alteri ex pacto aut, si mavis, ex contractu obligatur. Ex hisce enim definitionibus fluit, quod servus proprius teneatur ad præstandas domino operas quascunque per omnem vitam; hic vero tantummodo ad eas, ad quas se vi pacti seu contractus obligavit ad tempus contractu definitum. Quod si malis *servum proprium* definire per eum, qui per omnem vitam actiones suas lege civili non determinatas ad alterius personæ privatæ arbitrium determinare tenetur; *servum autem conductitium* per eum, qui per tempus suo consensu definitum actiones quasdam lege civili non determinatas ad alterius personæ privatæ arbitrium determinare te-

netur, pacto expresse, vel tacito definitas, ut clarius appareat, quomodo species regulis logicis convenienter ex notatione generis deducantur; ex priore facili ratiocinio colligetur, servum proprium esse instar jumentorum in dominio nostro, conductitium vero non obligari nisi ad operas præstandas, quas vi contractus debet.

§. Definitiones ingenui & libertini.

Ingenui
definitio.

§. 13. Sunt etiam in Jure Romano definitiones, quæ nullam prorsus emendationem exigunt, etiam si systemati demonstrando sint inferendæ, modo in eodem rite collocentur, ut, qui eas ingrediuntur, termini ante fuerint definiti. Refero huc definitiones ingenuorum & libertinorum. Definitionem ingenui dedit *Marcianus* (y). Definit is *Ingenuum* per hominem, qui ex matre libera nascitur. Et hæc definitio sufficit iis omnibus demonstrandis, quæ de ingenuis in Jure Romano traduntur. Equidem in Institutionibus (z) *Ingenuus* definitur per eum, qui statim, ut

natus

(y) l. 9. §. 2. ff. de statu hom. (z) princ. de ingen.

natus est, liber est: ex ea vero demonstrari nequeunt, quæ de ingenuis sancit Jus Romanum, cum desint determinationes civiles, quæ definitionem ingredi debent in systemate demonstrativo, quemadmodum nuper ostendimus. Me autem non monente intelligitur, definitionem libertatis præmittendam esse definitioni ingenui, ut constet, quænam mater libera dicatur. Deinde explicandū est definitione nominali, quid sit *ex matre libera nasci* in sensu juris Romani: scilicet quod is *ex matre libera nasci* dicatur, cujus mater vel tempore conceptionis, vel gestationis, vel nativitatis libera. Etsi enim sint rationes, cur Juri Romani libertatem concesserint infanti, etiamsi mater tantummodo libera fuerit tempore conceptionis, vel gestationis; non tamen opus est, eas in systemate demonstrativo scrutari. Etenim in genere tenendum, arbitraria sumi posse & ad terminos consuetos reducta definitiones nominales largiri: fit ita alibi, in Jure nimirum Naturæ ac Politicæ, talia demonstranda esse. Exemplo nobis sunt ipsi Mathematici, quod satis superque perspectum habent, quotquot

S ;

ad

ad methodum attentionem afferunt sufficientem. Ita Arithmeticus sumit notarum numericarum valorem tanquam arbitrarium absque demonstratione, etsi in Arte characteristica demonstrari possit ac debeat. Similiter Astronomus absque demonstratione sumit, quod sine ea possibile intelligitur, per data utcumque duo puncta in superficie sphaerae caelestis duci posse circulum maximum, & ejus arcum inter duo puncta interceptum distantiam eorum appellat, unde ipsi definitio *distantiae stellarum* nominalis nascitur, utut ex notione generali distantiae demonstrari possit, arcum istum esse distantiam. Salvis enim iis, quae in Astronomia de distantibus siderum demonstrantur, ac ex distantibus porro deducuntur, ignoratur, arcum istum esse distantiam: abunde sufficit nosse, quod is distantia appelletur, nec diversum quid ab eo in Astronomia distantiae nomine indigitetur. Nos in Mathesi varia, quae sumi poterant (quo etiam praesens exemplum pertinet) demonstravimus, ut eadem cum disciplinis philosophicis connecteremus atque philosophiae primae utilitatem
 ipsius-

ipfiusque methodi rationem interiore in luce clariori collocaremus.

§. 14. Definitio libertini defumta ^{Definitio} est ex Gaji Institutionibus. *Libertini*, ^{libertini.} inquit (a), sunt, qui ex justa servitute manumiffi sunt. Hæc definitio absque ulla mutatione systemati inferri potest, modo præmittatur definitio manumiffionis. Eam vero præmitti methodus demonstrativa jubet: neque enim libertinus concipi potest absque manumiffione, neque manumiffio absque servitute. Quamobrem leges illius methodi postulant, ut primo loco agatur de servitute, deinde de manumiffione, & tandem de libertinis. Præterea explicandus est terminus justæ servitutis, qui definitionem ingreditur. Ubi autem tradita sunt, quæ de servitute leges præcipiunt, sine ullo negotio subnectitur terminus justæ & injustæ Servitutis. *Justa* nimirum *Servitus* est, quæ legibus convenit, seu ex causa legi probata oritur: *injusta* vero servitus est, quæ legibus repugnat, seu ex alia causa oritur, quam quæ lege approbatur. Quod si igitur leges de servitute præmittantur,

S 4

quæ-

(a) l. 6 ff. de statu homin.

quænam sint justæ causæ illico constabit. Quod si terminos in definitionibus juris obvios explicare illasque explicationes tanquam definitiones nominales præmittere velis; plures definitiones prorsus immutatas retinere licebit, quam forsitan existimaveris. Exemplum habemus in definitione tutelæ, de qua in superioribus diximus. Videtur primo intuitu tenebris cimmeriis obscurior, ut impossibile videatur per eam intelligere, quid sit tutela, multo minus fieri posse existimetur, ut, quæ de tutela præcipiunt leges, inde demonstrantur: vidimus tamen in superioribus eodem artificio, quod hic commendamus, eam in systemate servari posse. Plurima veterum pariter ac recentiorum placita ita comparata sunt, ut explicatione salventur, propterea quod non commoda dictione semper exprimuntur, quæ recte cogitantur.

An definitiones in jure emendare liceant.

§. 15. Sufficiant hæc de definitionibus juris specimina, ut intelligatur, quomodo in iis emendandis versari debeat demonstrationes in Jure daturus. Quod si dubium orlatur, num definitiones in Jure contentas immutare liceat; dubium hoc

hoc absque ulla difficultate tollitur. Nihil in definitionibus mutare licet, quatenus spectantur ut leges; licet autem mutare, quod conveniens visum fuerit ut mutetur, quatenus spectantur ut definitiones. Nimirum ex Logica constat, definitionibus qua talibus nullam inesse affirmationem & negationem, consequenter per se nullam inesse veritatem; tum autem demum aliquid affirmari, vel negari, quatenus supponis aliquod ens, cui prædicata ista conveniunt singula, tum etiam omnia simul, quæ in definitione continentur. E. gr. Si verba *Gaji* (§. 14), libertini sunt, qui ex justa servitute manumissi sunt, pro definitione accipias; libertinorum nomine intelligi debere eos sumis, qui ex justa servitute manumissi sunt; non vero affirmas esse homines in justa servitute & ex eadem manumitti posse. Quamobrem si vel maxime neges, definitionem istam esse regulis logicis convenientem, nec ad demonstrationes legum de libertinis aptam; non tamen ideo negas, justam quandam dari servitutem & ex eadem servum manumitti posse. Et, ubi definitionem vel totam, vel ex

parte mutaveris, nihil tamen in jure Romano mutaveris, & dum definitioni dicam scribis, nihil tamen in ipsis legibus reprehendis. Non absurdam, nec impiam cenes servitutem, quam leges Romanæ justam pronunciant: nec reprehendis jus Romanum, quod servos manumitti permiserit. Immo si libertinum defines per personam liberam, quæ antea jure erat servus; exinde demonstrare deberes, & posses, quod libertinus fuerit ex justa servitute manumissus. Exemplo intellectu admodum facili utor, ut evidentius appareat veritas. Legibus non contradicit, qui definitiones in propositiones resolvit & singulas pro legibus agnoscit, definitionem vero talem extruit, qualem ad leges demonstrandas aptam deprehendit. Neque etiam ideo verendum, ut significatus vocis mutetur: quando enim leges de re quacunque ex definitione ejus, quam construxisti, demonstrari possunt, genuinum omnino nominis, quo ea indigitatur, significatum sanctissime custodis. Norunt hæc satis superque, qui in Mathesi versati sunt, & rationem a priori capiunt, qui opus nostrum

strum logicum attendente mente pervolverunt (b), præsertim ubi genuinam entis notionem integro capite in Ontologia a nobis evolutam distincte perceperint. Sane scriptores Conicorum sectiones conicas non uno modo definiunt, eundem tamen significatum pertinaciter retinent. Quod enim unus sumit in definitione, id alter ex eo, quod ipse in eadem sumsit, demonstrat. Neque datur præstantior modus genuinum terminorum juridicorum significatum demonstrandi, quam ubi dentur definitiones, ex quibus leges singulas demonstrare licet, absque omni critico molimine, quo, si te artificem probaveris, significatum termini ultra probabilitatis leges non stabiliveris. Data opera hæc monemus, ut a præcoce censura sibi caveant methodi demonstrativæ imperiti, quasi istiusmodi definitionum immutatione a mente Jctorum Romanorum recedatur & legibus alienus sensus affingatur. Si enim sunt hodie multorum mores, ut sibi sapere videantur ultra ea, quæ intelligunt, & sibi judicium partes sumant, qui si in di-

scen-

(b) Vide §. 172 & seqq. Log.

scientium numero esse mallent, famæ suæ magis consulent.

*Defini-
tiones
quemodo
limanda.*

§. 16. Notandum vero in primis venit, non esse expectandas definitiones prorsus limatas in Jure, antequam leges ipsas solide demonstraveris. Accurata enim censi debet definitio, si nec plura, nec pauciora continet, quam quæ ceteris inde demonstrandis servant. Id vero tum demum ipso opere experieris, ubi demonstrationes dederis. Immo cum perinde sit, quænam in definitione ex rei prædicatis sumantur, ut cetera inde demonstrantur, modo sumas, quæ rei conveniunt; ex quibusdam autem sumtis cetera facilius demonstrantur, quam si alia sumere libuerit: definitiones, quæ extra systema omnium optime videntur, in eodem immutandæ veniunt, ut facilius fluant definitiones. Quamobrem si quis systema demonstrativum Juris Romani condere voluerit, ei minime suademus, ut eas præcise retineat definitiones, quas in anterioribus dedimus. Etenim si ipsimet eum in nos laborem susciperemus, non nobis religioni duceremus alias iisdem substituere vel, sicubi opus sit,

fit, limatiores efficere. Jubet enim ipsa methodus, ut id faciamus, cum initio quidem communiter ponantur definitiones, ut ut ultimo demum loco eondantur, ubi inventorem egeris & de istiusmodi rebus sermo fuerit, quibus consuetudo loquendi aliquod nomen vindicavit. Accedit, quod in systemate termini quidam fiant perspicui atque utiliter in definitionibus adhibeantur, quæ extra systema, si non prorsus obscuri sunt, aliquid tamen obscuritatis alere videntur, adeoque definitionem obscuram reddunt, ut non satis intelligatur. Ita extra systema non plena luce radiat definitio, quod servus fit homo, qui est in dominio alterius; pleniori fulgere censebitur, quæ servum dicit hominem, de quo alius pro arbitrio suo disponere potest, seu disponendi jus habet: ut ut in systemate utraque eadem luce radiet, ubi terminus domini ante explicandus, quam de servitute agere possis. Eodem modo sese res habet in Mathesi, etiam in iis, quæ maxime obvia sunt. Si in systemate figuram regularem definias per figuram æquilateram & æquiangulam; omnem perspicuitatem

tem habet definitio, quam habere potest, quoniam in anterioribus definitur, quænam figura sit æquilatera, quænam æquiangula. Enimvero extra systema, ubi termini figuræ æquilateræ & æquiangulæ non præsupponuntur definiti ac ex definitione intellecti, facilius ab unoquoque intelligetur definitio, quod sit figura, quæ lineis rectis inter se æqualibus terminatur & cujus singuli anguli sunt inter se æquales. Immo si cui nec angulus quid sit perspectum fuerit; ei magis arridebit definitio, quod sit figura, quæ lineis rectis inter se æqualibus terminatur, quæ æqualiter ad se invicem in punctis concurrunt inclinantur. Rideretur vero, qui talem definitionem systemati inferret. Quid igitur in definitionibus conveniat, tum demum plene perspicitur, ubi ipsam systema conditur. Ultimam adeo limam definitiones demum expectant, ubi propositiones inde pendentes demonstratæ & definitiones a se invicem pendentes ordinatæ fuerint. Desinant ergo mirari, cur definitiones bonæ sint adeo raræ extra Mathesin, qui de definitionibus judicare valent! Ubi nostra methodo disci-

disciplinæ philosophicæ omnes inter se ac Facultates superiores cum iisdem fuerint connexæ; definitiones quoque exactissimæ condentur, quæ ad amissim satisfaciunt regulis logicis. Initio tamen non opus est, ut nimis simus scrupulosi in definiendo. Sufficit in re nihil desiderari posse, quamvis in dictione emendari adhuc nonnulla queant. Etenim demonstrationes legitime procedunt & definitiones ipsæ recte ac promte in dato casu applicantur, ut dictio nondum sit adeo præcisa. Ceterum apparet necessitas condendi systemata in omni disciplinarum genere, ut cognitio humana fiat exacta & a confusione liberetur.

§. 17. Antequam hinc discedamus, *Quanam* unica adhuc movenda est quæstio, *in con-* *dendis* *definitio-* *nibus* *systema-* *ticis ju-* *ris obser-* *vanda* *potissi-* *imum,* mirum utrum in systemate in condendis definitionibus magis habenda sit ratio demonstrationum, an applicationis earundem ad usus obvios. Duplicem enim definitiones habent usum, tum ut cetera, quæ rebus conveniunt, ex iis, quæ in definitionibus sumuntur, demonstrantur, tum ut earum ope res obvia agnoscantur & ad sua genera suasque

species reducantur. Constat autem iis, qui scientias demonstrativa methodo excoluerunt, alias definitiones esse commodiores ad demonstrandum, alias vero ad usum, quem in applicatione eorundem præstare debent. Merito igitur quaeritur, si casus istiusmodi in condendo systemate sese offerat, ut eadem definitio utrique usui non æque apta apprehendatur, quinam alteri sit præferendus. Non dubito fore plurimos, qui existimaturi sunt, tales potius constitui debere definitiones, quæ facilem admittunt applicationem, quam quæ faciliorem pariunt demonstrationem. Nec sine specie veritatis tale quid affirmabunt: etenim demonstrationes non alium habent usum, quam ut veritas propositionis apprehendatur, adeoque semel intellectæ iterum oblivioni dantur, postquam animus veritatis fuerit convictus, solo sensu certitudinis in assensu inde orto conservato, ne unquam animum de veritate subeat dubitatio; definitiones vero in usum applicationis constanter retinendæ. Prior adeo usus temporarius est; posterior perpetuus. Videtur itaque usus perpetuus præferen-

ferendus temporario: immo absonum videtur contrarium defendi. Hoc tamen non obstante contendimus in systemate ita condendas esse definitiones, ut faciles pariant demonstrationes, sive earum applicatio ad res obvias agnoscendas difficilior reddatur, sive minus. Etenim ubi veritates omnes de re quadam agnitæ in systema demonstrativum fuerint redactæ, in propositionibus demonstrativis occurrunt, quæ definitionem applicationis facilioris ingredi debent. Quodsi unica propositione continentur, quæ toti definitioni respondent; ea definitionis loco utemur, quotiescunque casus applicandæ definitionis nobis offertur. Quodsi per plures dispergantur prædicata, quæ simul sumpta definitionem facilioris applicationis constituunt; sumtis iisdem loco hypotheseos seu determinationum subjecti & definito seu nomine rei loco prædicati, prædabit propositio ex anterioribus demonstranda, qua definitionis loco uti datur. Omnis enim propositio demonstrativa, in qua loco prædicati ponitur definitum, definitioni

(Hor. *sub*. 1730.)

T

æqui-

æquipollet, cum ipsa definitio in istiusmodi propositionem convertenda sit, antequam applicari queat.

*Cur au-
tem faci-
libus u-
sus exem-
plis.*

§. 18. Colophonis denique loco monemus, nos specimina definitionum commendatarum in jure daturis studio elegisse exempla facilia, quæ nihil prorsus artis habent. Neque enim nobis aliud propositum fuit, quam ut regulas in Trimestri superiori de definitionibus juris ad systema demonstrativum aptandis datas exemplis illustraremus. Conducunt igitur scopo nostro exempla, quæ sua se facilitate commendant, tanto profecto meliora censenda, quo sunt facilia. Quodsi enim difficilia fuerint exempla, ut in ipsis defatigetur attentio; nihil ejus relinquetur ad illorum cum regulis consensum perpendendum. Dedimus alias definitiones, in quibus evolvendis plus artis opus est, initio hujus tractationis commemoratas: nec nobis difficile fuisset alias proferre, quæ istis sunt profundius eruendæ, maximæ simul utilitatis. Sed tales dandas esse judicavimus, quas præsens instituti ratio postulat:

stulat: neque enim vanitatem, sed
veritati ac lectoris utilitati.

III.

De Nexu rerum in negotiis huma- nis, Prudentiæ fundamento.

§. 1.

IN Cosmologia generali seu transcen-^{institu-}
dentali, quam primus partem quan-^{tum Ass-}
dam peculiarem Metaphysicæ non irri-^{toris.}
to consilio feci, rerum præsertim mate-
rialium nexus primum sibi locum vin-
dicat. Ea nempe inter se connecti di-
cuntur, quorum unum continet ratio-
nem sufficientem coexistentiæ vel suc-
cessionis alterius (c). Ratio sufficiens
denotat id, per quod intelligitur, cur a-
liquid sit potius, quam non sit (d).
Quare tum res plures inter se connexæ
sunt, si in earum una tale quid depre-
henditur, cur altera vel simul existat, vel
eandem sequatur. Et istiusmodi ne-
xum deprehendimus in universo seu
mundo hoc ad spectabili. Neque enim
in mundo quicquam oritur, quod ante
non fuerat, immo nulla prorsus in cor-

T 2

pori-

(c) §. 20 Cosmol. (d) §. 56 Ontol.

poribus mutatio accidit, cujus nulla datur causa. Et si quis novit, quæ causæ conveniunt, is per ea intelligit, atque alteri distincte explicare valet, quomodo illa sit causa alterius, hoc est, quomodo fieri potuerit, ut, quod ante non erat, produxerit, vel mutationem corpori jam antea existenti induxerit. In hoc nexu, qui nil quicquam aliud est, quam effectus a causa efficiente dependentia, totius Physicæ fundamentum consistit, in qua non aliud intendimus, quam ut nexum istum perspiciamus. Enimvero res præterea in mundo ad spectabili ita connectuntur, ut ex iis, quæ ipsis insunt, intelligatur, quod unum ideo existat, quia existit alterum, vel ut alterum existat, v. gr. dum solem una cum Tellure existere conveniens deprehendimus, quod sublato Sole Terra recidat in chaos, cessantibus generationibus & corruptionibus. Atque hic rerum materialium nexus, si eum curate consideres & ad autorem suum Deum referas, nil quicquam aliud est, quam dependentia finis a medio, aut si mavis, rerum a se invicem dependentia quoad rationes finales. In hoc nexu fundamentum
totius

rico usus, absolute necessarium facit, non quod ex eodem fluat necessitas, neq; enim adeo obtusi erat ingenii, ut non perspiceret, posito rerū nexu absolutam necessitatem ejus non poni; sed quod voluntatem non causam liberam, verum necessariam existimans (h), Deum operari ex libertate voluntatis negaret (i) & res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuisse, quam productæ sunt, contenderet (k). Qui *Spinofam* vel non legerunt, vel lectum intelligere non potuerunt sufficiente acumine destituti, cum audirent, eum fatalem rerum omnium necessitatem asserere, more suo non ex notionibus, quas vel nullas habent, vel saltem non distinctas, sed ex vocabulo concatenationis ratiocinati, obstetricantibus legibus etymologicis & significatu metaphorico notionem catenæ confusam imaginationi obijciente, sibi persuaserunt ex ipso nexu seu concatenatione rerum fatalem necessitatem fluere. Accidit inde ut, quando nexus rerum declarabatur, quod scilicet non fit nisi dependentia rerum

(h) Ethic. part. I. prop. 32 p. 28. (i) Cor. I. prop. cit. p. 29. (k) prop. 33 p. 29.

rerum a se invicem per modum effectus a causa efficiente mediique a fine ex iis, quæ rebus insunt, intelligibili modo explicabilis, attonita mente hærerent Sciamachi, qui vocabulis bellum indicare solent, quod audirent, quæ subreptitiæ notioni ex etymologia vocabuli enatæ non convenire videbantur, infalibili indicio se contra nexum rerum declamasse, antequam didicissent, quid isto vocabulo denotetur. Nexus rerum rite intellectus, quemadmodum a nobis in opere Cosmologico stabilitur, maximam habet in scientiis utilitatem. Neque enim solum verioris Physicæ ac Teleologiæ fundamentum est, quemadmodum modo monuimus, verum etiam solidum totius Theologiæ naturalis fundamentum, ita ut sine eo Dei existentia ceteraque ejus attributa ex contemplatione universi demonstrativa ratione deduci haud possint. Immo genuina philosophandi methodus, quam *Cartesius* introduxit, ex rerum scilicet notionibus intelligibili modo explicandi, quæ ipsis conveniunt aut convenire possunt, in eodem nexu fundatur. Sed dantur adhuc doctrinæ hujus de nexu rerum

T 4

usus

usus alii complures, quos inter hic loci ille inprimis considerari meretur, qui in negotiis humanis deprehenditur. Eum qui perspicit, plurimum inde ad prudentiam praesidii petere valet. Nostrum igitur esse existimamus ea de re differere paulo disertius.

Nexus rerum in negotiis humanis adstruitur.

§. 2. Nexus rerum in negotiis humanis dari ut ostendamus, quid per negotia humana intelligatur ante definiendum. Sunt igitur nobis negotia actiones externae, privati vel publici boni gratia editae. Unde colligitur negotia humana longe lateque patere, ut eorum numerum inhaere res infiniti foret laboris. Ex quo porro intelligitur, praesentem doctrinam esse amplissimi usus. Jam vero per ea, quae paulo ante dicta sunt, palam fit, negotia nostra tum inter se, tum cum aliorum negotiis, rebusque aliis connecti, consequenter dari quendam rerum nexum in negotiis humanis attendendum. Etenim res una connectitur cum altera, quatenus in una continetur ratio, cur altera sit. Ipsa vero experientia loquitur, ex uno negotio nasci aliud & ex negotiis provenire res alias, quae ideo sunt, quia nego-

negotium fuit. Negotia igitur alia cum aliis atque præterea cum rebus aliis connectuntur. Ut generaliter enunciata ab obscuritate liberemus, quæ ipsis adhæret; exemplo rem declarari convenit. Ponamus itaque in urbe non procul a finibus regionis sita prohiberi aliquam mercem, quæ aliunde ad nos defertur, eo quidem fine, ne pecunia parata ad exteros exportetur, a quibus illam accipimus. Si hoc negotium in se spectetur, approbatione dignum videbitur. Quemadmodum enim privati est, ut patrimonium suum amplificaturus expensis parcat, quantum datur; ita similiter ad augendas Reip. opes conducit, ne parata pecunia ad exteros exportetur, seu ut moderemur expensas, quæ in merces peregrinas fieri debent. Qui citra nexum negotii hujus publici cum negotiis publicis ac privatis aliorum rebusque aliis secuturis illud expendit, adeoque ea non perpendit, quæ ex hoc negotio consequuntur; is sibi & aliis bene ratiocinari videbitur sapientisque laudem promerebitur. Enimvero quamprimum in nexum illius cum rebus aliis mentis aciem convertimus,

T 5

mus,

mus, negotium statim videbitur alicui periculi plenum, a quo perficiendo ut abstinemus prudentia jubet. Apparet autem negotium hoc multiplici modo connexum esse cum negotiis aliis & vi hujus nexus medii naturam amittere, quam antea habebat, augendi scilicet Reip. opes. Connecti autem negotium in casu dato cum aliis & nasci hinc seriem rerum connexarum non facile terminandam haud difficulter ostendimus. Cum urbs ad fines provincie vel regni sita supponatur, ex locis finitimis mercium emendarum causa accedunt extranei, quemadmodum & ad victum necessaria ex istis locis advehuntur & apportantur. Prohibitio mercis non egreditur territorium prohibentis, adeoque finitimi, quibus merx prohibita commoda videtur, se ab ejus usu abstrahi minime patiuntur. Petunt igitur eam ex locis aliis, nec eam solam, sed una ceteras, quas antea in loco eodem emere sueverant. Quodsi ad victum necessaria advecta vendunt, paratam pecuniam omnem, quam lucrati sunt, secum auferunt, cujus antea partem in emendis mercibus impenderant. Ubi for-

forſan non alius vicinus videtur locus, unde merces commode haberi poſſunt; non deest mercator lucri cupidus, qui in vicino quodam loco tabernam mercibus inſtruit, ut æquo pretio haberi poſſint. Offenduntur illi, a quibus merx prohibita petebatur, ut jam de eo cogitent, quomodo jure talionis uſi par pari referant prohibenti. Si merx commoda ea in regione non habetur, quæ prohibitz ſubſtitui poſſit: exteri ad lucrum ſuum attenti de novo quodam genere cogitant, quod commodius in locum illius ſuccedit. Hæc deinde advehitur, cum prohibita non ſit. Ita arcentur emtores extranei & venditores victualium mercatoresque inquilini pecuniam exportant. Conqueruntur mercatores de mercatura impedita & deterrentur, qui opes adveſturi domicilium in loco prohibitionis conſtituere decreverant. Mille alia ſilentio præterimus, quæ cum levicula videantur, initio contemnenda cenſentur, etſi ex iſdem continua rerum connexarum ſerie naſcantur, quæ maximi ſunt momenti & inprimis digna ſeruaſſe attentione. Unicum hoc exemplum abunde docet, quid ſibi velit nexus,

XUS,

xus, de quo hic loquimur, & quantum interfit, utrum negotium aliquod in se spectes, an idem in nexu cum negotiis rebusque aliis consideres. Non igitur opus esse judicamus plura in medium afferri, etsi alia obvia sint negotia, quæ cum aliis evidentius connexa sunt, ut longiorem successivorum seriem con-
tueri nobis detur.

*Acumen
in perspi-
ciendo
hac nexu
quomodo
compare-
tur.*

§. 3. Notandum vero est, acumen quoddam ad nexum hunc intimius perspicendum acquiri posse: quod quomodo fiat docere lubet, antequam ad alia digrediamur, quæ circa eundem considerari merentur. Acumen hoc in habitum numero est, atque adeo continuis exercitiis comparatur, quemadmodum ceteri comparari solent. Recensenda igitur sunt exercitia, quibus opus est. Eorum primum ac unicuique sponte veluti sua obvium consistit in attentione assidua ad ea, quæ ex nostris aliorumque negotiis consequuntur. Ne autem ea nostræ sese subducant attentioni, inquirendum est in rationem eorum, quæ vel a nobis, vel ab aliis fiunt, & quæ vel nobis, vel aliis accidunt: ubi enim intelligimus, per quæ prævia nostra
vel

vel aliorum negotia nos aut alii ad negotium aliquod fuerimus determinati, vel quo nostro aut alieno negotio posito quid nobis aut aliis acciderit; illico nexus negotii unius cum negotiis aliis vel rebus aliis constabit. Utile autem fuerit, ut etiam ad ea respiciamus, quæ levioris, immo nullius momenti videntur, quoniam hoc pacto edocebimur, quam ardua ex negotiis nullius fere momenti consequantur: id quod multiplici utilitate sese commendabit, ut nostræ nos attentionis minime pœniteat. Quod si hæc exercitia assidua industria continuemus; sensim sensimque crescat acumen, ut absque ullo labore nexus negotiorum cum aliis tam negotiis, quam rebus in conspectum prodeat, quem ante vix in apicem producere poteramus. Conducit vero etiam ad hæc exercitia historia, in qua negotia publica describuntur, ut adeo inde discere detur, quomodo negotium unum ex alio fuerit natum & quæ hinc orta Rerump. fata. Æquipollet historiæ domestica negotiorum publicorum experientia, immo eadem præstat, ubi circumstantiæ singulares fuerint perspectæ, quæ publice non
in-

innotescunt. Acuminis vero hujus duo sunt peculiare gradus, de quibus ut dicamus maxime interest. Primus acumen extendit a vicinis ad remotiora, ut nexum rerum per longum temporis tractum ex se invicem naturam perspicere valeamus. Alter acumen intendit, ut profundius in negotia introsipientes nexus generaliores advertamus, qui ad casus alios similes applicari possunt, ubi nexum experiri nondum datum fuerit. Primus acuminis gradus infinitos alios sub se comprehendit, ut adeo in eodem perficiendo continuo ulterius progredi ac majora indies incrementa capere possis. Neque vero hic alio exercitio opus est, quam ut in nexu negotiorum & rerum ab iis pendentium scrutando continuus & assiduus sis & successive attentionem ad seriem longiorem promoveas. Hoc enim pacto acumen capere incrementa, ut de iis parum sollicitus sis, immo ne quidem cogites, ipso opere experieris. Eodem prorsus modo hic res sese habet, quemadmodum in demonstrationibus obtinet. Initio laboris est demonstrationes concipere, in quibus pauca ratiocinia inter se connectuntur. Ubi vero fa-

facilitatem experiris in istiusmodi demonstrationibus concipiendis; difficultatem tamen adhuc faceffunt longiores, in quibus plura ratiocinia inter se connectuntur. Quodsi vero in iis concipiendis assiduum te præstiteris, has quoque difficultates tandem superabis, eandemque facilitatem in expendendis demonstrationibus longioribus experieris, quam antea in brevioribus expertus fueras. Et ita continuo progredieris cum eadem facilitate ad habitum ratiociniorum concatenationem ad seriem longiorem producendi. Quemadmodum hic ratiocinia inter se connectuntur, ita ut unum nascatur ex alio, omnes vero simul per nexum continuatum ex eodem primo posito ortum ducunt; ita in altero casu par est negotiorum ac rerum ex iis enatarum ratio. Ac ideo idem est exercitiorum in utroque casu eventus. Istud autem in hoc primo gradu extensionis adhuc singulare est, quod simul gradus quidam intensio- nis eidem insit: qui cum exquisitior sit, diuturniori quoque exercitio comparatur ac peculiare quoddam exercitii genus requirit, ut promptius succedat. Ni-
mirum

mirum hic quoque obtinet in casu negotiorum, quod in casu demonstrationum obvium apprehenditur, ut adeo denuo hoc posteriori tanquam clariori illustrare liceat priorem tanquam difficilorem. Initio laboris, quem in demonstrationibus consumimus, in potestate nostra positum non apprehendimus demonstrationem absolutam, etsi brevior, una idea complecti, ut confuse quidem, attamen satis clare percipiatur: idem tamen postea succedit, ubi in demonstrationibus fuerimus diu versati, atque tum demum sensus certitudinis propositioni, ad quam pertinet demonstratio, accedit, utpote qui non consistit nisi in hac ipsa idea, quae adeo tanquam sociata recurrit, ubi memoriam subit propositio eidemque respondens idea vi imaginationis sustentatur. Eodem prorsus modo acumen nostrum intenditur, dum ad longiorem seriem negotiorum inter se & cum rebus aliis connexorum percipiendam extenditur, ut eam uno quasi obtutu comprehendere valeamus, sensusque nexus in idea conservetur. Neque vero hic acuminis gradus contemnendus est; sed maximi profecto fieri

fieri debet. Reddit enim mentem expeditam ad nexum remotiorem in dato casu simili vi istius ideæ diffusæ prævidendum: id quod ad consilia ex arena, quod dicitur, capienda mirifice conducit. Atque in hoc ipso acuminis gradu consistit rerum fortuitarum præsentio, quam *divinationis* nomine compellat Cicero (1): quæ in præsentī casu præsentio eventuum fortuitarum dici in specie debet, & qua Cicero mirifice excelluisse fertur. Sed de ea ex instituto dicemus alio tempore: cum enim in nexu rerum tota quanta fundetur, quam utile sit eundem introspicere omnium evidentissime probat. Quodsi quæsi-
 veris, quo exercitio imprimis opus sit, ut tam exquisitum acuminis gradum acquiras citius atque plenius; prompta quidem nobis est responsio, qui non loquimur nisi quæ experti sumus & per rationes intelligimus: sed cum ea a priori intelligi nequeat nisi principiis psychologicis penitus inspectis, ut rem ad captum lectoris, quantum quidem ea patitur, exponamus danda opera est. In opere logico docui (m), quod

(Hor. *subf.* 1730.) U mo-

(1) l. 2. de Divinat. (m) §. 958.

modo demonstrationes sint resolvenda, ut ratiocinia, quæ inter se connectuntur, distincte appareant, & quænam ac quomodo in charta sint consignanda, ut demonstrationem omnem una idea complecti possis, sicque convictio suam consequatur claritatem & sensus certitudinis ideæ propositionem exhibenti adnascatur. Simile quid in præsentī etiam negotio requiritur, ut ad nexum remotiorem perspiciendum aptior evadas. Etenim series negotiorum inter se & cum rebus aliis connexorum distincte resolvi & uno quasi schemate oculis exhiberi debet, singulis nexuque singulorum cum singulis figillatim expensis, quæque figillatim expendisti, mox uno obtutu vi imaginationis lucida comprehensis. Sed quæ plura in eam rem dici debebant, cum paucis dici nequeant, ad peculiarem tractationem de præsentione futurorum eventuum reservamus. Sufficiant igitur hæc de gradu primo, quo acumen extenditur. Secundus gradus acuminis, quo idem intenditur, ut profundius in negotia introspicientes nexus generaliores advertamus, priori difficilior est. Supponit enim

enim ingenium, vi cuius similitudines rerum discernere possis, idque non vulgare, cum similitudines hic spectentur latentes. Comparantur inter se diversorum negotiorum nexus eodem modo, quo individua inter se conferuntur, ut notionem speciei inde abstrahas, vel species inter se comparantur, ut ad notionem generis pervenias (n). Ita successive nascitur acumen pervidendi abstracta in concretis, una cum intensione ingenii, ut vi illius universalialia in rebus singularibus obvia separare & separata in earum ideis coram veluti intueri valeas, vi hujus autem similitudinem universalibus determinationibus contentam in aliis casibus externa specie plurimum differentibus advertas. Hoc pacto negotia maxime ardua reducuntur sæpissime ad maxime vulgaria, quæ vix attentione nostra digna judicassetus. Proderunt haud raro viro, quæ puer olim expertus fuerat. Quamobrem mirifice prodest, si ad quævis obvia attendas eaque acumine tuo digneris, quantumcunque polleas. Quo majore enim acumine in contemplandis obviis uteris,

U 2

60

(n) S. 678. 710.

eo evidentius patebit ex obviis perspicui posse, quid in arduis sit agendum. Quod si distinctam in his requisiveris cognitionem, ut gradus acuminis prorsus singularis celeriora & uberiora capiat incrementa, & idem exemplares non fiant seductrices; notiones ontologicae, quas esse directrices in omni cognitione humana anno superiori (o) evicimus, mirifice profunt, non modo quod attentionem ad ea praecise dirigant, in quibus defigenda, verum etiam quod abstractorum enunciationem distinctam juvent, ad quam sine illis non pervenitur. Hoc ipso philosophiae primae usus in negotiis humanis insignis prorsus elucet, ut neminem poeniteat laboris in eam addiscendam impensi, qui ad usum vitae philosophatur & cum Sennis antiquis cognitionem omnem, quam acquirere studet, ad Remp. refert.

*Modo
nexus in
negotiis
humanis
perspi-
ciendi.*

§. 4. Quod si in acumine, de quo abunde dictum est, acquirendo industriam rite collocaveris; eo ipso nexus in negotiis humanis obviis perspicies, notabisque in progressu te indies ad eum
ob-

observandum evadere aptiorem. Ubi autem aliquo acumine pollueris, tanto frequentiore in scrutando nexu isto esse oportet, cum jam in cognitione interiori negotiorum magis proficere datur, quam initio, ubi in ea nondum profunde penetrare datur. Quodnam præsidium hic positum sit in notionibus philosophiæ primæ, modo exposui. Quamobrem operam suam utiliter collocat, qui in iis intelligendis & memoriæ infigendis eam consumit. Inprimis autem ad præsentem scopum assequendum conducunt, quæ de principio contradictionis atque de principio rationis sufficientis, de possibili & impossibili, determinato & indeterminato, de notione entis, tam in genere, quam in specie, de ente singulari & universalis, porro de identitate & similitudine, de ordine & perfectione, de causis denique atque signis traduntur. De singulis idem evincere præsens non patitur institutum. Quodsi tamen has Horas subsequas continuare libuerit, non deerit occasio, qua fidem oculatam nunc in hac, nunc in ista, nunc in illa notione demus. Præstat autem, ut quis usum illarum no-

U 3 tio.

tionum prorsus inexpectatum in semetipso experiatur: ad quod non parum prodesse didici, si, ubi nostra nos fefellit opinio atque expectatio, in rationem inquiramus, cur id contigerit, ut pateat, quomodo ope notionis directricis lapsus evitari possit, & si in progressu acuminis aucti perpendamus, quomodo vi notionum ontologicarum extendantur ideæ exemplares, ut appareat, quomodo experientia intra arctos antea limites conclusa nunc in pluribus casibus usui valeamus. Ex Cosmologia huc faciunt theoremata, quæ de rerum nexu a me demonstrata sunt. Quemadmodum enim theoremata ista non alio fine a me condita fuere, quam ut per ea nexus in dato quolibet casu detegi possit; ita eundem quoque usum in scrutando negotiorum nexu præstant. Denique principia moralia ex natura mentis humanæ a priori deducta & ipsa etiam psychologica, quæ naturæ mentis humanæ interiora revelant, mirifice profunt, inprimis si ex nexu rerum futuros eventus præsentire intenderis. Quod enim hæctenus philosophia moralis cum Psychologia tam insignem sui non exhi-

hibuerit ulum; non vitio disciplinarum, sed eorum accidit, qui disciplinas tractant. Neglexerunt boni isti viri, quod quam maxime observari debebat, ut scilicet in Psychologia ea, quæ menti insunt, distinctis notionibus comprehenderent, & leges cogitandi, quas mens humana violare nescit, satis expendere. Inprimis autem in philosophia morali ne somniando quidem de eo cogitarunt, ut actiones a priori ex natura mentis humanæ deducerent; ex qua tamen deduci oportet theoriam ad scrutandum negotiorum nexum & præsentionem futurorum eventuum in iisdem utilem. Quæ de cultura intellectus per studium verioris Logicæ atque Mathematicos dici poterant, hic repetere nolumus, cum alibi satis a me sint inculcata. Per se autem liquet, quo quis intellectum magis excoluit, eo faciliorem esse progressum.

§. 5. Properandum vero nobis est ad id, ob quod potissimum totam hanc suscepimus tractationem, atque demonstrandum, quod cognitio nexus negotiorum plurimum adjumenti afferat ad prudentiam. Prudentia in eo potissi-

*Quæstio
do nexus
negotio-
rum ju-
vat præ-
dentiam*

mum elucet, quod circumstantiis negotio extrinsecis in rem nostram utamur, sapienter per circumstantias eidem intrinsecas decreta executuri. Intrinsecas negotio illas circumstantias appello, sine quibus id concipi nequit: quæ adeo in omni casu negotio insunt atque adeo attendendæ veniunt, quoties de eodem meditamur. Ex adverso extrinsecas negotio has circumstantias voco, quæ in casu singulari ex accidente superveniunt: quæ adeo in omni casu non adsunt, neque semper prævideri possunt; adeoque nostræ attentioni sese subducunt, dum de negotio in abstracto cogitamus. Quemadmodum itaque sapienter decernitur, quod circumstantiis negotio intrinsecis convenit; ita prudenter eidem extrinsecas in illius executione in rem nostram vertimus. Circumstantiis extrinsecis locus est ob rerum in universo nexum: quamobrem hunc nosse juvat; ubi prudentiæ locum concedere velimus, quæ tota illo tanquam basi sua nititur. Modo itaque noveris; quænam sint prudentiæ partes & quinam in universo obtineat rerum nexum; non anxius probationem requi-

sive-

fiveris, quod cognitio nexus negotiorum juvet prudentiam, miraturus potius, si quis de eo dubitet. Attamen distinctius perpendi meretur, quid adjuvamenti afferat nexus rerum in negotiis humanis cognitio ad prudentiam. Primum igitur notandum est, nexum rerum in negotiis humanis obvium, ubi cum perspicimus, nos deducere ad regulas prudentiæ determinatas. Etenim per nexum istum nobis innotescit, quinam negotio humano superaccedentibus his vel aliis circumstantiis eidem extrinsecis respondeat eventus. Quare cum idem eventus sequatur, quoties eadem circumstantiæ ex accidente negotio eidem superaccedunt, nisi is contraria ratione impediatur (p) quid in tali casu a nobis fieri debeat, ne scopo, quem intendimus, excidamus, palam fit. Quoniam itaq; prudentiæ tribuendum, quod negotio ad circumstantias eidem extrinsecas relato convenit; regulas prudentiæ hoc pacto nobis innotescere, easque determinatas esse dubitari nequit. Vulgo regulæ prudentiæ vagæ sunt ob nexum negotii cum rebus vel negotiis

U 5

aliis

(p) §. 118 Ontol.

aliis non animadversum: id quod clarissime patet ex indeterminato eas enunciandi modo, sive expresso, quatenus particulis determinati nihil significantibus, *raro, saepe, nonnunquam, plurimi* & ita porro, utimur; sive tacito, quatenus indefinite efferimus, quod nonnisi in casu particulari suis circumstantiis a ceteris discernendo verum est. Plurimum vero interest, utrum regulæ prudentiæ sint determinatæ, an vagæ. Illarum enim certâ est veritas in dato casu; harum vero in casu obvio nonnisi quædam esse solet probabilitas. Ecquis vero dubitaverit præstare regulas, quarum certa est applicatio & quæ demonstrationem a priori admittunt, easque præferendas esse ceteris, quarum applicatio dubia est & quas utiles subinde esse experientia docet. Nullum datur negotium, quod non peculiare sibi admittat prudentiæ regulas. Optandum igitur, ut plures nexum, cum quo jam nobis negotium est, cognoscere studeant, eodemque in regulis prudentiæ determinatis condendis utantur. Itz brevi futurum, ut thesaurum prudentiæ nanciscatur genus humanum, quam in
feli-

felicitatem suam convertere in omni negotiorum genere poterit. Porro perspicientia nexus rerum in negotiis humanis prudentiam efficit oculatiorem, quatenus futura e longinquiori intervallo presentiri facit. Quoniam enim vi nexus rerum continuo alia ex aliis nascuntur; in condendis regulis prudentiæ ad remotiores quoque eventus respicimus, ad id potissimum conducens, ne in audendo simus audaciores, quam parerat, neve etiam timidiores, quam conveniebat. Quamvis vero prudentiæ regulas condi. utilissimum sit & ubi acumini comparando studueris, quod supra (§. 3) delineavimus, non detur negotium aliquod in casu singulari, a quo non regulas prudentiæ usus frequentioris abstrahere liceat, utus circumstantiæ istæ singulares rarissime occurrant, immo non immerito dubitetur ob casuum singularium dissimilitudinem per principia cosmologica manifestam, an unquam singulares adeo circumstantiæ iterum sint recursuræ; non tamen exiguus est nexus perspicientiæ usus, quod prudentiam absque regulis antea conditis in dato casu singulari

lari tanto oculatiorem reddat, quo longius nexum rerum in dato negotio perspicias, ne temere facias, cujus postea poeniteat, vel timens omittas, quod male omissum posthac conqueraris. Denique nexus rerum perspicientia nos iis virtutibus instruit, sine quibus prudenter agere non licet. Etenim nos circumspectos reddit in omni negotio, ut ad singula tam praesentia, quam futura atque praeterita respiciamus probe considerantes, num ex iis consequantur, quae negotio praesenti vel nocent, vel profunt, aut alia ratione nobis nocere, vel prodesse possunt. Hac vero circumspectione prudentiam carere non posse, ipsa ejus notio insinuat. Nonne enim istae sunt prudentiae partes, ut circumstantias quascunque negotio extrinsecas, vel etiam alios quoscunque casus nobis obvenientes in rem nostram vertamus? Dum vero attentionem afferre solemus ad singula, quae sensum nostrum feriunt, aut menti quomodocunque obijciuntur, eaque ad statum nostrum referimus; non facile culpa nostra quid committimus, cujus nos posthac poeniteat. Tanta autem major est attentio
ista,

ista, quæ a sensu culpæ animum liberat, quo intimius nexus rerum perspicitur atque exploratius est, ex igniculo incendium oriri posse maximum. Et ideo levissimam quamque culpam haud difficulter evitamus, ubi in scrutando rerum nexu nos solertes exhibeamus. Neque enim alia ratio est, cur plerique hominum adeo difficulter culpam evitare soleant, etsi a dolo procul remoti, & maximorum sæpe malorum causa tum sibi, tum aliis existant, quam quod de nexu rerum non cogitent. Non multa probatione indiget, quod sola attentione ad actiones hominum singulis momenti obvias addiscitur. Et quis est, qui nesciat, culpæ reos non aliam prætexere excusationem, quam ab ignorantia nexus petitam, quod non putaverint tale quid ex actione sua evenire potuisse, ut ideo ad eos reprehendendos condita sit illa prudentiæ regula: prudentis non est dicere, non putaram. Quamvis enim accidat, ut non minus ex negligentia, quam ignorantia culpa ortum trahat, ipsa tamen negligentia ignorantia nexus rerum tribuitur, quatenus scilicet non expendimus hoc vel isto

posito

posito tale quid necessario evenire, vel causas nunc minime presentes supervenire posse, actum ejus determinaturas, cui presentes non sufficiunt. Quemadmodum nimirum in negotiis singulis tanto sumus scrupulosiores, quanto in nexu rerum scrutando sumus solertiores, scrupulositate attentionem ac uentem & cautionem suadente; ita ex aduerso attentionem nostram desiderari patimur, nec de cautione sumus solliciti, ubi nexus rerum claritate sua mentis aciem non perstringit: quæ quidem satis explorata sunt, modo culpam omnem notionem distincta complectaris. Neque vero existimandum est, parum referre utrum in evitanda culpa te solertem, an segnem exhibeas, in primis cum ad cautiones ut plurimum superfluas invitet atque adeo præter necessitatem inanes profus labores creet tanta sollicitudo: sicut enim culpæ evitandæ studio damna avertuntur, in quæ alias facile ipsi incidimus vel quæ aliis damus; ita quoque animi tranquillitas conservatur, qua felicitatis nostræ pars non exigua continetur. Felicem dicere equis recusabit, a quo omnis sensus culpæ procul remotus,

cum

cum tædium, quo angitur animus, ex sensu culpæ nunquam non nasci in pro- patulo sit. Nihil profecto magis optan- dum, quam ut ad culpam in negotiis promiscue omnibus evitandam addu- cantur homines. Quamobrem cum sine perspicientia nexus id fieri minime possit; danda utique opera est ut ad eum rimandum invitentur homines in uni- versum omnes, sagacioribus stupido- rum defectum supplantibus & suo lu- mine rerum tenebras dispellentibus.

§. 6. Restat igitur, ut dicamus, quo- modo perspicientia nexus rerum per genus humanum exacta lance distri- buatur, ne desint necessaria ad evitan- dam culpam adminicula, qua nobis at- que aliis damna damus. Antequam vero distribui possit, quomodo acqui- ratur dispiciendum. Non parum huc conducit philosophia in universum o- mnis, quæ cum rationes eorum, quæ ac- cidunt, in apicem protrahat, nexum rerum in conspectum producit. Atque ideo nobis philosophiam ad publicam privatamque utilitatem aptaturis id potissimum curæ cordique est, ut phi- losophicam rerum cognitionem ab hi- storica

*Modus
perveni-
endi ad
cognitio-
nem ne-
xus re-
rum,
quantum
ad pru-
dentiam
necessa-
rium.*

historica & mathematica separantes in rationes rerum intrinsecas inquiramus & veritates per omnem philosophiam ita inter se connectamus, ut reperiri possit, quanto intervallo a primis notionibus communibus absint, sicque rationes rationum prolecuti in viscera nexus rerum penetremus. Quod si ergo nostro more philosophabuntur homines ea, quæ a nobis cæpta sunt, continuaturi & insignibus accessionibus aucturi; non est quod dubitemus fore ut nexus rerum continuo magis magisque perspiciatur, qui nunc plurimis adhuc eruditis ignotum pariter ac invisum nomen deprehenditur. Maximo præterea adjumento est eorum, quæ in negotiis propriis vel alienis ad nexum rerum spectantia nobis objiciuntur, sedula & circumspècta observatio: ad quam mirifice conducit acumen paulo superius (§. 3) adeo operose inculcatum. Plurimum autem proderunt principia philosophiæ, siquidem nostro more in eorum numerum non recipiantur nisi propositiones determinatæ, ut nexum non satis patentem in apicem protrahas, & præcipitata de eodem judicicia evites.

Quem-

Quemadmodum enim ubivis, ita in hoc quoque casu philosophia alter oculus est & unum tantum oculum habere dicendus, qui sola experientia nititur. Accedit quod longum fit per experientiam solam iter, breve autem per experientiam philosophia individua comite stipatam. Si quis tale se non expertum affirmaverit, is nubem pro Junone amplexus est. Neque vero sufficit inspicere nexum rerum, sed ad negotia quoque applicanda sunt, quæ de eodem cognoscuntur. Quamobrem experientia inprimis magistra addiscendum, quænam in negotiis humanis attendenda veniant, ut in præcavendo damno cauti reddamur. Atque ita demum constabit, quænam de nexu rerum notitia unicuique negotio conveniat, consequenter cum eadem experientia magistra non ignoretur, quænam diversis hominum statibus respondeant negotia, simul quoque hoc pacto intelligetur, quænam de nexu rerum notitia unicuique hominum pro statu suo conveniat. Et hoc modo in potestate nostra positum est nexu rerum perspicentiam exacta lance inter homines distri-

(*Hor. (ubf. 1730.)*)

X

buc-

buere. Etsi autem nexus rerum in negotiis humanis expensus maximam habeat utilitatem; supersunt tamen usus adhuc alii non minus præclari: de quibus alias dicendi occasio erit.

IV.

De Rationibus legalibus Legum.

§. 1.

*Institu-
tum Au-
toris.*

CUM nuper de Jurisprudencia civili in formam demonstrativam redigenda ageremus, mentionem injecimus rationum legalium (q). Equidem ibidem jam dixi, quid sibi velint rationes istæ; consultum tamen mihi videtur, ut paulo uberius de iis dicam sententiam. Non jam repeto ibidem dicta: quædam tamen uberius erunt explicanda. Dixi *rationes legales* appellari eas, quæ ex legibus petuntur, quatenus scilicet per legem unam intelligitur, cur talis esse debeat altera (r). Monui præterea rationes illas esse morales mediatas, quatenus nimirum legales in morales tandem resolvuntur. Posterius vul-
go

(q) Trim. brum. h. a. num. II. §. 6. p. 114.

(r) §. 56 Ontol.

go non satis capiunt: unde difficultates nascuntur, ex quibus se extricare nequeunt. Quamobrem ut tenebras dispellamus, & a præjudiciis noxiis eos liberemus, qui solida a superficialiis discernere nequeunt; rationes legales paulo accuratius discutiendas esse duximus.

§. 2. Primum igitur ostendimus, im-
possibile esse ut rationem legalem omni-
um legum reddamus. Rationes enim
legales petuntur ex legibus (§. 1): aut
igitur dantur leges infinitæ, quarum an-
teror continuo continet rationem se-
quentis, aut tandem subsistendum est
vel in una lege, vel plures leges sumen-
dæ sunt absque demonstratione, in quas
tanquam primitivas resolvuntur ceteræ.
Primum absurdum est, cum legum nu-
merus finitus sit, quod nemo non con-
cedit: nec secundum obtinet, cum non
una eademque res sit, de qua leges di-
sponunt, atque adeo de singulis quæ-
dam sumenda sint, antequam demon-
strationes fieri possint: id quod cuilibet
manifestum, qui principia ontologica
de ente & formam demonstrationis le-
gitimæ perspectam habet. Admitten-
dum igitur est tertium, scilicet quod

*An omni-
um le-
gum dari
possint ra-
tiones le-
gales.*

X 2 plures

plures leges tanquam primitivæ sumi debeant, quarum adeo ratio legalis nulla dari potest. Demonstratio hæc valet de omni Jure civili, non tantum de Romano. Quod autem in Romano dentur plurimæ leges, quarum rationem legalem frustra requisiveris, ipsa inductione probari potest? Requiritur ad testamentum septem testes jure Romano: ecquis vero dixerit hujus legis rationem legalem dari posse. Immo plura disponunt leges de testamentis, quarum ratio ex lege alia dari nequit. Similiter potestatis dominicæ ratio ex lege alia reddi non potest. Et ex quanam lege reddi debet ratio illius, qua cavetur ne juramenta valida efficiant pacta, quæ *JURIS* autoritate valida non sunt? Enimvero non opus est, ut exempla plura in medium adducantur, cum jam probaverimus impossibilitatem reddendæ rationis legalis de omni lege a priori. Quamobrem non curamus, si quis extra systema rationes contortas earum legum, quas exempli loco adduximus, afferre conetur, quas citra circulum vitiosum in systemate afferre non licet. Enimvero ut appareat, quam absolum sit omni-
um

um legum postulare rationes legales, nec alias quam legales admittere velle, simili quodam utendum est. In Astronomia explicamus regulas motus siderum earumque rationes reddimus. Ecquis vero desideraverit, omnium, quæ de motu siderum in Astronomia docentur, rationes dari debere astronomicas, seu a motu siderum petitas? Quis, quæso, requisiverit a Geometra, ut singulorum in Geometria rationem geometricam, a theorematis geometricis desumtant reddat? Testantur elementa *Euclidis* nullam dari rationem geometricam definitionum figurarum & linearum, de quibus in iisdem agitur; nec talem asferri posse de axiomatis, quæ ex philosophia prima mutuo petuntur. Ita Astronomus utitur rationibus geometricis, immo etiam mechanicis atque opticis. Sed hæc adeo obvia sunt, ut de iis plura dicere tædeat.

§. 3. Absit autem, ut quis sibi persuadeat illarum legum, quarum ratio equalis non datur, nullam dari! Dantur enim præterea rationes historicae, dantur morales, dantur politicae, quemadmodum

Rationes legum legali desinita- rum.

X 3

nu.

nuper jam inculcavi (s). Illarum igitur legum, quæ legalibus rationibus destituuntur, historica, morales, politica dari possunt. Diximus paulo ante, numerum septenarium testium in testamento legali ratione carere: attamen rationem habet aliam, a statu Reip. Romanæ desumptam, adeoque politicam specialem. Etenim primo testamenta in pace in comitiis calatis fiebant, in quibus totus populus in quinque ordines divisus præsens erat. Cum legæ XII. Tabularum facultas testandi unicuique patrifamilias concessa fuisset, quinque adhibebantur testes, qui quinque ordines populi Romani repræsentabant. Secuta deinde est solennitas testandi per æs & libram, ubi imaginaria hæreditatis venditio fiebat. Emptor nimirum familiæ sive hæreditatis ut soluto pretio rem acquirebat, æ a libri pende appenso, in præsentia quinque testium. Hunc modum testandi tanquam ineptum tandem abrogavit prætor, dum se datorum bonorum possessionem edixit secundum tabulas testamentorum, in quibus septem modo signa testium ostenderen-

(s) loc. cit. p. 110.

derentur. Septem adeo testibus in testamento opus fuit ad representandum quinque ordines populi Romani, libripendem & familiam, seu hereditatis emtorum. Hac ipsa ratio insinuat, numerum septenarium testium nostris moribus non amplius convenire. Quamvis enim ratio adsit moralis, cur plures testes adhiberi debeant, scilicet ut de veritate voluntatis ultimae certius constet; nulla tamen dari potest ratio, quae nostris moribus valeat, cur septem praecise testibus opus sit. Similiter ante monui, potestatis dominicae non dari rationem legalem: datur tamen ratio moralis a jure gentium petita: quod non modo inculcat *Ulpianus* (t), cum *Florentino* (u), verum etiam hoc (x) expressius docet, quod scilicet imperatores captivos vendere, ac per hos servare nec occidere soleant. Idem sane obtinet in Jure Canonico. Dantur etiam in eo rationes legales plurimarum legum: sed plures etiam sunt leges, quarum rationem legalem etsi frustra requisiveris, aliam tamen dare licet. Exemplum u-

X 4

ni-

(t) l. 4 ff. de Inst. & Jur. (u) l. 4 §. 1 ff. de Statu hom. (x) l. ead. §. 2.

nicum attulisse sufficiat. Jure Canonico Episcopi inter epistolam & evangelium consecrantur (y): immo constat Cæsarem quoque & Reges inter epistolam & evangelium consecrari. Solus vero Papa ante hymnum angelicum consecratur, si scilicet nondum fuerit Episcopus. Rationem legalem hic nullam reperies: hoc tamen non obstante & in ipso Jure Canonico redditur ratio differentiz, quæ hac in parte inter consecrationem Episcopi & Pontificis maximi intercedit, & nos reperimus rationem, cur Episcopos & Reges consecrari conveniat inter epistolæ recitationem & evangelii celebrationem. Dicam primum de posteriori, ita enim plenius intelligetur prior. Quando Episcopus vel Rex consecrandus, missa celebratur de Spiritu S. pro impetranda gratia consecrando. In Missa de Spiritu S. recitatur epistola & evangelium primæ feriæ Pentecostes, unde & nomen habet. Quoniam itaque epistola agit de miraculosa effusione Spiritus S. super Apostolos, cujus gratia per consecrationem consecrando impetranda, quemadmodum

(y) C. quod sicut 28 §. super eo X. de elect.

dum modo annotavimus, in Evangelio autem nulla Spiritus S. mentio fit; recitata epistola convenienter admodum cantatur hymnus: Veni S. Spiritus. Invocato igitur Spiritu S. actus consecrationis ut peragatur, conveniens est: quo finito, cum Missa continuanda sit, evangelium recitatur. Ecce igitur tibi rationem admodum convenientem, cur consecratio fieri debeat inter epistolam & evangelium, ut uno continuo actu totum negotium succedat, nec actu consecrationis Missa interrumpatur. Actus hujus continuitas ex solennitatibus Missæ solennis vi notionis continuitatis (2) clarius ostendi potest. In promptu quoque est ratio, cur consecratio fieri debeat in Missa eaque solenni. Enimvero de his uberius dicere, nostri jam non est instituti. Cum vero adeo conveniens sit, ut actus consecrationis inter evangelium atque epistolam interponatur: cur non etiam Papa inter epistolam & evangelium, sed potius ante hymnum angelicum consecratur? Respondet jus Canonicum, quia postmodum ipse Missarum solennia incipit &

X 5 perfi-

(2) §. 554 Ontol.

perficit consecratus, ceteri vero consecrati concelebrant principaliter celebranti, ne dividatur mysterium unitatis. Nimirum consecratus accipit a consecratore hostiam. Non igitur conveniens visum Papam, Pastorem supremum, eandem accipere a manu alterius. Ipse igitur Missam celebrare debet. Quamobrem cum inconveniens judicetur, actum sacrum eundem ab alio incipi, ab alio finiri; Papa etiam Missarum solennia incipere & perficere debebat. Consecrandus igitur erat, antequam Missæ solennia inciperentur, consequenter ante hymnum angelicum sive Gloria. Patet igitur non minus in Jure Canonico, quam civili occurrere leges, quæ, etsi destituantur ratione legali, non tamen destituuntur ratione omni. Neque dubium est intelligentiam legum per rationes earum fieri clariorem. Sed de utilitate hujus cognitionis nostrum jam non est dicere.

*Rationes
legales
gemina
quomodo
detegan-
tur,*

§. 4. Postquam igitur constat, leges alias habere rationem legalem, alias eadem destitui; non una oritur quæstio, scilicet undenam constet, utrum lex aliqua rationem legalem habeat, nec ne; quo-

quomodo rationes istæ detegantur, & unde agnoscantur, num sint genuinæ? Ego quidem respondeo, si jura in systema veri nominis compingantur, seu in formam demonstrativam redigantur; illico constare, utrum lex aliqua rationem legalem habeat, nec ne, & genuinas hoc pacto rationes legales detegi atque agnosci, ut dubitare nequas, genuinam a te fuisse detectam, nequaquam vero spuriam tibi imposuisse. Etenim in systemate, quod tam augustum nomen meretur, leges singulæ ad propositiones determinatas reductæ eo ordine collocantur, quo lex una ex altera demonstrari potest (a). Tum igitur sua veluti sponte patet, quænam leges ex aliis legibus demonstrari nequeant, sed vel absque probatione sumendæ sint, vel ad alia principia reducendæ, ut clarius & plenius intelligantur. Neque dubitandum est, te in genuinam rationem incidisse. Quoniam enim in lege ad propositionem determinatam reducta legitima ratio eorum concatenatione vi aliarum legum anteriorum ex hypothesi, seu notione subjecti, deducis prædicatum;

(a) *Trim. brum. h. a. n. li. 9, p. 135.*

catum ; illas rationes genuinas esse nemo in dubium vocabit, nisi qui methodi omnis fuerit ignarus & in Logica veriori prorsus peregrinus ac hospes. Respondeo autem præterea, non dari viam aliam, qua absque formidine oppositi ad rationes egales pervenire possis. Equidem nuper monui (b) legum peritos, qui judicio pollent, sæpius non infeliciter assequi rationes legales, propterea quod leges probe intelligunt & adeo familiares sibi reddiderunt, ut notio uni respondens suscitaret notiones illis legibus respondentes, per quas illius ratio reddenda venit, ita ut asseverare nullus dubitaverim, illos plurimum adjuvare posse laborem in demonstrandis legibus impendendum: non tamen ideo hæc via priori æquiparanda, nedum præferenda venit. Etenim si ea incesseris, fortunæ magis, quam arti tribuendum erit, ubi in rationem genuinam incidieris; sæpius a via aberrabis, ut nubem pro Junone amplectaris, & ubi in genuina invenienda felix fueris, non tamen certus esse poteris, multo minus alterum convinces, te genuinam reperisse. Non jam

ur-

(b) loc. cit. § 6. p. 215.

urgeo incommoda alia, quæ commemorari poterant, si spuriam pro genuina haberi contigerit: id saltem adhuc observo, te alia quam demonstrativa via in rationes legales inquirentem sæpissime incidere debere in circulum vitiosum, ita ut nunc legis alicujus rationem reddas ex altera lege, mox hujus alterius legis rationem iterum ex illa redditurus. Non difficile nobis foret plures istiusmodi circulos commemorare, nec foret difficile rationes legales spurias in medium afferre; sed ne in viros egregios injurii videamur, filere præstat. Erit enim tempus, quo hæc per se patebunt, me tacente. Atque hinc egregius elucet usus systematis Juris, in quo ad formam demonstrativam reducitur. Etenim de rationibus legalibus solliciti sunt Doctores in universum omnes, qui ultra vulgus sapiunt, & non modo verba legum, sed etiam earum vim ac potestatem nosse cupiunt. Apprime igitur necessarium est, ut Jurisprudentia in formam demonstrativam redigatur. Quamobrem laudandus est illorum conatus, qui in Jurisprudentia ad evidentiam evahenda desudant, cosque ut pro virili juvet,

vet, qui potest, par est. Plurimum vero falluntur, qui sibi persuadent, rationes legales legum jam esse liquidas, ut nihil in iis amplius desiderari possit. Quodsi singulæ ad liquidum jam essent perductæ, nullus amplius in iis assignandis foret dissensus, qualem tamen in scriptis Doctorum obvium deprehendi nemo negare potest.

*Quot lo-
ges ad ræ-
tionem
legalem
requi-
runtur.*

§. 5. Absit autem, ut quis sibi persuadeat, rationem legalem ex unica saltem lege constare: fieri enim potest, ut subinde ex pluribus simul arcessenda veniat! Geminum hoc præjudicium est cum præjudicio illotum, qui sibi persuadent, omnem probationem unico syllogismo absolvi, consequenter rationis loco esse medium terminum. Hoc sane præjudicium omnem superficialiam doctrinam in scholas invexit, a qua non liberabitur genus humanum nisi eodem expurgato. Reducantur leges ad propositiones determinatas: eruat prædicatum ex notione subjecti: satis superque constabit unica lege mediante id fieri minime posse. Qui elementa Geometriæ vel primis labris degustavit, is satis superque perspiciet, quam

quam absolum sit in unica lege continuo quærere rationem alterius legis rationem legalem admittentis. Apparet igitur denuo rationem legalem accurate determinari minime posse, antequam Jurisprudencia ad formam demonstrativam redigatur. Quæ de rationibus legalibus diximus, eadem etiam valent de rationibus legum ceteris. Loquuntur id exempla superius allata (§. 3). Quod si enim quæsieris, quænam sit ratio numeri septenarii testium in testamento; plura sunt, quæ simul rationis vicem tenent, scilicet quod testes repræsentent populum Romanum in quinque tribus divisum, libripendem atque familiarum emtorem. Similiter si quæsieris, cur Episcopi & Reges consecrandi sint inter epistolam & evangelium; non simplex denuo ratio obtinet: dicendum enim id ideo fieri, quia in consecratione celebratur Missa de Spiritu S. & consecratio personæ præcedit consecrationem hostiæ & vini, seu elementorum terrestrium sacramenti. Quod si supponamus, esse legem saltem non scriptam, quod in consecratione celebrari debeat Missa de Spiritu S. & quod persona consecranda con-

consecrari debeat ante actum consecrationis in Missa seu inter ejus solennia; tum ratio foret legalis atque ex duabus legibus peteretur, non ex una. Scilicet si in primo casu supponatur, testes representare debere populum Romanum cum familiae emtore ac libri pende; demonstrari potest, septem ad testamentum requiri testes. Et si in secundo casu supponatur, personam consecrandam inter solennia Missae consecrari debere & in consecratione ejusdem celebrandam esse Missam de Spiritu S. denovo demonstrari potest, eam inter epistolam & evangelium consecrari debere. Obiter observo, si in rationes legum inquiramus, fieri posse, ut novae leges detegantur. Etenim subinde rationes legum tales esse possunt, ut per eas determinari possit, quid in dato casu fieri debeat.

*Quid
proprie
sit ratio
& quomodo a
principio
demonstrandi
differat.*

§. 6. Atque sic demum clarissime constat, quidnam proprie sit illud, quod rationis nomine venit. Sunt nimirum ea, quae in subiecto supponenda, ut per ea praedicatum determinetur, consequenter id, quod determinationem subiecti in Logica appellamus

mus (c) & determinantium nomine in Ontologia venit (d), quæ esse rationem sufficientem determinati itidem ostendimus (e). Quod si ergo leges ad propositiones determinatas fuerint reductæ; in hypotheticis ratio simul exprimitur, in categoricis tacite involvitur, quatenus nimirum de subiecto ex anterioribus sumuntur, ut ex iis de eodem demonstrari possit prædicatum. Quod si igitur subiecto adjecta conditio ex lege una vel pluribus petatur, aut si de subiecto absolute posito ex una vel pluribus legibus petenda sunt prædicata, ut lex iis prædicatum eidem tributum tribui debere demonstrari possit; ratio legis legalis erit. In casibus ceteris eodem modo patebit, quænam & quales sint legum rationes. Quo penitus itaque intelligimus, quid sint rationes legum legales; eo clarius apparet, quam necessarium sit condi Juris systema, seu leges demonstrari, ut rationes legales genuinæ evidenter cognoscantur, quodque alio pacto sine quæsito constantè potiri minime detur. Quamvis vero

(Hor. subf. 1730.)

Y

sub-

(c) §. 227. Log. (d) §. 114 Ontol. (e) §. 116 Ontol.

subinde ratio confuse percepta efficiat, ut prædicatum in idea subjecti comprehensum videamus; id tamen nec semper obtinet, nec in ullo casu sufficit, ut de veritate propositionis prorsus certi simus. Quemadmodum enim in primo casu accidit haud raro, ut ridicula appareat ratio, quæ tamen genuina est; ita in casu altero sæpissime contingit, ut ratio appareat, quæ non est, vel ut partem ejus habeamus pro integra, seu insufficientem pro sufficiente. Ostendendum itaque est, rationem, quæ datur, esse genuinam ac sufficientem. Erit autem genuina & sufficiens, si ea posita ponitur prædicatum, quod subjecto tribuitur (f), adeoque eadem assumpta demonstrari potest, subjecto prædicatum convenire (g). Evolutio igitur rationis, sine qua prorsus certus esse nequis, rationem esse genuinam ac sufficientem, in demonstratione consistit. Enimvero demonstratio nonnisi rarissime unico syllogismo absolvitur, plerumque pluribus syllogismis constat eo pacto inter se concatenandis, quemadmodum in Logica ostendimus (h).

(f) §. 118 Ontol. (g) §. 130 Ontol.

(h). Jam ea, quæ de subjecto sumuntur, quæque adeo rationem præbent, in demonstratione syllogismos ingrediuntur per modum propositionis minoris, atque adeo opus est adhuc propositionibus majoribus, quas leges esse posse, nemo dubitabit, qui methodi demonstrativæ ideam animo comprehensam tenet, revera autem deprehendet, qui legum demonstrationes aggredietur. Propositiones istæ principia demonstrandi appellantur (i), atque ideo patet, principia demonstrandi perinde ac rationes posse esse leges, ac illa ab his accurate in dato quolibet casu distingui, si leges fuerint demonstratæ. Qui hæc tenus dicta perpendit, non mirabitur deproperata de rationibus legalibus judicia, nec succensabit illis, qui rident, quæ intelligere nequeunt luminibus necessariis destituti.

§. 7. Ex dictis autem intelligitur, *Difficultas æquivalendi consuetudinis in rationibus legalibus.* non adeo facile esse rationes legales genuinas a spuris separare & omnes scopolos evitare, in quos incidere licet eas scrutaturo: in primis autem difficile esse, ut convictus evadat animus, te & genui-

Y 2

nui-

(h) §. 492 Log. (i) §. 561 Log.

nuinas rationes, & sufficientes didicisse. Neque enim alia via est ad istiusmodi certitudinem perveniendi & ea genuinas a spuris separandi, quam ubi leges ad propositiones determinatas revocantur, hoc est, tales, in quibus per notionem subjecti determinatur prædicatum, & ex iis, quæ notioni subjecti sive expresse, sive tacite insunt, demonstratur, prædicatum rite jungi subjecto (§. 4.6.). Enimvero quinam ad laborem istiusmodi aptus reperiatur, ex iis dijudicandum, quæ de jurisprudentia in formam demonstrativam redigenda nuper diximus (k). Qui methodi vim ac potestatem non comprehendunt, multa sibi facilia & jam reperta arbitrantur, quæ viri experto ac cumine utentes difficilia deprehendunt & in quæditorum numero collocant. Hæc ideo monemus, ne quis aggrediatur opus, cui perficiendo impar est, frustrato successu, & ne alii contemnant aut prorsus impediunt, quo minus perficiatur, quod non intelligunt. Atque ut id moneamus, nostri instituti ratio postulat. Dum enim in hisce Horis sub-

(k) Trim, brum, num. II,

subsecivis philosophiam ad publicam privatamque utilitatem aptare stude-
mus; ejus quoque subsidio eradicanda sunt præjudicia, quæ in detrimentum Reip. ac felicitatis generis humani dispendium vergunt, quatenus incrementum scientiæ impeditur, unde multum in Remp. ac genus humanum utilitatis redundat.

§. 8 Neque vero existimandum est, ^{utilitas} ^{notitia} ^{rationum} inutilem esse operam, quæ in scrutandis ^{legalium} rationibus legalibus impenditur. Usum percipiunt Doctores, dum in iis scrutandis sese assiduos præbent. Quæ enim de omni ratione tenenda sunt, ea etiam de legalibus accipienda. Quoniam rationes constituuntur per ea, quæ subjecto vel inesse, vel quomodocunque adesse debent, ut per ea prædicatum determinetur; verus legum sensus per eas demonstrativa ratione innotescit, ut adeo præstantior interpretandi methodus ne cogitari quidem possit, atque hic pulchrum dici mereatur, quod est difficile. Similiter cum rationes determinantes ea sint, per quæ prædicatum determinatur, ut sine iis tribui nequeat subjecto; per illas quoque leges clarius

intelliguntur & facilius ac citra errorem ad facta applicantur: etenim non modo perspicitur, ob quam prædicatum subiecto conveniat, verum etiam liquido constat, quam de facto probanda sint, ut lex applicari possit. Atque tum simul omnium optime patebit, quando utendum sit interpretatione extensiva & restrictiva: id quod ex ratione legum dijudicandum esse nemo non fatetur. Nimirum rationes legales eum habent usum, qui rationibus determinantibus in genere convenit. Rationes vero determinantes non alium pollicentur usum, quam qui propositionum determinatarum est, cum his usus tam eximius nonnisi vi illarum conveniat. Quamobrem cum de utilitate propositionum determinatarum plurima jam inculcata sint in his Horis sublecevis; plura in præsentem non addimus, ne eadem sub diversis nominibus repetere videamur.

V.

De Principio Juris naturalis ex doctrina Christi, Matth. V. 48.

§. 1.

CUM Christus docuisset, quomodo ^{Principi-} homines actiones suas liberas de- ^{um juris} terminare debeant; tandem his verbis ^{naturalis} ex versione vulgata concludit: *Estote* ^{quibus} *ergo vos perfecti, sicut & pater vester* ^{verbis} *caelestis perfectus est.* ^{Christi} Quamobrem ^{contineat-} contextu liquet, his verbis contineri regulam generalem, juxta quam actiones nostras dirigere tenemur, ita quidem enunciata, ut simul contineat ideam exemplarem, quæ non minus ad regulam rite intelligendam, quam dextre applicandam facit: is enim generalis idearum exemplarium ulus est, quem admodum alias ostendemus. Regula, juxta quam actiones nostras determinare obligamur, lex est (1). Regula generalis cum omnibus actionibus liberis determinandis sufficiat; per eam intelligi potest, cur regulæ speciales tales potius

Y 4

tius

(1) §. 16 Mor. I. von der Menschen Ehre und Lassen.

tius esse debeant, quam alix, consequenter cum regulæ istæ leges sint, in illa continetur ratio ceterarum legum specialium (m). Est igitur regula Christi lex generalis, quæ in se continet rationem legum ceterarum, adeoque legum ceterarum principium (n). Jubet vero Christus, ut in determinandis actionibus liberis imitemur patrem nostrum cœlestem, hoc est, Deum, cui tanquam causæ primæ existentiam nostram acceptam ferre debemus. Quare cum impossibile sit, ut a Deo quicquam fiat, quod attributis ipsius, consequenter essentia ejusdem (o) repugnat; homines quoque nil quicquam committere debent, quod essentia eorundem repugnat, consequenter rationes determinandarum actionum liberarum ab essentia & natura humana desumi debent. Enimvero lex, quæ actionum determinandarum rationes ab essentia & natura humana petit; lex naturæ est (p). Quamobrem regula Christi est principium

(m) §. 56 Ontol. (n) §. 366 Ontol.
 (o) §. 159. 118 Ontol. (p) Vide
 quæ de notione Juris natur, dicta in Trim.
 brum. A. 1729 n. II.

pium legum naturalium, seu, quod perinde est, juris naturalis. Ex nostris adeo principiis philosophicis sequitur, Christum, dum omnes hominum actiones liberas generali quadam regula comprehendit, principium juris naturalis proposuisse. Quamobrem extra omnem controversiam aleam positum est, principium istud esse adæquatum, atque illud, quod Doctores juris naturalis quaesiverunt, sed reperire non potuerunt, cum tamen a Christo id discere potuissent, modo ad lectionem Scripturae S. animum attentum attulissent, & in notiones verbis Christi jungendas inquisivissent. Operæ igitur pretium est, ut in notiones verbis Christi respondentes inquiramus, quo vim ac potestatem illorum percipientes principium istud distincta notione comprehendamus & determinata propositione enunciemus, ut appareat, quinam sit cum philosophia consensus. Christus enim supposuit in auditoribus suis ideam exemplarem & ei convenienter principium juris naturalis enunciavit.

*Sensus
principii
Christi
& consen-
sus cum
principio
Auctoris.*

§. 2. Jubeat Christus nos esse perfectos, hoc est, ita dirigere actiones, ut aliqua inde in nobis perfectio oriatur. Nos itidem urgemus principium juris naturalis proposituri, nos actiones nostras dirigere debere ad nostram perfectionem (q). Quamobrem ut appareat, num principium juris naturalis, ex quo ea deducimus, quæ a nobis fieri debent, idem sit cum principio juris naturalis, quod Christus inculcavit; utrum utrique eadem notio respondeat, an diversa, disquirendum. Temerarium enim foret ex identitate verborum identitatem rei inferre, quemadmodum fieri solet ab iis, qui verba a rebus distinguere nequeunt. Quid perfectionis nomine a Christo indigitetur, ex idea exemplari colligendum, quam nos respicere jubet. Ita perfecti esse jubemur, sicuti Deus perfectus est, hoc est, liberas nostras actiones ita determinare debemus, ut nascatur aliqua in nobis perfectio, sicuti Deus actiones suas liberas determinat, ut in ipso perfectio nascatur. Quod si igitur quæsieris, quomodo Deus actiones suas determinet? non

mi-

(q) §. 12 Mor.

minus ex Theologia naturali, quam ex scriptura sacra respondetur eum agere attributis suis convenienter, seu ita determinare actiones suas, ut per attributa ipsius intelligi possit, cur hoc potius agere voluerit, quam aliud. Atque ita actiones ipsius consentiunt cum essentia ejus, quatenus ex attributis ejusdem ratio dari potest, cur hoc potius velit, quam aliud, adeoque actiones attributis minime repugnant. Actiones igitur divinæ omnes in eo conveniunt, quod naturæ atque essentiæ divinæ convenient, consequenter Dei actiones arguunt in ipso perfectionem, qualem hoc nomine indigitamus in Ontologia (r). Nimirum actiones liberæ tendunt ad perfectionem Dei, aut, si mavis, ad eandem pertinent, quatenus attributis ipsius conveniunt, hoc est, positis istiusmodi attributis conveniens sit poni etiam istiusmodi actiones, non vero iisdem contrarias. Quod si ergo actiones nostras eodem modo determinare debemus, quo Deus suas determinat: rationes earum quoque ab essentia & natura nostra desumere debemus,

(r) §. 103 Ontol.

bemus, aut, si mavis, ab iis quæ nobis necessario insunt. Ita enim similiter actiones liberæ conveniunt essentiz & attributis inde fluentibus, atque sic enascitur per eas in nobis perfectio, vi notionis perfectionis, ad quam modo provocavimus. Enimvero duplices in nobis actiones deprehendimus, alias necessarias, alias liberas. Necessariæ cum ex essentia corporis atque mentis fluant, rationem suam in eadem agnoscunt. Quare cum etiam liberæ actiones rationem in ea habere debeant; eodem modo actiones liberæ determinari debent, quo determinantur naturales, seu necessariæ. Ex Teleologia constat actiones naturales per rationes finales determinari, veluti quæ corpus respiciunt, per ejus conservationem. Unde si liberæ eodem modo determinari debent, quo naturales, cum his per easdem rationes finales determinari debent, veluti quæ corpus respiciunt, per conservationem corporis. Ita nimirum actiones liberæ consentiant cum naturalibus & utraq; simul cum essentia & natura hominis, consequenter per actiones liberas ita determinatas ho-

mo

mo fit perfectus, quemadmodum actiones contrariæ imperfectionem inducunt per repugnantiam actionum liberarum cum naturalibus atque essentia & natura humana. Principium adeo juris naturalis est, Christo Doctore, ut actiones liberas dirigamus ad nostri perfectionem, adeoque eas determinemus per easdem rationes finales, per quas necessariae seu naturales determinantur. Hunc sane non alium sensum admittunt verba Christi, si ea ex idea exemplari interpretemur, ad quam nos respicere jubet Christus, ut verborum ipsius genuinum sensum reperiamus. Quod si philosophiam moralem, quam patrio idiomate edidimus, evolvas, vel etiam Orationem, quam de philosophia practica Sinarum notis perpetuis illustratam publici juris fecimus, aut *Thünmigi* Institutiones philosophiæ practicæ universalis, quas nostris in compendium missis in tyronum gratiam conscripsit (s), eodem prorsus sensu nos urgere animadvertes, hominem actiones suas dirigere debere ad sui perfectionem aut, quod perinde est, ubi de
homi-

(s) Tom, 2 Instir, Philos, Wolfianæ.

homine sermo fuerit, qui mutationi continuæ obnoxius est, atque rerum externarum apparatu ad sui conservationem vitæque jucunditatem indiget, ad status sui perfectionem, quem per mutabilia constitui constat (t), nimirum ut actiones liberæ determinentur per easdem rationes finales, per quas naturales determinantur, rationibus ab ipsa hominis essentia & natura petitis. Consentit itaque doctrina nostra cum doctrina Christi, & nostrum juris naturalis principium idem prorsus est cum principio juris naturalis, quod Christus inculcavit.

*Confessus ille
aliterius
habilitur.*

§. 3. Quoniam principium nostrum juris naturalis cum principio juris naturalis, quod Christus proponit, unum prorsus idemque est, nos vero in philosophia morali omnia hominis officia ex eodem deducimus; sponte sua hinc fluit philosophiam nostram moralem cum scriptura sacra & morum doctrina a Christo tradita apprime convenire debere. Neque enim Christus alia tradidit morum præcepta, quam quæ ex principio suo fluunt. Quare quæ ex
isto

(t) §. 705 Ontol.

isto principio demonstrantur, cum doctrina Christi consentire debent. Dedimus nuper exemplum speciale (u), cum officium hominis circa injurias juxta mandatum Christi explicaremus. Huc etiam referri potest exemplum alterum (x) de officio hominis erga alios juxta mandatum *Joannis*: neque enim putandum, doctrinam *Joannis* differre a doctrina Christi. Ostendimus sane doctrinam *Joannis* convenire cum eo, quod nos in philosophia morali de officio hominis erga alios demonstravimus. Jam vero idem deduximus ex principio juris naturalis, ex quo tanquam fonte fluunt praecepta Christi. Eadem igitur Christo mens esse debet de officio hominis erga alios, quae fuit *Joanni*. Quamvis vero haec sufficere poterant, non inconsultum tamen videtur, idem aliis adhuc exemplis confirmare. Christus eo in loco, ubi principium juris naturalis proponit, urget in primis actionis externae cum interna consensum, reprehendens Phariseos, qui in opere externo acquiescentes de internis

actio-

(u) Trim. Vern. A. 1729 B. V. (x) Trim. brum. anni praes. n. IV.

actionibus parum solliciti erant. Patet vero est, nos per omnem philosophiam moralem urgere operis externi cum interno consensum, nec ad virtutem referre actionem externam nisi quatenus cum interna consentit. Legantur ea, quæ nuper de virtute inculcavimus (y), cum de voluptate ex virtute percipienda ageremus: ex iis simul liquet non alia de juris naturalis principio a nobis tradi, quam quæ Christum docuisse evicimus. Eodem in loco Christus amorem inimicorum & animum ab omni vindictæ cupidine alienum urget. Nos quoque ex nostro juris naturalis principio utrumque deduximus (z). Urget Apostolus juxta mentem Christi, ut manducemus, bibamus & quodlibet aliud faciamus in gloriam Dei (a). Nos ex principio nostro juris naturalis deduximus (b), hominem actiones suas in universum omnes ad gloriam Dei dirigere debere, simulque exinde deduximus modum, quod gloria Dei singulis nostris actionibus

(y) Trim. brum. h. a. n. I. (z) §. 856.
 295 Mor. (a) 1 Cor. X. 31. (b) §.
 654 & seqq. Mor.

bus illustrari potest. Quoniam itaque ex nostro juris naturalis principio omnia demonstrativa ratione deducuntur, quæ de officiis hominum tradit scriptura sacra, ut inter leges naturales, prout a nobis explicantur, & præcepta moralia in scriptura sacra contenta admirandus deprehendatur consensus; vel exinde intelligi potest, verborum Christi eum esse sensum, quem fundit principium juris naturalis a nobis stabilitum. Quare si quis hebetior fuerit, quam ut demonstrativam interpretandi rationem, qua in superioribus usi sumus, capiat; is exinde identitatem principii juris naturalis a Christo inculcati & ejus, quod nos stabilivimus, agnoscat. Unum enim idemque principium generale sit necesse est, ex quo utroque eadem prorsus præcepta, seu eadem hominis officia deducuntur. Agnovit hunc philosophiæ nostræ moralis cum doctrina Christi consensum Theologus quidam pius ac eruditus, quem admodum jam alias monuimus (c),

(*Hor. subs. 1730.*) Z post

(c) In Nachrichten von meinen Schriften S. 222.

postquam Metaphysicam & philosophiam moralem seria attentione perlegisset ac integrum annum & amplius, quemadmodum fieri debet, in singulis pensitandis consumsisset, & veritati testimonium perhibuit adversus eos, qui ut aliis fucum facerent, principium juris naturalis a nobis stabilitum tanquam absurdum ac impium traducebant, quemadmodum olim fecerant Pharisæi, ut adeo genuinum juris naturalis principium a virtutis infucatae osoribus & tempore Christi, & nostro hoc tempore idem fatum fuerit expertum.

*Ratio n-
sus philo-
sophia
moralis
Auctoris
in ho-
miliis.*

§. 4. Hoc ipsum juris naturalis principium in causa est, cur philosophia moralis adeo egregium præstet usum oratoribus sacris in sermonibus ad populum. Etenim quæ in philosophia morali tradimus, ex principio juris naturalis deducimus. Atque adeo ex eodem intrinseca actionum honestas & turpitude demonstratur: unde virtutum tam intellectualium, quam moralium notiones distinctæ eruuntur. Desumuntur vero ab hac ipsa intrinseca actionum honestate & turpitudine & a glo-

gloria Dei per singulas actiones illustranda motiva & ex eodem fonte derivantur tam media, quam impedimenta atque adversus ea remedia. Ut adeo omnis virtutum theoria atque praxis ex illo juris naturalis principio tandem deducatur: id quod etiam a posteriori experiri licet, facta demonstrationum analysi, donec ad primum principium perveniatur, eo quidem modo, quem in opere Logico præscripsimus (d). Jam principium nostrum juris naturalis idem prorsus est cum principio juris naturalis a Christo proposito, hoc est, cum regula generali determinandi omnes actiones liberas, quam Christus dedit. Quamobrem palam est, quicquid de virtute atque actionibus ex eadem fluentibus traditur in scriptura sacra, id tale esse debere, ut ex principio isto deduci possit. Sed quæ nos in philosophia morali tradimus, ex eodem prorsus principio deducuntur, quemadmodum ex dictis constat. Ergo quæ scriptura sacra tradit de virtute ac profluentibus inde actionibus, eadem esse de-

Z 2

bent

(d) §. 994 Log.

bent cum iis, quæ nos in philosophia morali de eodem argumento demonstramus. Quamobrem philosophia nostra moralis plurimum adjumenti affert ad interpretationem scripturæ sacræ evidentem & ad theoriam ac praxin morum eidem convenientem distincta explanatione tradendam. Novi exempla ministrorū verbi divinii, qui hunc usum philosophiæ moralis experiuntur & multo cum applausu verba ad populum faciunt, cujus attentio conservatur, tum quod se intelligere sentit, quæ docentur, tum quod utilitatem doctrinæ utpote probe intellectæ & ad praxin aptæ multiplicem præsentit. Significavi in litteris privatis exempla prorsus singularia Theologis summis ac magno suo merito celeberrimis, quamvis non una sit ratio, cur de iis publicè taceam, præsertim cum philosophia mea minime ferat ut quid ad alterum spectans in publicum proferas nisi speciali ipsius consensu impetrato, immo sponte oblato: jubet enim ne quid fiat, unde alteri tædium aliquod enasci possit, & ut caveatur, ne alter tædii vel levissimi culpam

pam in nos conjicere possit nisi rationis usum ejurans coeco affectuum impetu se abripi patiatur.

§. 5. Postquam ostendimus identitatem principii juris naturalis a Christo propositi cum nostro; hoc ipsum ejus in philosophia evicimus: etenim principium nostrum nobis sufficiens fuit ad philosophiam practicam demonstrativa methodo condendam. us primus principii juris naturalis a Christo propositi in Theologia morali.

Istud adhuc clarius elucescet ex operibus Latinis, quæ de philosophia practica universalis, de Jure naturæ ac Gentium, de Ethica atque Politica suo ordine editurus sum, si Deus mihi corporis animique vires pro ea, qua hætenus me frui jussit, clementia conservaverit. Etenim amplissimum Juris naturalis systema daturus sum, in quo plures casus ad propositiones determinatas redacti demonstrabuntur, quam jure civili comprehenduntur, & praxin quoque morum & administrationis Keip. amplissimam exhibiturus sum. Quod vero idem principium Theologiæ morali satisfaciatur, sine probatione forsitan concedent plerique,

Z 3

pro-

propterea quod a Christo prolatum sit; nobis tamen demonstrandum videtur, rem ipsam id pati, quippe qui recordamur, Dei omnipotentiam non ad impossibilia extendi, possibilitatem autem intrinsecam rerum distincte explicabilem esse ex philosophia prima meminimus. Cum in superioribus voluptatem ex virtute christiana percipiendam contemplaremur, ex philosophia nostra morali repetenda erat differentia, quæ inter virtutem naturalem ac christianam intercedit, materialis, vulgo non satis expensa (e), scilicet quod homo christianus actiones suas dirigere debeat ad gloriam Dei tanquam autoris salutis atque Christi tanquam redemptoris, quatenus scilicet actionum determinandarum motiva petuntur ab œconomia reparata per Christum salutis. Homo a Christo redemptus est & christianus hoc firma fide tenet. Quamobrem cum non modo homo sit, ex anima rationali & corpore organico constans, atque creatura ad Deum tanquam primum autorem

(e) n. I. §. 2.

torem existentiam suam cum essentia, & quicquid in se realitatis est, referens (f); verum etiam persona a Christo redempta: tum demum perfecta erit actio ejus, si conveniat naturæ hominis, creaturæ atque christiani, motivis ex notione hominis, creaturæ & christiani desumptis in eandem determinandam influentibus, & ipse homo perfectus erit, quatenus singulis suis actionibus se hominem ratione præditum, creaturam a Deo pendentem & christianum probaverit. Quamobrem cum Theologia moralis non aliud docere debeat, quam quomodo vitam christiano homine dignam agamus, ex principio autem juris naturalis a Christo propositi deducatur, quænam sit vita homine christiano digna, & per idem singulæ actiones liberæ, quatenus decent hominem christianum, determinantur; principium istud non minus sufficit in Theologia, quam in philosophia morali. Dabit oculatam fidem, qui Theologiam moralem veri nominis in systema redegerit. Si

Z 4

quis

(f) Vide Trim. ultiv. A. 1729 n. III.

quis enim opus arduum aggreditur, qui notione Theologiae moralis adhuc destituitur, cum eo nobis nihil est negotii.

*An prin-
cipium
juris na-
turalis
a Christo
propositi
satisfaci-
at in iu-
re civili.*

§. 6. Quod principium juris naturalis a Christo propositi satisfaciat in Theologia morali, satis superque patet: quod vero etiam satisfacere debeat Jurisprudentiæ civili, nunc porro ostendendum. Constat ex anterioribus (§. 5.), principium hoc sufficere systemati completo juris naturalis. Enimvero ex jure naturali efficitur jus civile (g), nec datur casus in jure civili vel decisus, vel decidendus, qui non possit decidi ex jure naturali. Quamobrem principium illud Jurisprudentiæ quoque civili satisfacere debet. In Jurisprudentiæ civili non opus habemus principio juris naturalis, nisi quatenus ex eo eruitur, quid æquitati in dato casu conveniat. Quod si ergo systema juris naturalis completum extet, principio juris naturalis prorsus non indiget Jurisprudentiæ civilis. Quid enim sit æquitatis in dato

(g) Vide Trim, brum. n. II. §. 24.

to casu, ex systemate juris naturalis patet. Jctus adeo principio juris naturalis carere potest, qui de legibus demonstrandis non est sollicitus. Etsi enim inter leges civiles plurimæ occurrant ex jure naturali desumptæ, quæque adeo independentet a principio juris naturalis demonstrari nequeunt, si in admittendis iis, quæ absque probatione sumuntur, fueris difficilis; ubi tamen de iis demonstrandis parum fueris sollicitus, nihil quoque tibi proderit juris naturalis principium. Absit autem, ut quis a Jcto ad Doctorem juris naturalis argumentetur! magna enim inter utrumque differentia intercedit. Jctus tantummodo nosse debet leges civiles ac pollere facultate eas ad factum applicandi: quod utrumque fieri potest, etiamsi ignoret, num prædicatum respondeat suo subjecto, consequenter an aliqua insit legi veritas. Lex nimirum ex voluntate superioris, non ex veritate valorem suum, seu vim obligandi habet. Enimvero legibus naturalibus inest veritas, atque adeo in iisdem perinde ac in ceteris

Z 5

pro-

propositionibus veris prædicatum per notionem subjecti determinatur (h). Lex igitur naturalis auctoritatem suam habet ex veritate , neque alio ex capite admittitur , nisi quatenus vera agnoscitur. Vera agnosci minime potest sine demonstratione , demonstrari autem nequit sine principio juris naturalis. Quare Doctor juris naturalis principio juris naturalis carere nequit. Sine principio juris naturalis leges naturales demonstrari minime posse nemo ambigit , qui demonstrandi formam animo comprehensam habet, Demonstrare enim leges naturales, seu alterum convincere veritatis earundem absque principio perinde foret , ac regulas motus demonstrare velle absque principiis, quibusdam assumtis, vel propositiones Geometriæ elementaris demonstrare velle absque axiomatis seu propositionibus ex philosophia prima assumtis. Jctus carere etiam potest principio juris naturalis, si leges civiles demonstrare velit , nondum præsupposito juris naturalis systemate , ubi leges quas-

quasdam naturales tanquam principia juris seu axiomata absque probatione sumit, hoc ipso imitatus *Euclidem*, qui quædam ex philosophia prima absque probatione sumit, sub titulo axiomatum, parum sollicitus de primo principio, unde a priori deducuntur, quemadmodum a nobis in philosophia prima seu Ontologia factum. Quznam sint illæ leges, non ante dicere licet, quam demonstrationes fuerint absolutæ. Imperator (i) istiusmodi principia recenset: *Honeste vivere, neminem lædere, suum cuique tribuere*. An vero ea sufficiant legibus civilibus demonstrandis, jam non definivero.

§. 7. Principium juris naturalis, si in abstracto enuncietur, quemadmodum in philosophia in usum demonstrationum enunciari debet, intellectu non minus, quam applicatu difficile est. Quamobrem Christus, qui subtilia & a sensu maxime remota, ad captum vulgi singulari artificio reducere suevit (k) & hoc ipso usum in

*Principii
juris naturalis
intelligentia &
applicatio a
Christo
facilitata.*

ejus

(i) §. 3, l. de Just. & jur. (k) Vide Trim. Vern. 1729 n. 5. §. 2. p. 358 & seqq.

ejus potestatem redegit, utramque difficultatem tollit, dum eidem ideam exemplarem jungit ad Deum nos respicere jubens, qualem is se præstat in actionibus liberis determinandis. Supponit itaque hominem ante Deum ejusque opera cognoscere debere, quam principium legum naturalium intelligat atque applicet. Idem intelligitur ex antecedentibus, ubi amorem inimicorum præcipiens ideam exemplarem his verbis ingerit: *ut. sitis filii patris vestri, qui in coelis est; qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos* (1). Unde simul apparet, Christum in idea exemplari supponere non modo, quæ de Deo ex scriptura sacra nobis innotescunt, verum etiam quæ ex contemplatione universi hauriuntur. Quomodo idea ista exemplaris inserviat ad principium juris naturalis facilius intelligendum atque applicandum pluribus doceri poterat: sed in præsentis sufficiat in exemplo acquievisse, quod ipse Christus dedit. Nuda observatione

con-

(1) Matth. V. 45.

constat, cur sol oriatur & cur pluat: commodum enim, quod inde sentiunt, homines, unicuique manifestum est. Agit hic Deus ex fine, quem sapientia & bonitas suadent: id quod levi attentione unusquisque assequitur. Agit itaque naturæ suæ convenienter, quatenus se sapientem & bonum erga genus humanum præbet. Non respicit hominem, an dignus sit beneficio, an indignus, neque adeo rationes extrinsecas a proposito suo se dimovere patitur; sed actionem ita determinat, ut cum attributis suis consentiat, adeoque ut perfectus sit in agendo. Idea igitur exemplaris & nobis suggerit, quænam ad principium juris naturalis in genere intelligendum, & ad casum specialem amoris inimicorum applicandum conducunt. Hoc ipsum autem exemplum nos instruit, quomodo idea exemplari utendum sit in casibus aliis, ut nobis succurrant quid fieri a nobis debeat, ubi perfecti esse voluerimus. Sed de his forsan alias uberius dicendi locus erit.

*Dubium
tollitur.*

§. 8. Unicum tamen superest, quod moneamus, ne vim principii juris naturalis non satis perspicientes difficultates præter necessitatem facebant. Homo hic spectatur non modo tanquam persona physica, verum etiam tanquam persona moralis. Priori modo consideratur, quatenus animam habet rationalem, & corpus organicum eidem unitum: posteriori autem modo, quatenus consideratur ut creatura, vel etiam ut Christianus, immo in statu civili ut civis seu Reip. membrum, ut alios respectus speciales jam silentio prætereamus. Multiplicem adeo personam sustinet homo. Quemadmodum vero quædam necessario requiruntur ad id, ut possit dici homo, quæ ad essentiam & naturam ejus referuntur; ita quoque necessario quædam ponenda sunt, vi quorum ut creatura, ut Christianus, ut civis concipitur. Quare rationes actionum liberarum resolvi debent non modo in ea, quæ inter essentialia hominis referuntur; verum etiam in ea, quæ essentialia creaturæ, Christiani, civis & ita porro absolvunt,

ubi

ubi in propioribus acquiescere visum. Quodsi tamen aciem mentis intendere velis; non erit difficile ea, quæ tanquam essentialia creaturæ, christiani, civis & ita porro sumuntur, ad ea, quæ essentialia hominis sunt; tanquam ad rationes ultimas reducere: quo in casu tandem omnia deducuntur ab iis, quæ homini necessario insunt, quem admodum supra diximus.



CON-

CONSPECTUS

TRIMESTRIS VERNALIS.

I.

*De Voluptate ex Virtute christiana
percipienda,* 179

II.

*Specimina definitionum in jure e-
mendatarum,* 236

III.

*De Nexu rerum in negotiis huma-
nis Prudentia fundamento,* 291

IV.

De Rationibus legalibus Legum.
322

V.

*De Principio Juris naturalis juxta
doctrinam Christi, Matth. V. 48.*
343

) Finis Trimestris Vernalis.

HORÆ SUBSECIVÆ
MARBURGENSES

ANNI MDCCXXX.

QVIBUS

PHILOSOPHIA

AD

PUBLICAM

PRIVATAMQVE UTILITATEM
APTATUR.

AUTORE

CHRISTIAN. WOLFIO,

POT. SUECORUM REGIS, HASSIÆ LANDGRA-
VII, CONSILIARIO AULICÒ, MATHEMATUM AC
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PRIMARIO IN ACA-
DEMIA MARBURGENSI, SOCIETATUM RE-
GIARUM BRITANNICÆ ATQUE BO-
RUSSICÆ SODALI.

TRIMESTRE ÆSTIVUM.

FRANCOFURTI & LIPSIAE MDCCLXXXI.

PROSTAT IN BIBLIOP. RENGERIANO.

Handwritten text, mostly illegible due to extreme contrast and noise. Some faint characters are visible at the top of the page.

Handwritten text, mostly illegible due to extreme contrast and noise. Some faint characters are visible in the middle section of the page.

Handwritten text, mostly illegible due to extreme contrast and noise. Some faint characters are visible at the bottom of the page.

HORÆ SUBSECIVÆ MARBURGENSES

Anni MDCCXXX.

Trimestre Æstivum,

I.

De Peccato in Philosophum.

§. 1.

Refert *Stanlejus* (a) ex *Æliano* (b) institum
sum An-
toris. Philosophum inter ceteros eminentem *Aristotelem* percepta contra vitam suam conspiratione Athenis clam discessisse & Chalcidem se contulisse, ubi amicis causam fugæ exquirentibus responderit eam fuisse, quod nollet committere, ut Athenienses bis peccarent in philosophum, obscure *Socratem* innuens suumque periculum. *Socratis* apud Athenienses fata sinistra recenset idem *Stanlejus* (c) & ex his intelligitur, quale sit illud in philosophum peccatum, quod ab Atheniensibus bis

Aa 2

com.

(a) In *Historia Philosophiæ* part. 5. in *Vita Aristotelis* c. 9. p. m. 423. (b) *Var. Hist. lib. 3. c. 36.* (c) *loc. cit. part. 5. in Vita Socratis* c. 9. p. m. 166 & seqq.

committi noluit *Aristoteles*. Quare cum nobis propositum sit idem exponere dilucidius; non abs re esse videtur, ut ante enarremus, quomodo ab Atheniensibus in *Socratem* commissum fuerit. Cum *Socrates* philosophiam Athenis profiteretur, Sophistarum tanta erat existimatio, ut *quocunque loco* juvenibus persuaderent, ut omni cum aliis commercio valedicentes ipsos unice sequerentur. Iis sese opposuit *Socrates* ostendens, ipsos parva existimatione longe inferiores esse, nec ea intelligere, in quibus aliis institutionem pollicerentur, vanos eos esse verborum captatores, ignorantes eorum, quæ profiterentur, atque opus habentes potius, ut mineral solventes instituerentur ipsi, quam ut alios instituerent, eo accepto. *Socratis* reprehensiones probantes Athenienses, Sophistis derisis, ad virtutem solidam colendam juvenes suos excitabant. Etsi autem Sophistæ ne hiscere quidem contra *Socratem* auderent, cum magnum ejus esset nomen; miro tamen casu accidit, ut eidem tandem fatales struerentur insidiz. *Anytus*, Rhetor, qui ex mercatura coriaria privatim vi-

ctum

Etum & divitias quærebat, filios duos à *Socratis* disciplina revocatos, quod eo usque haud profecissent, ut alimenta ex causis dicendis sibi comparare possent, operæ addixerat, cujus ipsum publice tractandæ puderet: id quod ægre ferrens *Socrates* salutis juvenum studio coram discipulis suis *Anytum* reprehendere non cessabat. Hic de vindicta per plures annos cogitans Athenienses timebat, veritus ne *Socratis* amici & affectu exasperatos contra accusatorem judicum animos in suas partes pertraherent, ut qui falso detulisset hominem, non solum nullius mali in civitate auctorem, verum etiam ex adverso civitatis Atheniensium ornamentum, donec tandem consilio cum *Melito*, juvene, Rhetore, inuito, qui drachma ad quamcunque rem posset impelli, *Aristophanem*, Poetam Comicum, scurram & nugatorem excitaret, ut in scenam *Socratem* produceret & ab iis, quæ plerique de eo conficta norant, malis taxaret atque incesset: esse nempe eum nugatorem, & dicendo efficere, ut malæ causæ bonæ videantur, introducere novos dæmones, cum ipse neque agnosceret

interea, neque coleret Deos ullos, atque hæc ipsa quoque in eos, qui ejus opera uterentur, transfundere, eosque in falsam opinionem deducere, arrepto argumento strenue risum interponens. Rei insolentia primum obstupere Athenienses omnes, qui nihil minus expectassent: mox qui natura ad invidiam erant proclives & ad optimis quibusque obrectandum propensi, summo applausu drama istud exceperunt. Cum publicis obrectationibus per complures annos continuatis non deessent, qui calumniis audacter repetitis fidem haberent; *Melitus* tandem accusationem adversus *Socratem* apud Senatum instituit libellum juramento intercedente offerens, quod Deos, quos civitas esse censeat, ipse non censeat, novaque Deorum numina introducat, præterque jus & æquum juventutem corrumpat, pœna ideo capitali afficiendus. Facta accusatione *Anytus* clanculum ad *Socratem* misit pollicitus se actioni renunciaturum, si in posterum coriariæ a se exercitiæ mentionem facere nollet; sed is respondit, se nunquam ab iis dicendis destitutum, ad quæ proferenda sese officio

ficio teneri existimet, tempusque omne, quod ab accusatione inde ad iudicium usque effluxit, philosophiæ pro more impendit, nihil de defensione sollicitus. Cum iudicii dies adesset, *Anytus*, *Lycus* & *Melitus* accusationem instituebant, primus plebis, secundus oratorum, tertius poetarum causam acturus; sed nolebat *Socrates*, ut moris erat, causæ patronum sibi advocare; quin potius ipse suggestum conscendit & sermonem se defensusus recitavit, qui apud *Stanslejum* (d) legi potest. Displicuit iudicibus insolitus, quem sequebatur, dicendi mos, ut suffragia ferentes eum damnarent ad multam solvendam. Interrogatus quam æstimationem se conmeruisse maxime confiteretur, 25. drachmas se soluturum dixit, nec amicos, qui eum 30. minarum pretium offerre jubebant, quicquam conferre passus affirmabat, multæ solutionem esse ejus, qui injuste se fecisse fateretur, atque iudicibus aiebat sese meruisse, ut amplissimis honoribus & præmiis decoraretur, & ut ei victus quotidianus in prytaneo publice præberetur, qui honos

Aa 4 apud

(d) loc. cit. c. 10. p. m. 171 & seq.

apud Græcos maximus habebatur. Responso hoc iudices sic exarserunt, ut capitis eum condemnarent. Qua lata sententia *Socrates* inter alia reposuit, se, quod injuste occidatur, animum non abjicere, id enim non sibi, sed iis, qui sententiam tulere, dedecori esse. Ad didit, se nosse quod futura tempora testimonium ipsi sint præbitura, neminem ab eo unquam læsum aut pejorem redditum fuisse; sed se omnibus, qui cum ipso versati, profuisse, quantum in se positum fuerit, quicquid sibi boni fuerit gratis cum eis communicando. Hæc ex *Stanlejo* excerpere libuit, cum in iis contineantur, quæ notionem peccati in philosophum ingredi debent. Singula, quæ hic exprimuntur, merentur attentionem lectoris, ut agnoscat genium peccatum istud committentium omni seculo prorsus idem. Notandum vero jam erit notionem istam peccati in philosophum more nostro evolvere, ut turpitudinem intrinsecam introspicere detur, quam vulgo non satis agnosci expertus.

Quid sit
peccatum
in philo-
sophum.

§ 2. Peccarunt Athenienses in philosophum, iudice *Aristotele*, dum invidi

So-

Socratem cupidine vindictæ falso accusarunt & iudices minime convictum ac indefensum condemnarunt. Unde colligitur peccatum in philosophum esse cupidinem nocendi philosopho sub eo prætextu, quod doceat religioni, bonis moribus & statui adversa. Ex hac ipsa definitione statim intelligitur, nec olim infrequens fuisse inter gentes peccatum in philosophum, nec hodie inter ipsos Christianos deesse plures, qui peccato isto animum contaminant. *Socratem* ad mortem condemnatum solabatur exemplum *Palamedis*, antiquissimum, qui simile cum ipso fatum expertus fuerat. *Anaxagoras*, Præceptor *Socratis*, non meliora fata expertus fuerat. Et si enim diversæ sint autorum de damnatione & morte ipsius sententiæ, quas refert *Stanlejus* (e); id tamen certum est, quod vel morte, vel exilio damnatus fuerit, sub hoc prætextu, quod novam de Deo opinionem invexisset & urbem apud Persas prodere voluisset, propterea quod solem ab Atheniensibus pro Deo habitum, teste *Josepho*, rationis expertem

A 2 5

tem

(e) loc. cit. part. 2. in Vita Anaxag. c. 5. p. m. 107.

tem & candentem laminam dixisset. Autor enim est *Plutarchus* (f), Athenienses tunc non tolerasse eos, qui naturam rerum ac cœlestia & sublimia profitebantur, tanquam qui divinum numen in absurdas causas & affectiones necessarias discerperent. *Aristarchum Samium*, eodem *Plutarcho* autore (g), violatæ religionis a Græcis debuisse postulari putavit *Cleanthes*, tanquam si universi lares & *Vestam* loco movisset, quod cœli phœnomena intelligibili modo explicaturus poluisset cœlum quiescere, terram per obliquum circulum evolvi & circa suum interim axem verti: qua doctrina hodie ad debellandam impietatem (h) & promovendam pietatem (i) utuntur Theologi eruditionis ac pietatis laude eminentes. Immo alibi jam (k) docuimus, apud *Sinas* quoque ipsi *Confucio* virtutis bonique regiminis tam indefesso propagatori, Philosophorum apud ipsos Principi, vitæ insidias structas fuisse. Inter christi-

nos

(f) in Nicia. (g) in opusculo de facie in orbe Lunæ. (h) Derham in Astrotheol. (i) *Cotton Mather* in Philosopho Christiano seu Religione philosophica Tent. 2. & seqq. (k) in Notis ad Orat. de philos. Sinar. n. 14.

nos proh dolor ! peccatum hoc non esse ignotum, pluribus exemplis doceri poterat ; sed unum alterumque nobis in presenti sufficiat. Illustre imprimis exemplum præbet *Thomas Campanella*, e Dominicanorum familia (1), qui adhuc adolescens eximii ac supra humane conditionis vires ingenii signa dedit. Cum enim Neapoli cum *Franciscanis* ligneo utentibus succo sapius acriter disputasset & victor cum applausu extitisset, ac imprimis senis cujusdam arrogantiam publice retudisset, qui eum rerum theologicarum ignarum pronuntiaverat, tanto quidem cum successu, ut omnium judicio a *Campanella* semper omnes, illo autem die etiam ipsum a sese superatum esse judicaretur ; a sene illo apud Quæsitores fidei accusabatur, quod tantam vim doctrinæ, cujus ne literam quidem didicisset, ex inferorum fontibus haustam ebibisset. Enimvero cum hac accusatione nihil proficeretur ; perduellionis tandem reus factus, quasi regnum Neapolitanum hostibus prodere conatus esset, in carcerem

(1) Janus Nicius Eychræus in Pinac. 1. p. m. 41 & seqq.

cerem conjectus est in eoque quinque & viginti annos detentus ultimum vitæ discrimen adiit, cum quæstione de eo quinque & triginta horis dire ac crudeliter habita (ipsa *Nicii* verba resitamus), circa sedem venæ arteriæque tormentorum immanitate diffractæ eam vim sanguinis emiserint, ut sisti non posset. Notatu autem dignum est, quod non minus, quam *Socrates* forti ac constante animo omnes tulerit injurias. Testatur sane *Nicius*, quod adeo crudeliter habitus ad tormenta eam animi fortitudinem attulerit, ut ne vocem quidem unam emiserit docti ac sapientis viri gravitate indignam. Nec minus notatu prorsus dignum est, quod horrendis istis cruciatibus in rem suam fuerit usus, ut hoc argumento postea probaret, voluntatem non posse cogi contra evidentiam. Ita enim disertis verbis: „ Quidam vir, inquit (m), quadraginta „ horas in cruciatibus interrogatus co- „ gi non potuit (mirabile dictu!) unum „ dicere verbulum iudicibus. Quod si „ tormenta dira & tam diuturna voluntatem non cogunt, ergo neque stellæ, „ neque

(m) Met. part. 2. lib. 9. c. 6. art. 8. f. 198.

neque aliud quidpiam cogent hominem, nisi velit cogi“. Pertinet huc etiam exemplum *Cartesii*, in quem peccavit *Voetius*, offensus iudicio, quod in epistola ad P. *Dinet*, è Societate Jesu, tulerat. Neque enim solum plaustra convitiarum in philosophum summum congescit; sed eadem quoque horrendis criminationibus auxit lubentissime curaturus, ut delinquentium numero adscriptus pœna vel capitali afficeretur. Sane non erubuit asserere, quod *Cartesius* cum *Vanino* paria faciat, &, dum videri velit Atheos Achilleis argumentis oppugnare, subdole ac admodum occulte atheismi venenum iis affricet, qui anguem in herba latitantem præ ingenii imbecillitate ubique deprehendere non possint. *Vaninus* nuper ob Atheismi crimen combustus fuerat: unde haud obscure colligitur, quod *Voetius* dignum pronunciaverit *Cartesium*, qui eadem pœna afficiatur. Tantæ autem rabiei causa non alia erat, quam quod *Cartesius* in epistola modo laudata scripserat, *Voetium* in potentiores invehendo ferventem & indomitum pietatis zelum præ se ferre, interdum dicte-

riis

riis plebeculæ aures demulcere, varios autores sæpius contra ipsum, quam pro ipso facientes citare, autoresque illos ei forte tantum ex indicibus notos esse, immo de quibuslibet scientiis, tanquam si earum gnarus esset, audacissime ac simul imperitissime loqui solere, ut doctus indoctis videatur. Hoc *Cartesii* iudicium bilem adeo movit *Voetio*, ut sui impotens omne virus in eum eromere conaretur, non ante placandus, quam ubi famæ, fortunæ, vitæ damnum intulerit *Cartesio*. Non igitur mirum, quod *Cartesio* imputaverit Scepticismum, Enthusiasmum, ipsum denique Atheismum, lubentissime alias criminationes additurus, modo his atrociores comminisci potuisset: id quod exinde colligitur, quod affirmaret, *Vaninum* publice Tholozæ combustum fuisse non tantum quod atheus esset, sed atheismi apostolus, & mox in *Cartesium* calamo converso adderet, ipsum iisdem artibus, quibus *Vaninus* usus fuerat, in imperitorum animis Atheismi thronum erigere laborare. Idem confirmatur ex fervore, quo utitur ad amovendas exceptiones, quas quis accusationi opponere

nere poterat. „ Nec quicquam, in-
 quit *Voetius*, i. ad rem facit, quod mul-
 ti benignius de *Cartesio*, quam de *Cæ-*
sare Vanino sentiant, ipseque religio-
 nem Catholico-Romanam in propa-
 tulo profiteatur: idem versipellis sisy-
 phus *Vaninus* faciebat. 2. Prodesse
 non potest homini, quod dicat se con-
 tra Atheos scribere, iis enim bellum
 quoque *Vaninus* indixerat. 3. Non
 excusari quoque potest *Renatus*, quod
 Theologis religioni suæ adversantibus,
 & nominatim *Voetio*, quem scilicet
 Theologi Academiæ Lovaniensis pro
 hæretico habent, se opponat; idem
 enim a *Vanino* in Gallia fiebat. 4. Non
 expediet quoque se *Cartesius*, si dicat
 se a multis pro strenuo atheorum an-
 togonista haberi: accidit enim & hoc
Vanino, quem a multis stropharum
 diaboli ignaris probatum pauci ita de-
 texerunt, ut a supremis potestatibus
 debito supplicio opportune sublatus
 fuerit. „ His adjungi adhuc potest cri-
 minatio gemina, *Cartesium* scilicet Ec-
 clesiarum & academiæ perturba-
 tionem moliri, unde aliquando nihil a-
 liud quam Reip. concussio & Optima-
 tum

tum ac Procerum quorundam collisio expectanda fit, quemadmodum norunt illi, quibus genius incolarum Belgii notus sit. Illustre adeo exemplum peccati in philosophum admisi præbet *Voetius*, ut inde notionem clarissimam ejusdem consequi detur. Enimvero addamus tertium. In horis subsecivis anni superioris (n) jam retulimus, quomodo *Josua Schwarzius*, Theologiz in Academia Lundinensi Professor, in *Pufendorffum* collegam peccaverit: Cum enim hic in opere Juris naturæ ac gentium misa actionum honestate ac turpitudine intrinseca justitiam arbitrariam introduceret; ille eum paganismi, Zwinglianismi, Socinianismi, Papismi, Pelagianismi, Hobbesianismi & Cartesianismi infimulavit. Dum *Cartesianismi* illo tempore admodum exosi eum postulavit, ad eum applicavit, quæ *Voetius* in *Cartesio* peccans impotente lingua evomuerat. Legi etiam possunt, quæ de *Nicolao Beckmanno*, collega altero, Juris Professore, scripsit *Pufendorffus*, qui ejusdem peccati se participem fecit (o). §. 3.

(n) Trim. Vern. n. I. §. 12. p. 229. (o) in epistola ad amicos suos per Germaniath super libello famoso Nic. Beckmanni.

§. 3. Cum *Petrus Gassendus*, seculi ^{Percon-}
 superioris philosophus celebris, ^{tum a-} ^{gnatum.}
 suggestum ecclesiasticum cum academico
 commutaret ad Professionem Mathe-
 seos descendens; in Oratione inaugu-
 rali veritatem duplici luce manifestari
 contendebat, luce scilicet revelationis
 ac demonstrationis, Mathematicos pro-
 nis habens, per quos Deus luce demon-
 strationis veritatem revelet, quemad-
 modum per Theologos luce revelatio-
 nis. Quoniam philosophi, si muneris
 sui partes adimplent, eadem demon-
 strandi methodo utuntur, qua Mathe-
 matici uti solent (p); philosophi certa
 methodo veritatem latentem in apri-
 cum producentes non immerito dicun-
 tur illi, per quos Deus luce demonstra-
 tionis revelat, quæ recto rationis fen-
 sumque usu seu lumine naturæ agno-
 sci possunt. Prophetæ autem illi sunt,
 per quos nobis Deus primitus ea revela-
 vit, quæ rationis spheram transcen-
 dunt. Enimvero constat ex Scriptu-
 ra Sacra Prophetas omni tempore, im-
 mo ipsum Christum, Salvatorem no-
 strum, per quem Deus ultimo loco ad
 (*Hor. subs. 1730.*) Bb ho-

(p) §. 139 Disc. prælim.

homines locutus est (q), ob veritatem, quam revelabant hominibus, non minus vexatos fuisse, quam philosophos, veritatem aliquam antea nondum agnitam vel in apricum protrahentes, vel protrahere allaborantes. Quamobrem peccatum in Prophetas, cui obnoxii fuerunt Judæi, agnatum est peccato in philosophum, quod & olim pagani, & hodiernum proh dolor! christiani committere solent, etsi illud tanto sit gravius, quanto veritas divinitus revelata superat veritatem lumine naturali eruendam. Quodsi igitur a gravitate peccati discefferis; ipsa forma utriusque eadem est, ut adeo peccatum in prophetas, quod in sacris definitur, peccatum in philosophum non parum illustret, nec dubitari possit eos, qui in philosophum peccant, peccaturos quoque fuisse in prophetas, si illorum loco fuissent, qui prophetis vexas crearunt ob divinitus revelatam veritatem: id quod ex sequente tractatione magis elucescet.

Forma peccati in philosophum.

§. 4. Supponit peccatum in philosophum odium quoddam particulare in personam philosophi, quacunque de causa

(q) Hebr. I. 2.

causa enatum. Etenim consistit in cupidine nocendi philosopho (§. 2), adeoque eam animi dispositionem in peccante supponit, qua ex miseria ac infelicitate philosophi voluptatem percipere valet. Quare cum hæc ipsa animi dispositio sit odium, quo quis in alterum flagrat (r); peccatum in philosophum a nemine committi potest nisi ab eo, qui odio ipsum prosequitur. Equidem ex eo nascitur odium omne, quod in altero quid percipiamus, quod nobis displicet, vel prorsus tædium creat (s): quoniam tamen non unum est, quod in aliis displicere nobis potest; odii quoque non una datur causa. Ex odio autem manat peccatum in philosophum, quacunque de causa enatum fuerit: quamobrem multiplices quoque admitti possunt causæ, cur quis in philosophum peccaturus in odium ejus rapiatur. Probant idem exempla hujus peccati, quæ tanquam fundamentum tractioni præsentis præstruximus, quod nobis in more positum sit ex ipsis rebus sapere, adeoque non confingere notiones, sed ex ipsis rebus easdem derivare.

B b 2

Odi-

(r) §. 454 Mer. (s) §. cit. Mer.

Odium *Anyti* erga *Socratem* ex eo proficiscebatur, quod hic de eo vulgaret, ejus ipsum puderet. *Anytus* enim ex mercatura coriaria victum & divitias quarebat; sed cum Rhetor esset, privatim eam exercebat, nec eam exercere videri volebat. Quare cum eum publice coram discipulis suis reprehenderet *Socrates*; fieri profecto non poterat, quin hoc eidem valde displiceret. Odium igitur adversus *Socratem* concepit. Erunt forsan, qui imprudentiæ arguent philosophum, quod ea de *Anyto* vulgaverit in contemptum ipsius, unde ipsum ad odium adversus se concitatum iri facile prævidere poterat: enimvero hi erunt, qui ad reprehendendum alios proniores de rebus nondum sufficienter inspectis judicia deproperare solent. *Socrates* virtutis solidæ, non fucatæ cultor dolebat a Sophistis corrupti juvenes & inani spe captos decipi, non sine detrimento Reip. cujus salutem non aliud magis contrariatur, quam si cives habeant animum a vera virtute alienum, & actiones ex vitio profectas ad externam quandam virtutis speciem componant. Officium igitur erat philo-
loso-

Iosophi ad solidam virtutem colendam
 excitare juvenes, ne Sophistarum arti-
 bus delusi pestes essent Reip. qui salutem
 ejus conservare ac propagare debebant.
 Dum *Anytus* filios suos a disciplina *Soc-*
cratis revocatos mercaturæ coriaræ ad-
 dicebat, quod eo usque haud profecis-
 sent, ut alimenta ex causis dicendis sibi
 comparare possent; dubium non est
 quin Sophistæ *Socrati*, per quem ipso-
 rum autoritas vilescerat, infensi hoc ar-
 gumento usi fuerint, ut aliis persuade-
 rent non disci a *Socrate*, quæ utilia sunt,
 sed nugis sterilibus animos juvenum
 repleri, quæ placeant, quamdiu quæ di-
 scuntur ad vanam gloriolam, minime
 autem ad usum vitæ referuntur. Ecquis
 non videt officii rationem imposuisse
Socrati necessitatem amovendi hanc ob-
 jectionem, sibi adeo molestam, juveni-
 bus noxiam, in præsentissimum Reip.
 damnum redundaturam? Sophistæ enim
 singula in rem suam vertentes a silentio
Socratis argumentum pro mala causa
 petiissent, ut, quorum assensus rationi-
 bus extrinsecis extorquetur, iis calu-
 mñas tanto felicius persuaderent. Aut
 igitur *Socrates* officio suo deesse ac in

Remp. peccare, aut odium *Anyti* incurere debebat. Ab officio suo discedere in gratiam malorum cum non posset; odium *Anyti* contemnere tenebatur, si vel maxime prævidisset necem suam inde secuturam. Nil adeo commisit *Socrates*, quod imprudentiæ tribui posset: unde non mirum, quod tanta animi inconstantia tulerit extremas aduersitates ex odio isto propullulantes. Vidimus quænam causa fuerit odii, quod *Socrates* in se suscitavit: enimvero ut appareat, non semper esse eandem, ulterius ad animum reuocemus causam odii, quod *Campanellæ* fatale fuit. Theologi fastuosi ex *Franciscanorum* familia arrogantiam retuderat juvenis, ita ut ovanti similis a suis in monasterium *Dominicanorum* reduceretur. Displicebat seni ipsa canitie venerando se victum esse a juvene, qui in Theologia nondum tyrocinia deposuisse iudicabatur. Verebatur, ne autoritati, qua plurimorum animos fascinaverat, periculum immineret. Fieri adeo non poterat, quin *Vatiniano* odio in *Campanellam* flagraret. Ea est temeritas hominum, quos immerentes ad dignitatem evehit fortuna cæca,

ca, ut aliis doctrina superiores existimari velint, quos dignitate antecellere fert imperitorum opinio. Ecce tibi alteram odii causam, ex qua peccatum in philosophum proficiscitur. Agedum! addamus tertiam isti agnatam. *Cartesius* suum de *Voetio* in literis ad *P. Dinet* tulerat iudicium, quod cum fastui ejus non responderet, maximopere displicere debebat. Eminere in orbe literato volebat *Voetius*, ut in eodem aliis videretur, qui haberi optabat. Intolerabile igitur ipsi erat *Cartesii* iudicium, cui ut fidem omnem detraheret omnibus omnino viribus annitendum erat. Metuebat quoque *Voetius*, ne iacturam autoritatis patiatur, si *Cartesii* doctrina in contemptum sui invalescat. Cogitandum itaque erat de mediis, quibus ea in primo statim ortu supprimeretur. Lepidæ profectorationes, cur philosopho succenseat theologus! Non piget causam tanti odii addere tertiam. Cum *Pufendorfus* ad professionem Juris naturalis in Academiam Lundinensem vocaretur, ægre id ferebat *Beckmannus*, collegam se doctiorem nactus: quamobrem cum id frustra impedire conaretur

adventus collegæ maxime ipsi displicebat. Odium igitur adversus ipsum concipiebat, quod ut eidem magis noxium evaderet, in societatem peccati committendi pertraxit theologum *Schwarzium*, quod existimaret Theologi calumnias facillius invenire fidem non modo penes imperitos, verum etiam penes ceteros, quibus non vacat eas discutere. Atque ita abunde patere arbitror, odii, ex quo peccatum in philosophum proficiscitur, causam non unam esse, sed potius diversam. Quod si tamen causas diversas hæcenus enarratas consideres attentius; in omni casu adfuisse ambitionem vel solam, vel quæstui junctam intelliges. Quæstum ambitioni jungebat *Anytus*, cum ex mercatura cœriaria divitias quæreret, ejus tamen ipsum puderet, indignatus adeo *Socrati*, quod propalaret, quæ celari volebat. Theologus ille senex ex *Franciscanorum* familia, qui se in publico conflictu a *Campanella* victum esse impatientissime ferebat, fastu turgidus erat & eodem impellebatur ad audendum facinus viro Theologo maxime indignum. *Voetius* vana gloria intumescibat,

bat, tanto fervore exardescens, ut in rabiem quasi ageretur, cum a *Cartesii* iudicio famæ suæ periculum imminere existimaret. *Beckmannus* collega degener *Pufendorfi* eidem infensus erat, quod se ab applausu auditorum destitutum videret, paria cum ipso præstare minime valens, adeoque instar *Anyti* ex quæstu ambitioni juncto odium derivabat. *Schwarzius* vero Theologus cum ferre minime posset, ejus contrarium, quod ipse defendebat, ab homine philosopho doceri; arrogantiam hoc ipso signa dedit, ægre inprimis ferens, quod is auctoritati ipsius iudicium suum submittere nollet. Ecquis enim est, qui ignorantiam tribuere dubitat, quod *Schwarzius* prætenderit, *Pufendorsum* pro veris habere non debere, quæ ipse in superiori cathedra constitutus pro falsis atque erroneis declaret, quod sibi esse videatur in possessione veritatis cum toto orbe erudito. Intelligimus adeo ambitionem & avaritiam esse fontes illius odii, ex quo peccatum in philosophum proficiscitur: ut adeo ipsum non extirpetur, nisi viri eruditi, qui dignitate eminent, ab ambitione atque avaritia

avocentur. Ceterum hinc jam porro perspicitur ratio, cur in philolophos imprimis peccent, qui ambitioni atque avaritiz prz ceteris obnoxii sunt, ut vitium utrumque pro proprio quarti modii in iis habeatur. Denique ex eo etiam intelligitur, cur veri nominis philosophi ob dissenfum nemini eruditorum vexas unquam creaverint; sed a cupidine dissentientibus noecendi adeo semper fuerint alieni, ut ne quidem nominatim quenquam publice perstrinxerint, immo ab aliis laceffiti suppresso adversariorum nomine veritatem impugnatam defenderint, ne in famam alterius injurii videri possent. Atque hoc ipso caractere viri vere philosophia vulgo eruditorum distinguuntur, qui ut imperitis videantur, qui non sunt, se longe melioribus insultant & in iis reprehendendis oleum atque operam perdunt, quz nondum didicere, hoc ipso abunde testantes, se artes fideliter non didicisse, quod nondum emolliverint mores. Ecce tibi criterium minime fallax, quo viros solidz doctriinz ab hominibus ventosis distinguere datur, qui aliorum placita impugnant, ubi lectorem

rem docere debent, tanto quidem audaciores, quo magis convincuntur paria a se praestari minime posse.

§. 5. Cupido nocendi, in qua peccatum in philosophum consistit, proportionata est odio, ex quo proficiscitur. Vi enim odii dispositus est animus, ad voluptatem percipiendam ex infelicitate alterius (t); quo majus adeo odium est, eo majorem illius infelicitatem in votis habet, quem odio prosequitur, & tanto majorem voluptatem percipit ex infelicitate, cui alterum obnoxium esse intelligit, majorem adhuc percepturus, si infelicitas esset major. Satis superque hoc produnt verba, quae de infelicitate aliorum gaudentes effundunt, quippe quos ingeminare constat: Non esse hominem commiseratione dignum, pejus ipsum mereri malum & quae sunt his gemina. Notandum vero in primis est, singularem in praesente casu esse rationem, cur odium novas easque majores continuo acquirat vires. Non placatur odium, nisi causa ejus sublata, & inania molimina hanc amovendi illud magis magisque incendunt, ut, si supe-

Odii peccantium in philosophos magnitudo.

ROS

(t) §. 454 Met.

ros flectere non possint, Acheronta moveant. Non tollitur causa odii, quamdiu philosophus non desistit ab eo, quod alteri bilem movet : quodsi factum infectum fieri non possit, eam tolli prorsus impossibile. Palam utrumque loquuntur exempla superiora. *Anytum* offendebat *Socrates*, quod mercaturæ coriariæ, quam privatim exercebat, publice injiceret mentionem. Quamobrem cum *Melitus*, autore *Anyto*, accusationem apud Senatum jam instituisset ; clanculum hic ad *Socratem* mittebat pollicitus se actioni renunciaturum, si in posterum coriariæ a se exercitæ mentionem facere nollet. *Campanella* ad iram aut, ut verius loquar, furorem concitaverat monachum *Franciscanum*, quod publice disputantem summo cum applausu præsentium, præsertim *Dominicanorum*, vicisset. Quare eum pacti cum diabolo infimulabat, ut rogo impositus cremaretur, quemadmodum carbonibus candentibus tostus animam exhalavit *Jordanus Brunus*, ex eadem *Dominicanorum* familia. Quoniam enim factum infectum fieri non poterat ; senis irati odium in *Campanellam*

bellam placari ante non poterat, quam cum pro certo amplecteretur vulgus, ipsum non a *Campanella*, sed a diabolo victum esse. Tantus enim sibi videbatur theologus, ut hominem, praesertim juvenem in divina, quam profitebatur, scientia se superiore agnoscere nolleret, caedæmoni, quam homini primas deferre malens. Ea profecto erat senis illius vesania, ut mirari non conveniat, quod Quæsitores fidei accusationi nullam haberent fidem. Successu cum destitueretur molimen, non extinguebatur odium, sed magis adhuc inflammabatur, nec cupido nocendi ante de-
 exspirabat, quam miser *Campanella* quasi perduellionis reus in carcerem conjiceretur. *Socratis* igitur atque *Campanellæ* exempla mirifice confirmant, quod modo ex ipsis notionibus a priori de magnitudine odii deduximus. Idem vero ulterius confirmari potest exemplo *Cartesii* atque *Pufendorffii*. Causa odii, quo in *Cartesium* ferebatur *Voetius*, erat iudicium, quod de ipso in literis ad *P. Dinet* tulerat. Factum hoc in casu infectum fieri non poterat. Placari adeo non poterat odium *Voetii*, nisi gloriari posset,

posset, se non fuisse contemptum nisi ab homine scelesto, qui fidem Theologorum eminentium subleſtam reddere conetur, ut Eccleſiæ tanto ſecurius damna inferre poſſit. Ideo eum comparabat cum *Vanino*; ejusdem prorsus criminis *Carteſium* reum eſſe acriter propugnabat, ob quod ille Tholoſæ combuſtus fuerat, & valde probabat dirum iſtud ſupplicium, quo is affectus fuerat. Denique *Beckmannus* odio proſequebatur *Pufendorſium*, quod ſtudioſi huic magis applaudebant quam ipſi, & ſocium nanciſcebatur *Schwarzium*, quod is ferre nollet doceri a *Pufendorſio* cum applauſu, quod ipſe pro erroneo declarabat. Utriusque igitur odium ante placari non poterat, quam *Pufendorſio* ab Academia remoto.

Qualis
ſit cupido
nocendi.

ſ. 6. Quodſi exempla hæc ad animum revocaveris, qualis ſit cupido nocendi in iis, qui in philoſophos peccant, abunde perſpicias. Inſidias ſtruunt famæ, fortunæ, immo vitæ ipſius philoſophorum, donec nihil amplius ad amovendas odii cauſas moliri poſſunt. Etenim *Socrates* injuſte occiſus fuit, quaſi crimen pœna capitali dignum amiſſiſſet.

Anaxa-

Anaxagoras vel morte, vel exilio damnatus fuit. *Confucio* vitæ infidiæ fuerunt fructæ. *Campanella* dire ac crudeliter a carnifice in carcere habitus, & adversarii eum ad rogam, immo durius eodem supplicium promoveri conabantur. *Voetius* per calumnias maculam inurere intendebat famæ *Cartesii* &, si per ipsum stetisset, eum exemplo *Vanni* vivum comburi iussisset. *Schwarzius* cum *Beckmanno* audacter calumniabatur *Pufendorffium* spe certa fretus fore, ut aliquid hæreat, ac id se tandem calumniis suis obtenturum sperabat, ut ab officio remotus ex Academia expelleretur, sicque famæ ac fortunæ *Pufendorffii* infidias fruebat. Nihil adeo cogitari potest malorum, quod non infligere philosophis intendunt, qui in eosdem peccant. Neque enim homini damnum inferri potest ab altero, nisi quatenus fama, fortuna & vita læditur. In primis autem hic notanda venit impotentia animi, qua suam nocendi cupidinem produnt, etsi ab ea vacui videri velint, qui in philosophos peccant. Non puto *Voetium* eum videri voluisse, qui errorem pro crimine capitali habeat, & phi-

& philosophum ipsius opinione errantem ultimo supplicio afficiendum esse velit: nec puto ipsum videri voluisse eum, qui *Cartesium* rogo impositum comburi debere affirmet. Quam parum tamen ab eo abfuerit animus eius, satis prodidit, dum ira attentionem impediendo affirmavit, *Vaninum* publice combustum fuisse non tantum, quod atheus esset, sed atheismi Apostolus, atque hoc supplicium debitum appellavit laudans supremas potestates, a quibus opportune sublatus e medio fuerit; *Cartesium* vero accusavit, quod iisdem artibus, quibus usus fuerat *Vaninus*, in imperitorum animis atheismi thronum erigere laboret, atque prolixè non minus, quam acriter contendit, nihil ad excusandum *Cartesium* proferri posse, quod non etiam faciat pro *Vanino* & quo tamen non obstante ultimo supplicio fuerit affectus. Nimum odium, quo fervet animus, impedit, quo minus nocendi cupidinem, quam celare volunt, dissimulare valeant. Quamobrem hypocritæ, etsi plurimis imposuerint, latere amplius nequeunt, quam primum in philosophum peccant, ut adeo non sine pro-

providentia divina in peccatum istud incidant, quando eosdem detegi Ecclesie ac Reip. interest:

§. 6. Dum propositum suum nocendi exequuntur, qui in philosophos peccant, variis utuntur technis, quarum præcipuas expendere juvat. Veram odii causam profusè dissimulant, ut adeo alios prætextus quæri opus sit, de quibus postea ex instituto dicemus. *Socrates* improbaverat, quod *Anytus* filios suos ab ejus disciplina avocatos mercaturæ coriariæ addixerat, cujus publice tractandæ ipsum pudebat, propterea quod nondum eousque profecissent, ut ex causis dicendis alimenta sibi comparare possent, & hæc odii causa erat, quod mercaturæ coriariæ, quam privatim exercebat *Anytus*, publice mentionem injiceret (§.1.). Hanc vero dissimulabat *Anytus*, cum *Socratem* accusaret opera *Melitus* usus, neque enim in accusatione mentionem faciebat nisi numinum novorum introductorum & juventutis corruptæ. Similiter *Beckmannus* odium adversus *Pufendorfium* conceperat, quod se doctior majorem experiretur studiosorum applausum & *Schwarzii* se socium el-

Techna
eorum,
qui in
philosophum
peccant.

Cc dem

(Hor. subs. 1730.)

idem adjunxerat, quod moleste ferret *Pufendorfi* a se dissentium. Enimvero nec *Beckmannus*, nec *Schwarzius* veram odii causam ex instituto urgebat. Quodsi pescantes in philosophum causam odii silentio prorsus premere nequeunt; non tamen eam odii causam allegant, multa minus studium ei nocendi, quem oderunt, ex eodem deducunt. Ita monachus ille arrogans, qui *Campanellam* apud Inquisitores deferebat, non urgebat victoriam, quam *Campanella* reportaverat, nec conquerebatur de injuria sibi ab eodem facta; quod sibi ignominiosum esset a juvene vinci, cum Theologus in cathedra constitutus esset in possessione veritatis, adeoque ipse esset ultimum verbum; sed pacti cum diabolo philosophum insimulabat, qui ipsi suggestisset, quæ minime didicerat. Causa minimum odii ex ambitione tandem atque avaritia ortum suum trahit, neque ea sufficit ut philosophus in discrimen famæ, fortunæ ac vitæ adducatur (§.6). Quamobrem eam vel prorsus silentio præteriri, si quidem fieri potest, vel saltem non urgeri præstat, & alia imputanda sunt, quæ pœna digna judican-

tur.

tur. Illud etiam solemne est peccaturis in philosophos, ut primum alios subornent, qui calumniandi initium faciant, ne videantur aggressores, sed veritatis existimentur defensores. Sunt præterea rationes complures alix, cur idem faciant, veluti ut causa odii occulta maneat, & ut mansueti ac a læsione aliorum alieni reputentur. Ita *Anytus* opera *Meliti* usus *Aristophanem* inducebat, ut in scenam productum *Socratem* calumniis atque convitiis proscinderet, eumque deridendum propinaret: cum enim esset scurra, lucello quocumque ad calumniandum & convitiandum virum innocentem adduci poterat. Calliditatis suæ novum specimen edunt, in calumniis, quarum ipsimet autores sunt, longe lateque disseminandis & corroborandis. Attoniti enim narrant aliis, quid fecerit philosophus, & se dolore simulant, quod tantum noceat & sibi, & aliis. Ubi rumor mendax invalescit, conscientix ratione se vel maxime invitos adduci aliis persuadere nituntur, ut malo serpenti obicem ponant, ne longius grassetur. Denique ut alia non commemoremus, in

societatem sceleris alios pertrahunt. Ita *Amytus* primo *Melitum*, deinde *Aristophanem*; *Beckmannus*, adversarius *Puffendorffii* vero *Schwarzius* sibi socium adscivit, ut multitudo idem affirmantium majorem faceret fidem & calumniis pareret patrocinium. *Voetius* provocabat *Mersennium* ad acuendum in *Cartesianam* philosophiam calamum, quod esset & philosophus, & theologus merito suo celebris. Offerebat ipsi opem suam, se enim libenter & sua, & amicorum suorum tela missurum, ut ea cum suis conjuncta in istam philosophiam intorqueret: quamvis *Mersennus*, vir doctrinae solidae ac probatorum morum, non adeo imprudens esset, ut vanae laudis illecebris se inescari pateretur, quin potius aequitatis amantissimus in responsione ad *Voetium* reponeret, se credere, quod Deus lucem aliquam eximiam *Cartesio* infuderit, quam D. *Augustini* ingenio & doctrinae adeo conformem invenerit, ut eadem fere omnia in uno agnoscat ac in alio. Se videre animum *Cartesii* in omnibus suis responsionibus (ad objectiones scilicet ex amore veritatis profectas) adeo congruere, adeo

chri-

christianum esse & divinum amorem
 spirare, ut credere non possit illius phi-
 losophiam non esse futuram magno ve-
 ræ religionis ornamento & auxilio. Ni-
 hil eum afferre, cui non succinant *Plato*
 & *Aristoteles* recte intellecti, & cui non
 suffragetur ille Doctorum Apex & A-
 quila *Augustinus*, ut, qui doctior eva-
 serit in *Augustini* doctrina, eo libentius
 philosophiam *Cartesianam* amplexurus
 sit. Se ex speciminibus philosophicis
 & geometricis *MSC. Cartesii* in tantam
 ingenii adeo subtilis admirationem ad-
 ductum fuisse, vix ut credat ulli morta-
 lium majorem rerum naturalium co-
 gnitionem a Deo tributam (u). Uti-
 nam *Schwarziius* exemplum *Mersenni*
 secutus fuisset, nec turbulenti ingenii
 viro *Beckmanno* aures adeo faciles præ-
 bouisset: fortunæ enim ac famæ suæ re-
 stitit consulisset. Ego vicem viro-
 rum egregiorum doleo, si se ab homi-
 nibus speciem virtutis ac amorem ve-
 ritatis præ se ferentibus abripi patian-
 tur, ut ipsorum vociferationibus ac ca-
 umniis fidem habentes pro vero am-

Cc 3

ple.

(u) Vid. epistola *Mersenni* ad *Voetium* præ-
 fixa parti secundæ epistolarem *Cartesii*.

plectantur, quod studio nocendi aliis imputant, quoniam famæ suæ labem adspargunt sæpiusque a posteris cum calumniatoribus in eundem censum referuntur.

*Cur con-
sequen-
tarii in
peccata
in philo-
sophos
sunt pro-
clives.*

§. 8. Cum methodum alios refutandi exponerem, hominum quoddam genus delineavi, quod non immerito *Consequentiariorum* nomine appellaveris, quodque pestem orbis eruditi, immo totius generis humani dixeris, si damna species, quæ Reip. literariæ, immo toti generi humano dantur. Facile autem ostendi potest, qui in philosophum peccant esse consequentarios, & ex adverso omnem consequentarium esse in peccatum, quod in philosophum committitur, proclivem. Utrumque haud difficulter probatur. Utuntur qui in philosophum peccant prætextu, quod is doceat religioni, bonis moribus & statui adversa (§. 2): id quod exemplo *Socratis*, *Cartesii*, *Pufendorfi* aliorumque probavimus. Quoniam vero in præsententi casu supponitur, imputari philosopho, quæ a mente ejus aliena sunt, quod etiam laudata modo exempla *Socratis*, *Cartesii* ac *Pufendorfi* confirmant;

mant; necesse est falsam propositionem ex alia, quam pro vera venditat philosophus, inferri: quæ consequentia appellari solet. Ita sane *Voetius* accusabat *Cartesium*, quod atheismum propagare conaretur, non quod doceret, non esse Deum, sed falso Deum fingi; sed quod rejectis argumentis communibus, quibus ad probandam existentiam Dei vulgo utuntur, proferret argumentum metaphysicum, quod neminem existentia Dei convincere possit. Inde enim inferebat, studio hoc facere *Cartesium*, ut ad atheismum improvidos seducat. Eum reddere suspecta argumenta, quorum sit maximum ad extorquendum assensum rebus, ne iis spretis quis vincatur dari Deum. Argumentum, cui nulla insit vis ad convincendum, venditare pro optimo omnium, ut invaliditate animadversa existimet non dari argumentum, quo probari possit existentia Dei, adeoque argumenta tantummodo conquiri ad speciem composita, quibus existentia Dei illis persuadeatur, qui ea ad examen revocare nesciunt. Utuntur autem qui in philosophum peccant consequentiis

¶ 4. alio

alio fine quam animo refutandi, scilicet ut sub hoc prætextu noceant philosopho damna famæ, fortunæ, immo vitæ ipsius illaturi (*ſ. 2*). Enimvero consequentiarum dicuntur, qui alio fine utuntur consequentiis, quam animo refutandi (*x*). Qui ergo in philosophum peccant, consequentarii sunt. Enimvero qui sub prætextu veritatis defendendæ dissentientes in discrimen famæ, fortunæ, immo vitæ adducunt persecutores sunt (*y*). Quare cum id faciant qui in philosophos peccant (*z*); iidem quoque in numerum persecutorum referendi. Patet igitur jam ratio, cur ea, quæ de consequentiariis tradidimus, in iis experiamur vera, qui peccatum in philosophos committunt. Non ducunt sibi religioni primam consequentiam precario sumere, ut alias alteri molestas porro inde deducere valeant, immo ut aliqua veri specie eandem sumere imperitis videantur, verba alterius in sensum perversum detorquere non verentur. Ita qui in *Campanellam* peccabat monachus *Franciscanus*, ex eo, quod ad-

(*x*) *ſ. 1046* Log. (*y*) *ſ. 1051* Log.

(*z*) *ſ. 1047 & seqq.* Log.

adhuc juvenis esset inferbat, illum Patrum & Scripturæ Sacræ testimonia nondum didicisse, quæ tamen in publico conflictu adeo prompte proferebat, ut porro hinc colligere posset, cacodæmonem ista testimonia eidem suggestisse atque hinc tandem prona flueret consequentia, ipsum pactum cum diabolo iniisse. *Pufendorfus* docebat, actiones ante legem a superiore latam esse indifferentes, quoad vim scilicet obligandi, ita ut homo tantum imprudentiæ accusandus sit, si eas committat, quibus sibi damnum infert. Qui in eum peccabant, indifferentissimum alio sensu interpretabantur, quasi scilicet Deo indifferens fuisset præcipere vel prohibere adulteria, furta, cædes & nesci quodnam flagitiorum genus, ut inde inferre possent eum sanctitatem Numinis labefactare ac summa in Deum blasphemia fingere Numen, quod ne specie quidem aliqua veritatis pro tali haberi possit, consequenter verum Numen tollere ac atheismo fores latas pandere. Verba igitur *Pufendorfi* in sensum perversum detorquere non verebantur, ut aliqua veri specie consequentias adversus

C c 5 ipsum

ipsum necere valerent. Ne vero simus in alios iniquiores, dum aliorum iniquitatem in alios reprehendimus, monemus; fieri subinde posse ut per imperitiam quis sibi persuadeat, sensum perversum respondere verbis philosophi, quem iisdem tribuit. Cum enim ad verba ejus attento sensus perversus veluti sponte sua occurrat & odium, quo in philosophum flagrat, vi quadam occulta ad sensum istum verbis philosophi tribuendum stimulet; fieri omnino potest, ut eo acumine destitutus, quo accurate distinguuntur, quæ perceptionibus animæ diversa insunt, evidentiam acceptum referat, quod odio erat tribuendum. Habent nimirum asserisum ab appetitu pendulum, quotquot evidentiam notione distincta destituuntur: id quod alias exposituri sumus apertius. Porro qui in philosophum peccant, omnes consequentiarum partes adimpleturi, consequentias quærunt ridiculas, ut noceant famæ; quærunt periculosas, ut damna inferant fortunæ, immo vitæ. Ubi istiusmodi consequentiam non primam se offerunt, consequentias consequentiarum eo usque continuant, donec ad tales

les pervenerint, nec in iis cumulandis subsistunt, quamdiu tales non offeruntur, molestasq; istas consequentias philosopho imputant. Ita senex ille *Franciscanus* publice reprehenderat *Campanellam* rebus theologicis se immiscentem: Tace sis, inquit, nec te immisce; de theologicis hic rebus ambigitur, quas tu ne primoribus quidem labris attigisti. Ex juventute igitur *Campanella* inferebat, quod res theologicas nondum didicerit, ipsique hanc consequentiam imputabat. Cum *Campanella* regeretur: Vide quam ego sim harum rerum ignarus ac rudis, ut possim te decem annos in disciplina habere ac postea adigere ut fatearis, te nihil scire vel intelligere, & in argumentum ipsius eo successu insurgeret, ut victoriam omnium concessu reportaret (a); senex iracundus & odio plusquam Vatiniano in *Campanellam* exardescens consequentiam primam ex juventute infirmo ratiocinio illatam sumebat tanquam veram & consequentias continuaturus, donec ad periculosam deveniatur, porro intulit diabolum ipsi suggestisse, quæ
ad

(a) Nicius in Pinacoth. part. 1, p. 72.

ad argumentum ipsius infringendum prompte attulerat, & hinc tandem collegit, philosophum cum diabolo pactum iniisse, hancque consequentiam ipsi imputabat, quod nosset ea in discrimen vitæ adduci *Campanellam*, cum pacti cum dæmone initi reus ultimo supplicio dignus existimeretur. Quamobrem eum apud Quæsitores fidei accusabat spe fretus fore, ut ad rogam condempnatus rebus humanis eximatur. Loquuntur idem exempla cetera in medium adducta, modo quæ ad controversias philosophis motas publice profertur accurata industria perlegere volueris. Utuntur denique qui in philosophum peccant argumento ab invidia, quo in ejus placita odium concitant, ut supprimatur, more consequentiariorum. Satis perspicue recensuimus alibi (b), quæ ad praxin istius argumenti spectant, ut adeo non opus sit nisi ut singula ad exempla anteriora applicemus. Sententiam, quam oppugnant in philosophum peccantes, male explicant. Sane *Beckmannus* cum *Schwarzio* indifferentissimum actionum *Pufendorffianum* male

(b) §. 1050. Log.

male explicabant, ut errorem involve-
ret: nec *Voetius* demonstrationem *Car-*
tesii de Deo menti philosophi conformi-
ter explicabat. Sententia philosophi
cum invisorum hominum dogmatis
confertur. Ita *Voetius* demonstratio-
nem *Cartesii* de Deo cum dogmatis *Va-*
nini comparabat. *Pufendorfius* Paga-
nismi, Socinianismi, Pelagianismi, Hobbe-
sianismi, Cartesianismi tunc temporis
adhuc valde exosi infimulabatur (§. 2).
Sententia denique philosophi nomini-
bus invidiosis infamatur. Ita *Carte-*
siana dogmata vocabantur atheistica;
Pufendorfiana vero Sociniana, Pelagia-
na, Hobbesiana & ita porro. Exagge-
rant momentum questionis, qui in phi-
losophum peccant, veluti cum *Pufen-*
dorfio objiceretur, everti per eum sa-
tisfactionem Christi, ut adeo nulla am-
plius supersit religio christiana, & *Car-*
tesium accusaret *Voetius*, quod Eccle-
siarum & Academiaram perturbatio-
nem moliatur. Studiose celantur ra-
tiones, quibus sententia impugnata ni-
titur, & tacentur incommoda, quibus
premitur sententia, quæ defenditur.
Sane neque *Voetius* rationes adducebat,
quæ

quæ permoverunt *Cartesium*, cur novum quoddam argumentum pro existentia Dei demonstranda afferret, neque *Schwarzius* & *Beckmannus* expendebant rationes, quibus *Pufendorfius* persuasus affirmabat actiones moralitatem nancisci a jussu superioris. Similiter nec *Voetius* commemorabat, quæ in communibus argumentis, quibus existentia Dei probari solet, passim ab auctoribus desiderantur; nec *Schwarzius* recensebat, quæ *Pufendorfius* contra moralitatem objectivam objiciebat, & quæ contra eandem objecta jam ante fuerant ab aliis. De invidiosis consequentiis, quæ ad praxin argumenti ab invidia ducti referri solent, diximus paulo ante. Præterea philosophi malignis suspicionibus premuntur, quales erant *Voetii* de *Cartesio*, quod atheismum propagare & Ecclesias atque academias Belgicas perturbare studeat. Consensu potentiorum opprimuntur: cujus rei exemplum præbet *Socrates* judicium potentia e medio sublatus; præbet item *Campanella* primum apud Inquisitores delatus, deinde a Magistratu civili carceri inclusus & torturæ subjectus.

Miscen-

Miscentur in disceptationibus multa, quæ ad rem nihil faciunt, sed quæ invidia creandæ apta sunt. Ita *Voetius* reprehendebat *Cartesium*, quod ne quidem terminos philosophiæ Peripateticæ intelligat; de se affirmabat, quod ipsi non invidet natalium prærogativam (quod scilicet esset nobilis) cum ea etiam pessimis ac fatuis contingere possit. Falso ipsi objiciebat, quod filios spurios haberet: urgebat, quod antea fuerit miles & quæ sunt alia hujus farraginis, non digna, quæ commemorentur. Ceterum ex his ipsis, quæ *Voetius* objecit *Cartesio*, simul elucet, eos, qui in philosophos peccant, indifferentia quoque in partem deteriorem accipere, ut adeo idem novis exemplis illustrari non sit opus. Tædet referre plura, etsi plura referri possent. Levi attentione opus est, ut talia ex factis erui queant. Quamobrem de altero adhuc dicemus, quod consequentarii sint in peccatum in philosophos proclives. Consequentarius periculosas consequentias alteri imputans in persecutorem facile degenerat, modo non desint vires (c). Enimvero
qui

(c) §. 1052 Log.

qui persequuntur philosophos sub prae-
 textu dogmatum, quæ profitentur, sunt
 illi ipsi, qui in eos peccant, quemadmo-
 dum paulo ante ostendimus. Ergo con-
 sequentiarum periculosas consequentias
 aliis imputantes in peccatum, quod in
 philosophum committitur, sunt proni.
 Idem adhuc alia ratione ostenditur.
 Consequentiarum alio fine utitur con-
 sequentiis, quam animo refutandi (d)
 atque ideo consequentias alteri impu-
 tat, immo defendit, quod eas præviderit
 ac etiam insinuare intenderit. Finis
 alius, qui a consequentiarum intenditur,
 quam ut sententiæ falsitas appareat, non
 ex amore veritatis proficiscitur, sed ex-
 trinsicis rationibus debetur atque tan-
 dem ab odio in alterum ortum trahit.
 Quare cum odium in philosophum sit
 fons, ex quo peccatum in ipsum manat;
 consequentiarum, qui odium factum ta-
 citum erga dissentientem alit, ad pecca-
 tum in philosophum committendum
 facile adducitur.

*Turpitu-
 do pecca-
 ti in phi-
 losophum.*

§. 8. Agedum vero! contemplemur
 adhuc turpitudinem, quæ peccato in
 philosophum inest, ut idem intimius
 per-

(d) §. 1046 Log.

perspiciamus. Qui in philosophum peccant, eum odio prosequuntur, quod vereantur, ne autoritate ipsius detrimentum aliquod patiatur fama, vel fortuna sua, atque ex hoc odio proficiscitur cupido ac studium eidem nocendi. Is ergo est animus peccanti in philosophum, ut, si existimat vel virtutem alterius sibi fore nocumento, seu ambitioni ac avaritiæ, qua laborat, esse contrariam, eandem opprimi, vel penitus extirpari velit. Pessimum vero est mortalium genus, qui, cum sint ambitiosi atque avari, utilitate sua omnia metiuntur, virtuti bellum indicentes, quam sibi adversam opinantur. Qui philosophiam moralem nostro more excoluit, ut virtutum ac vitiorum nexum animo comprehensum teneat; is abunde intelliget, quam sint ad omne vitiorum genus, quo Reip. salus evertitur, proclives, qui in philosophum peccare non dubitant. Sunt præterea qui in philosophum peccant mendaces & convitiandi ac calumniandi habitu ceteros mortalium vincunt. Furore enim impulsus ut noceant philosopho, media omnia licita reputant, quibus se scopo
(*Hor. subs. 1730.*) Dd suo

fuo potiri posse arbitrantur. Quamobrem cum impossibile sit ut scopum suum consequantur, quamdiu animo placido & ab omni affectuum impetu prorsus libero veritatem proponunt; ad mendacia ut confugiant ipsa necessitas suadet. Quodsi alias religiosi videri velint, immo etiam sibi ipsis videantur; mendacia in numerum piarum fraudum referunt. Enimvero quemadmodum simulatores semetipsos tandem prodere solent; ita mendaciis convitia & calumniae larvam detrahunt, quam fucata autoritas mentientium imposuerat: intunt enim hisce, quæ non modo odium in philosophum in apricum protrahunt; verum etiam contradictiones alunt, quibus mendax tandem agnosci solet. Nihil hic affirmamus, quod non suis rationibus sit munitum, & quod exemplis superioribus non confirmetur. Relegantur ea, quæ de fonte peccati in philosophum (§. 4) & de technis eorum, qui hoc peccatum committunt, diximus (§. 6); quin peccantes in philosophum deprehendas tanquam insigniter mendaces & calumniatores impudentissimos non est

est, quod dubites. Quznam erat senis illius, qui in *Campanellam* peccabat, calumnia, cum eum accusaret, quod vim doctrinæ theologicæ, qua pollebat, ex inferorum fontibus hausisset? Quanta erat hominis impotentis imprudentia, quod hoc nomine apud Inquisitores fidei virum innocentem accusaret? Quam mendacem se præbebat *Melitus*, cum *Socratem* accusaret, quod novos Deos introduceret, atque juventutem corrumperet? Quid dicam de *Voetio* tam audacter *Cartesio* imputante, quod, dum videri velit Atheos Achilleis argumentis oppugnare, subdole ac admodum occulte atheismi venenum iis affricet, qui anguem in herba latitantem præ ingenii imbecillitate ubique deprehendere non possint, cum *Cartesii* argumenta hodie Theologi eximii, quos inter *Franciscum Burmannum* (e), Academiæ Trajectinæ ad Rhenum quondam insigne decus, nominasse sufficiat, quod inter successores *Voetii* in eadem cathedra numeretur, Systematibus Theologiæ inserere non dubitent,

D d 2 atque

(e) In Synopsi Theologiæ lib. 1, c. 4. 5, 8 & seqq. p. m. 90 & seqq.

atque plurimum commendent. Eadem vero exempla loquuntur, quod convitiis ac calumniis peccantium in philosophos insint ea, ex quibus eos mendaces esse demonstrari potest. Non urgeo calumniam arrogantis illius monachi, qui in *Campanellam* peccabat, quam Quæsitores fidei mendacem agnoverunt nullas ideo viro innocenti vexas creantes. Sufficit pauca annotare, quæ *Voetii* exemplum suggerit. Nimius ejus fervor, quo *Cartesium* cum *Vanino* comparabat futilibus rationibus usus, odium ejus in philosophum conspicuum reddebat. Dum vero ob epistolam a philosopho ad *P. Dinet* scriptam nescio quæ convitiorum plaustra in eundem congererat; hoc ipso causam tanti odii & quam sit in imputationibus a veritate alienus prodebat. Mendacium adeo, convitiandi que & calumniandi studium cum peccato in philosophum adeo tenaciter adhæreant, ut ab eodem divelli nunquam possint: quam turpe sit hoc peccatum facile agnoscat, qui, quid de mendacibus & calumniatoribus sentiant viri probi ac integræ famæ, non ignorant. In primis autem notatu dignum

quod Reip. damnum infert (g); verum etiam criminis læsæ Majestatis species quælibet extra omnem dubitationem pro tali habetur; peccatum etiam in philosophum ad delicta publica referendum. Neque enim solum nocetur Reip. quatenus veritas supprimitur, cujus cognitio Reip. utilis esse poterat, & quatenus securitati Reip. repugnat, ut quis civium alterum lædat; sed & quatenus speciem quandam criminis læsæ Majestatis sæpius adhærere peccato in philosophum atque semper intendi modo ostendimus. Atque hæc ratio est, cur Suecorum Rex in *Schwarzio* Theologo & *Beckmanno* Jcto peccatum istud instar delicti publici puniret, quemadmodum de priore nuper jam retulimus ex parte (h). Non igitur in philosophia civili docuimus, quæ a praxi abhorrent, dum ostendimus delictum hoc mereri pœnam non minus ac alia, quæ pœnis coerceri Reip. interest (i), etsi dogma displicuerit hominibus ejusdem criminis reis.

§ 10.

(g) Vid. idem l. c. §. 1. (h) in *Trim. Vern. A. 1729. n. I. §. 12. pag. 219. 220.*
 (i) §. 368 *Polir.*

§. 10. Intrinsicam peccati in Philo- ^{Motivum}
 sophum turpitudinem ideo delincavi- ^{peccati in}
 mus, ut ab eodem sibi caveant, qui in ^{philoso-}
 idem sunt proclives. Sunt enim in mo- ^{phum via-}
 tivorum numero intrinsicam actionum ^{tandis}
 moralium honestas atque turpitudinis,
 ita ut virtutis amans actiones bonas ap-
 petat, quia in se honestæ; malas vero
 aversetur, quia per se turpes. Quod si
 quem non moveat intrinsicam actionum
 liberarum honestas & turpitudinis; is
 nondum animum dispositum habet ad
 voluptatem ex virtute, tadium ex vitio
 percipiendam, consequenter nec virtu-
 tem amat, nec vitium odit. Et multi
 profecto sibi virtutem amare, vitium
 odio prosequi videntur, qui tamen non
 minus ab amore virtutis, quam odio
 vitiorum procul adhuc sunt remoti.
 Ecce igitur tibi lapidem vere Lydium,
 qui virtutis amorem, vitii odium judi-
 cio minime fallaci prodit. Quod si er-
 go non erubescis, quando ad pecca-
 tum in philosophum committendum
 te stimulat odium, quo ipsum prose-
 queris; tuum ab odio vitiorum va-
 cuum nondum esse animum intelliges:
 sit ita quod vitii indigneris, quæ in aliis

conspicis ob rationes extrinsecas pro diversitate circumstantiarum diversas. Quoniam itaq; turpitude vitii hujus non sufficit omnibus promiscue ab eodem revocandis, qui in idem proclives sunt; de aliis adhuc motivis ut dispiciamus consultum est. Vidimus in peccatum hoc incidere viros eruditos, qui ambitione ducti famæ suæ periculum a philosopho imminere arbitrantur. Parum vero famæ suæ consulunt, qui eandem conservare studentes in philosophos peccant, cum maculam nunquam debilem eidem inurant. Intueamur, quæso, exempla eorum, qui in philosophos peccarunt! Nemo non extemplo animadvertet, quantum nocuerint famæ suæ. Laudamus *Socratem*, virum divinum: *Anytum* vero & *Melitum*, qui in philosophum peccarunt, ecquis unquam laudari audivit? Non aliud *Anyto* elogium tribuitur, quam quod fuerit avarus & superbus, sapientiæ ac virtutis contemptor: nec de *Melito* novit posteritas, nisi quod fuerit homo, qui drachma ad quamcunque rem posset impelli. Uterque perjurii infamia notatur. *Confucium* tantum non divi-

no

no cultu prosequuntur *Sinae* & memoria ejus inter nos quoque viget, qui adeo procul ab ista gente remoti sumus. Non denegamus ipsi elogia, quibus virum singulari virtute ac prudentia eminentem ornari fas est. Ecquis vero non abominatur eos, qui vitæ insidias philosopho struxerunt, etsi ne nomine quidem notos, modo non fuerit ejusdem farinae homo? Sublime *Campanellæ* ingenium & acumen singulare hodiernum admirantur, qui ipsimet ingenii & acuminis gloria ceteris mortalibus præstant (k). Senis autem in ipsum peccantis ventositatem & arrogantiam ecquis bonus probat? Ejus insaniam quis non ridet, quod *Campanellam* stupendam eruditionem, qua in admirationem sui rapiebat omnes, & inferorum fontibus hausisse Quæstoribus fidei persuadere voluerit? *Cartesii* merita in Mathesin atque philosophiam meritis elogiis extollunt, quotquot iis ex vero pretium statuere datum est. Placita ejus amplexi sunt & amplectuntur, qui in eadem cathedra *Voetio* successerunt.

D d 5

Voc-

(k) Vid. Miscellanea Leibnitii a Fellerio edita part. 2. §. 53 p. 162.

Voctius vero, qui laude sua frui poterat, maculam haud exiguam famæ suæ inussit, quod in *Cartesium* peccaverit. Conservantur in scriptis *Cartesii* ad perpetuam posterorum memoriam, quæ eum parum commendant. Quanti sit, quæso, hodie ubivis terrarum *Pufendorfius*, etiam ab illorum successoribus, qui eidem summo fervore adversabantur? *Ecquis* vero *Schwarzium* & *Beckmannum*, qui in eundem peccarunt, alio elogio maectat, quam quod fuerint collegæ degeneres, homines inepti ac virtute destituti? Imprudentissimi adeo sunt ac insipientes, ne quid gravius dicam, qui, ut famam conservent, in philosophum peccant, non certius alio quovis pacto ejus detrimentum facturi. Neque vero procul petenda ratio est, cur famam, quam conservare male student, perdere debeant, quotquot in philosophum peccant. Etenim si peccatum in casu singulari perpendimus; ad fontem ejus, ex quo profluxit, deducimur (§. 4) & technas homine ingenuo indignas, quibus usi sunt peccantes, detegimus (§. 6), turpitudinisque hujus peccati per rationes singulares con-

convincimur (§. 8). Veritas autem, ob quam vexas creantur philosopho homines a solida doctrina & virtute infucata alieni, tandem triumphat: merita philosophi agnoscuntur, prædicantur ab intelligentibus: horum judicium sequuntur, qui præjudicio autoritatis ducti sunt echo ceterorum. Philosophi denique in apologiis, quæ ab ipsis extorquentur, vel eorum loco alii, qui veritatem & innocentiam defendere sibi honorificum ducunt, hostes veritatis iis coloribus depingunt, ut quales sint agnoscantur. Apologias istas conservat posteritas iisque pretium statuit, atque ita quæ peccantibus in philosophos ignominie ac opprobrio sunt, tamdiu conservantur, quamdiu philosophorum memoria viget. Doleo igitur viros egregios, qui per imprudentiam a male sanis vociferatoribus & importunis sollicitatoribus se tandem eo usque abripi patiuntur, ut peccati in philosophum complices reddantur. Et si autem plura proponi possent motiva, quibus appetitus a peccato in philosophum detorquetur: cum tamen dicta satisfaciant iis, qui virtutis amore ac gloria

ria genuinæ studio ducuntur : ut plura addamus opus non est. Sordida enim ingenia, qui quæstui unicæ litant, nisi ante mutaverint mores, frustra ad æquitatem in philosophos invitaveris. Sed unum adhuc superest, quod maxime commemorandum & summo studio inculcandum. Dum viri theologi in philosophos peccant, plurimum simul in religionem, quæ sancta ipsis esse debebat, peccare solent. Quoniam enim maximo fervore contendunt sententiam philosophi, cui adversantur, esse religioni adversam, atheismo latas pandere fores, virtutem ac honestatem omnem prorsus e medio tollere, quam tamen ipsorum successores postea prædicant religioni maxime consentaneam, firmum adversus atheismum præsidium, inconcussam virtutis non fucatæ fundamentum, sententiam eidem oppositam, quam illi acerrime propugnabant, religioni ac virtuti inimicam pronunciantes : qui doctrinis theologicis discutendis vel non pares sunt, vel tempus impendere non possunt, in eam suspicionem experientia proh dolor! teste adducuntur, quasi Theologi omnes sint

sint homines præjudiciis & fastu pleni, generi humano infensi, ut alia taceam his duriora, eorumque doctrina infirmitatur fundamento. Eam vero opinionem proximum esse ad profanitatem gradum quis non agnoscit? Quodsi præterea Theologus in philosophum peccaturus verba Scripturæ sacræ in sensum thesi philosophi contrarium detorquet, ut tanto confidentius asserere possit, eum fovere opiniones religionem everrentes, & auctoritatem Scripturæ nihili facere, consequenter atheismi valde suspectum sese reddere; Antiscripturariis aliisque ad profanitatem pronis Scripturam sacram suggillandi ansam præbet, ubi postea veritas a philosopho asserta triumphat. Notissimum est exemplum antipodum, de quorum existentia hodie nemo dubitat, etsi olim tanquam Scripiuræ sacræ adverla vehementer oppugnata fuerit, ita ut Virgilius Episcopus Salisburgensis ob antipodes assertos ab officio remotus feratur. Non est quod quis excipiat, male argumentari eos, qui ob vitium Theologi in philosophum peccantis religionem falsitatis arguunt, & ob errorem ab eodem

eodem in interpretanda Scriptura sacra admissum auctoritatem ejus labefactare student. Sufficit enim, quod ita argumententur, & peccatum in philosophum, a quo abstinere maxime debet Theologus, huic argumentationi ansam det. Bonum, quod committere officii nostri est, omittere haud debemus, quod alii inde ansam arripiant mala faciendi. Ideo enim philosophus abstinere minime debet a veritate communicanda, quod ansam suppeditet hominibus degeneribus in ipsum peccandi. Sed malum tamen, a quo ut abstinemus alias jam obligati sumus, tanto magis omittere debemus, quod damna præterea alia demus, quæ omnimodo præcavere debebamus. Atque hic posterior casus obtinet in Theologo, qua peccatum in philosophum ab eo non minus alienum esse debet, quam ab eruditis ceteris: id quod nemo in dubium vocat. Quamobrem si præterea damnum Ecclesie inferat, quatenus profanitati pabulum suppeditat peccatum istud committens; ab eo multo magis abstinere debet. Specialis nimirum ratio ipsum qua Theologum obligat, cui obligationi speciali non minus

nus attendere debet, quam communi. Utinam igitur animum ad damna ista Ecclesiæ danda adverterent, qui famæ suæ rationem non habent; sed quibus perinde est quænam sit hominum de mortuis opinio, modo habeant viventes, quod vanitati eorum satisfacit! Ceterum ex dictis apparet, quam necessaria sit peccati in philosophos cognitio, & quod operæ pretium fecerimus, ut ipsum vivis coloribus depinxerimus. Quod si cui displiceat, in apricum produci sceditatem criminis, quod tenebris sepultum mallet; ei suadeo, ut definitionem in superioribus datam probe perpendat, ne in significato alieno illud derisurus ejus reus evadat,

§. II. Peccatum in philosophum non committit, qui doctrina solida & virtute infucata instructus est. Hinc nullum allegare poteris exemplum philosophi, qui peccatum istiusmodi commiserit, modo caveas ne in philosophorum numerum referas, qui non sunt, hoc est, qui superficialia doctrina contenti & a vera virtute alieni ad pompam & quæstus gratia philosophantur. Quamobrem ex orbe erudito non profi-

Media peccatum hoc evitandi.

fligabitur peccatum istud foedum, nisi doctrina solida in locum superficialiæ introducatur, ut cum veritatis amore virtutis studium jungant eruditi. Eadem sententia fuit *Philippo Melanchthoni* (1), qui puram & nativam philosophiam in scholis tradendam esse judicavit, quæ ad solidam doctrinam consequendam conduceret, ut in Ecclesia tandem cessent certamina, cessent dissensiones. Neque enim ullum fore malorum istorum finem confidenter pronunciavit, nisi ad veram & eruditam studiorum rationem juvenus revocata fuisset. Nos ab ineunte ætate media quaerere intendimus, quibus ista certamina, istæ dissensiones tollerentur, & matura tandem ætate vidimus nonnisi solida doctrina in scholas introducta idem obtineri posse, quantum datur. Malum enim funditus extirpari posse ecquis unquam sibi persuaserit? Atque huc inter alia tendunt omnes conatus nostri, omnia nostra molimina, quibus nos totos consecravimus, non nobis viventes, sed aliis. Quamdiu autem doctrina perfecta

(1) In Præfat. ad Joh. Vogelini *Elementa Geometriæ.*

sta carent, qui in orbe erudito eminere
gestiunt; nec unquam deerunt, qui in
philosophos peccare religioni sibi mini-
me ducunt. Qui solida doctrina ca-
rent, nimis facile sibi persuadent, quasi
simulando aliis imponere possint, cum
acumine destituti non videant, unde
interiores ipsorum cogitationes divinari
datur, ut ideo nec caute satis simulent.
Præterea nonnisi rarissime eximium
quendam virtutis gradum consequun-
tur, cum non perspicientes contradi-
ctiones agant, quæ virtuti contrarian-
tur, si vel maxime in ea eminere volue-
rint. Quorum inevidens est cognitio,
idem maxime tanquam verum ample-
ctuntur, quod maxime volunt. Atque
ideo affectuum impetu abrepti agunt,
quod si distincte cognoscerent pluri-
mum detestarentur. Falluntur adeo
haud raro, qui nimia in virtutem eorum,
quos doctrina solida non imbutos esse
constat, confidentia sibi persuadent,
quasi scæda istiusmodi peccata, quale est
peccatum in philosophum (§. 8), in
homines pietatis laude insignes cadere
non possint. Nihil est amoris proximi
adeo contrarium, quod non committi
(*Hor. subs. 1730.*) **Et** **pos-**

possit ab aliquo eorum, qui cum pietate ac virtutis studio ignorantiam conjungunt, præferim si eam non agnoscetes sibi sapere videntur. Quamobrem si quis probabile judicium ferre debet de imputationibus, quæ philosopho ab hominibus pietatis speciem præ se ferentibus fiunt; tamdiu eorum suspecta esse debet fides, donec ipsa philosophi dogmata vel hypotheses fuerint perspecta & ad trutinam veritatis absque consequentiariorum fraude exacta. Atque hunc esse morem eorum, qui doctrina perfecta & prudentia probata instructi sunt, & præscorum Historicorum volumina loquuntur, & præsens ætas confirmat, ut adeo non opus sit ex antecedentibus erui signa, unde qui in philosophum peccant agnoscantur, etsi conscientiam testem appellent, quasi non nisi veritatis tuendæ gratia moliantur, quæ ex singulari quodam in philosophum odio proficiscuntur.

II.

II.

Specimen Legum ad formam demonstrativam reductarum secundum Tit. III. Institut. de Jure personarum.

§. 1.

CUm nuper (m) de Jurisprudencia civili in formam demonstrativam redigenda diceremus sententiam; promissimus nos daturus specimen demonstrationum in Jure, ut genuinum a spurio separare discant qui illas quærent, nec sibi scorias pro auro obtrudi improvide patiantur (n). Fidem datam ut liberemus, titulum Institutionum de Jure personarum ad istam formam reducere lubet, non modo quod brevitate sese commendet; verum etiam quod plura nos in præsentente negotio docere possit, quam quæ a titulo alio prolixo expectaveris. Quoniam brevis est, integrum huc apponere lubet, ut tanto evidentius in oculos incurrat ejus in aliam formam conversio. Ecce tibi verba ejus!

Institutum Auctoris.

E e 2

§. 2.

(m) Trim. brum. a, b, num. II. (n) loc. cit. §. 11. p. 144.

*Textus
Institu-
tionum.*

§. 2. Summa divisio de Jure personarum hæc est: quod omnes homines aut liberi sunt, aut servi. 1. Et libertas quidem (ex qua etiam liberi vocantur) est naturalis facultas ejus, quod cuiq; facere libet, nisi si quid vi aut jure prohibetur. 2. Servitus autem est constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur. 3. Servi autem ex eo appellati sunt; quod Imperatores captivos vendere, ac per hoc servare, nec occidere solent: qui etiam mancipia dicti sunt, eo quod ab hostibus manu capiuntur. 4. Servi autem nascuntur, aut fiunt: nascuntur ex ancillis nostris: fiunt aut jure gentium, id est, ex captivitate: aut jure civili, cum liber homo major viginti annis ad pretium participandum sese venundari passus est. 5. In servorum conditione nulla est differentia: in liberis autem multæ: aut enim sunt ingenui, aut libertini.

*Resolutio
textus in
proposi-
tiones de-
termina-
tas.*

§. 3. Quod si jam hunc titulum ad formam demonstrativam reducere volueris; prima omnino cura esse debet, ut in propositiones determinatas resolvatur (o).
Ne-

(o) loc. cit. p. 143.

Neque initio nimium scrupulosus esse debes in hac resolutione: etenim si vel maxime contingat, propositionem non rite fuisse determinatam, sed quædam in determinatione subjecti, vel etiam prædicati immutanda esse; error qui initio animadverti non poterat, in progressu conspicuus evadit, ubi propositiones fuerint demonstrandæ. Quoniam enim demonstratio non procedit, nisi quando prædicatum per notionem subjecti determinatur; quid in notione subjecti, vel etiam prædicati desideretur, hoc ipso palam fit, modo methodi fueris gnarus & rerum cognitione sufficiente instructus. Ecce igitur tibi propositiones, in quas resolvitur textus Institutionum:

1. Omnes homines aut liberi sunt, aut servi.
2. Homines liberi ita vocantur ex libertate.
3. Libertas est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid vi, aut jure prohibetur.
4. Servitus est constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur.

Ecce 3

5. Ser-

5. Servi appellati sunt ex eo, quod Imperatores captivos per hoc servant, quod eos vendunt, non occidunt.
6. Servi dicuntur mancipia, eo quod ab hostibus manu capiuntur.
7. Servi aut nascuntur, aut fiunt.
8. Qui ex ancillis nostris nascitur, servus noster est.
9. Servi ex captivitate fiunt jure gentium.
10. Si homo liber major viginti annis ad pretium participandum sese venundari patitur, jure civili fit servus.
11. In servorum conditione nulla est differentia.
12. In hominibus liberis multa est differentia.
13. Homines liberi sunt aut ingenui, aut libertini.

*Superfluarum
eliminatio.*

§. 4. Postquam igitur textus in propositiones fuit resolutus; altera cura ea esse debet, qua propositiones superfluae eliminantur, quae in numerum vel definitionum, vel propositionum demonstratarum referri nequeunt, atque in applicatione legum nullius utilitatis sunt,

sunt, immo cum ad definiendum, quid in casu singulari justum sit, nil quicquam faciant, in legum numero haberi nequeunt. Illa igitur superflua aut prorsus rejicienda, aut per modum scholiorum definitionibus ac propositionibus conveniente loco adjicienda, si quidem textum mutilasse videri nolis. Quod si ergo propositiones præcedentes perlustras; attentione sufficiente usus cognosces in numerum eliminandarum referri debere sequentes:

2. Homines liberi ita vocantur ex libertate.
5. Servi appellati sunt ex eo, quod Imperatores captivos per hoc servant, quod eos vendunt, non occidunt.
6. Servi dicuntur mancipia, eo quod ab hostibus manu capiuntur.
12. In hominibus liberis multa est differentia.
13. Homines liberi sunt aut ingenui, aut libertini.

Etenim propositio secunda, quinta & sexta etymologias hominum liberorum, servorum & mancipiorum; sexta etiam synonymiam vocabuli servi explicat.

Ec 4

Con-

Constat vero per explicationes vocum grammaticas nos nihil proficere in cognitione rerum, cum per eas non nisi intelligatur, quid permoverit homines, ut hoc potius nomen rei, veluti in nostro casu libero & servo, imposuerint, quam aliud: id quod convenienter ab ipsis factum fuisse non intelligitur, antequam rem aliunde, quam ex nominis etymologia, vel etiam synonymia cognoveris. Quamobrem aut propositio secunda, quinta & sexta prorsus est omittenda; aut secunda per modum scholii adji- cienda ad definitionem libertatis, quin- ta vero & sexta reservanda scholio de- finitioni servitutis subnectendo. Pro- positio decima tertia inservit loco rati- onis ejus, quod in duodecima affirma- tur. De differentia autem ista, quæ in hominibus liberis datur, agitur duobus titulis sequentibus, quarto nimirum & quinto, quorum ille de ingenuis, hic de libertinis est. Quamobrem utraque tantummodo digressionis loco servit, atque adeo vel prorsus omittenda, vel in scholium propositioni undecimæ sub- nectendum rejicienda absque omni ex- plicatione. Numerus adeo propositio-
num

num plurimum coarctatur, cum quinque eliminatis nonnisi octo supersint.

§. 5. Postquam igitur constat, quænam sint illæ propositiones, quæ demonstrativa methodo inter se connectendæ; proxima cura huc redit, ut definitiones a propositionibus separemus; illas, si manum emendatricem expectent, emendemus; his vero, si forma demonstrandi, vel facilior in praxi applicatio id requirat, alias æquipollentes substituamus. Quod si propositiones residuas perlustremus, vi notionum logicarum haud difficulter agnoscimus, propositionem tertiam & quartam in numero definitionum esse, primam vero, septimam, octavam, nonam, decimam & undecimam in numerum propositionum demonstratarum, sive theorematum referri debere. In propositione tertia continetur definitio libertatis, quatenus ea denotat statum hominis, unde certa in Rep. Romana jura dependebant. Dicitur libertas, ex mente *Florentini*, naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi quid vi aut jure prohibetur. Definitionem istam jam explicavimus nuper (p), ut adeo

Et § non

Defini-
tionum a
proposi-
tionibus
demon-
strativis
separatio
& utra-
rumque
emenda-
tio.

non opus fit ea denuo repetere. Efficimus quoque eandem clariorem, qualis in usum demonstrationum desideratur, ut eam tantummodo huc transcribi opus sit. Est nimirum *Libertas* (civilis nempe, quæ naturali contradistinguitur) status civilis hominis, quo ipsi permissum est actiones suas pro arbitratu suo determinare, quæ jure civili determinatæ non sunt; vel est status hominis, quo in actionibus liberis, jure civili non determinatis, determinandis suum judicium sequi potest, non alienum sequi cogitur (q). In propositione quarta continetur definitio servitutis, quatenus ea denotat statum hominis civilem, in quo certis juribus, quæ hominibus non nisi liberis in Rep. Romana competebant, privabatur. Definitur servitus cum *Florentino*, quod sit constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur. Hanc quoque definitionem jam nuper explicavimus (r), ut adeo huic labori in præsentem supersedere valeamus. Effic-

(p) In Trim. Vern. a. h. num. II. §. 9. pag. 261. (q) loc. cit. p. 270. (r) loc. cit. §. 11. p. 270 & seqq.

fecimus etiam eandem clariorem, qualem exigunt demonstrationes, ut adeo eam huc tantummodo transferri opus sit (s). Est scilicet *servitus* (in sensu juris Romani) status hominis, quo in dominio alterius est. Atque ita apparet, definitionem servi præsupponere definitionem dominii, atque adeo ad servos applicari posse, quæ de rebus, quæ sunt in dominio, quatenus in eodem sunt, lege præcipiuntur. Propositiones igitur demonstrativæ non relinquuntur nisi sex prima, scilicet, septima, octava, nona, decima & undecima, quæ in numerum theorematum demonstrandorum referri possunt. Primam & septimam immutari demonstrationis gratia opus non est: absolute altera de servis enunciat modos, quibus in servitutum rediguntur, atque adeo hoc in casu propositione disjunctiva opus est (t), qualis in ipso textu occurrit, quod scilicet servi aut nascantur, aut fiant. Propositio octava de servis ex nativitate ad hanc formam reducitur: Si quis habet ancillam & ex ea nascitur proles, hæc servus vel ancilla est & quidem ejus,

cu-

(s) loc. cit. §. 12. (t) §. 316 Log.

cujus ancilla est mater. Etenim in propositione determinata, quæ demonstrationem recipit, hypothesis continere debet singulas subjecti determinationes & prædicatum virtualiter compositum in tot partes resolvendum, quot sigillatim demonstrari debent. Jam propositio de modo, quo quis servus nascitur, duas præsupponit conditiones, nimirum quod fœmina sit alicujus ancilla & quod ex eadem nascatur proles, sive masculus, sive fœmina. Hæ igitur conditiones in hypothese distincte sunt exprimendæ, si ex eo, quod sumitur, demonstrari debet, quod inde sequitur. Si proles ex ancilla nascitur, duplex de ea quæstio est, nimirum utrum sit in servitute, nec ne, & cujusnam sit servus, vel ancilla. Quamobrem prædicatum hypothese isti respondens duplex est, ut adeo propositio prodeat copulativa, si ad formam logicam reducenda (u): id quod non modo fieri debet in usum demonstrationis, verum etiam in usum commodæ applicationis. Propositio nona, illarum quæ demonstrari debent tertia, de servis ex capti-

(u) §. 315 Log.

captivitate, ad hanc formam revocatur: Si hostes in bello capiuntur, jure gentium in servitutem rediguntur. Supponitur hic notio juris gentium ex tit. 2. & determinatio prædicati tantummodo insinuat demonstrandi principia ex jure gentium esse petenda. Quamobrem ex propositione prorsus omitti poterat: sufficit enim in scholio eidem subnectendo annotari, quod propositio hæc sit juris gentium. Notionem juris gentium, quæ in Jure Romano obtinet, explicavimus anno superiori (x). Propositio decima eam jam habet formam, quæ eidem convenit in systemate demonstrativo. Determinatio prædicati, quod quis jure civili fiat servus ex pacto seu contractu, innuit, propositionem hanc non posse prorsus demonstrari ex principiis juris naturalis vel juris gentium, quia scilicet additur determinatio mere civilis, quod sese venundari patiens major esse debeat viginti annis. Poterat determinatio prædicati, quod scilicet ex pacto homo liber fiat servus jure civili, omitti & in scholio propositioni demonstratæ adjicien-

(x) in *Trim. brum. A.* 1729. num. II.

jiciendo moneri, quod ea habeat aliquid mere civile, quo adjecto propositio juris gentium abit in legem civilem. Undecima denique propositio de paritate conditionis servorum omnium ita commode enunciatur: Servorum omnium eadem est conditio, aut, cum obscurius dictum videri possit, quamdiu non explicatur, quid sit eadem conditio, ita efferri potest: Nulla dantur jura civilia, quæ uni servo competunt, non autem ceteris. Propositio hæc negativa demonstratione nulla indiget; ei tamen per modum scholii adjici debet, quod ideo in Jure Romano nulla occurrat servorum divisio, quippe quæ inutilis foret, cum divisio personarum fundetur in diversis, quibus in Rep. fruuntur, juribus. Etsi enim multa occurreret quoad ministeria differentia; ea tamen dominorum arbitrio relicta ex principiis juris naturalis decidenda erant, vel juris etiam gentium, prudentiæque regulis.

*Quomo-
do propo-
sitiones
ordinan-
da.*

§. 6. Postquam propositiones in suas classes retulimus & ad formam genuinam reduximus; porro dispiciendum, quo ordine sint collocandæ, & quænam
ex

ex iis, quæ præsupponuntur, sint præmittenda, quænam vero in medium afferenda & quo in loco ceteris interponenda. Primo loco utique comparere debent definitiones libertatis & servitutis. Quoniam vero servitutis notio lucem affundit notioni libertatis, ita ut, si servitus ante definita fuerit, homo liber negative definiri possit per eum, qui servus non est, vel removendo ab eodem definitionem servi, per eum, qui in dominio alterius non est; definitio servitutis definitioni libertatis ex lege methodi præmittenda (y). Definitio servitutis præsupponit definitionem domini, quare cum ea demum inferius occurrat, ubi de jure rerum agitur; hic utique definitioni servitutis præmittenda venit, itidem ex lege methodi, quam sequi constituimus (z). Similiter in propositione decima præsupponitur notio venditionis, sine qua ea nec intelligi, nec demonstrari potest. Quoniam vero ea demum explicatur, ubi de contractibus sermo est; igitur hic quoque inter principia demonstrandi

(y) §. 119 Disc. prælim. Log. (z) §. 7. Disc. prælim.

di præmittenda venit, vel definitioni libertatis subjicienda, si definitiones omnes in eadem serie collocare volueris, vel propositioni nonæ immediatæ præmittenda, cui intelligendæ ac demonstrandæ destinatur. Quod jam porro propositiones attinet, quæ demonstrationibus muniendæ; facile intelligitur, primo loco demonstrandum esse, quando nam quis servus nascatur, quando nam fiat, antequam ostendi possit, servum omnem aut nasci, aut fieri. Quamobrem propositio septima octavæ, nonæ, decimæ postponenda. Et quia hypothesis propositionis octavæ non intelligitur possibilis, antequam constet fieri posse ut mater proles sit ancilla, seu ut quis ex ancilla nascatur; servitus autem jure belli primum introducta: propositio octava postponenda est nonæ. Propositiones igitur hoc ordine se invicem excipere debent, ut primo loco ponatur nona, secundo decima, tertio octava, quarto septima, quinto prima, sexto denique undecima. Cur propositio decima præponatur octavæ, eadem ratio est, ob quam eidem præponitur nona, scilicet, quod per eam hypothesis octavæ intelligatur possibilis.

§. 7.

§. 7. Restat ut dicamus de principiis demonstrandi, quomodo reperiantur & quo loco reponantur. Non ante constat, quibusnam præter definitiones principiis opus habeas, quam propositiones, quæ demonstratione indigent, demonstrares. Demonstrationibus nimirum ad finem perductis patet, quibusnam principiis habeas opus, eaque perpendens intelliges, num præsupponi aliunde possint, an vero per modum vel axiomatum, vel lemmatum præmittenda veniant. Quod si in numerum axiomatum recipienda; definitionibus subjunguntur tanquam altera principiorum insitorum species: Si vero per modum lemmatum assumenda; ei propositioni præmittuntur, cui demonstrandæ destinantur. Nil igitur amplius superest, quam ut rem ipsam aggrediamur, demonstrationes propositionum exhibitori.

Principia
demon-
strandi
quomodo
desogan-
tur &
ordina-
tur.

§. 8. Ecce igitur tibi titulum Institutionum de jure personarum in formam demonstrativam redactum! Quæ aliunde assumenda sunt ad propositiones demonstrandas præter definitiones sub principiorum titulo hic apponemus.

Titulus
III. Insti-
tutionum
ad for-
mam de-
monstra-
tivam re-
ductus.

(Her. subj. 1720.)

Ff

DE

DEFINITIO 1.

1. *Dominium* est jus de re aliqua pro arbitrio disponendi.

SCHOLION.

2. Supponitur hic, quid sit jus, quod in tit. 1. explicari debet. Denotat nempe hic facultatem agendi moralem, quæ physicæ contradistinguitur, ita ut quis non repugnante lege facere possit, quod naturaliter facere potest, seu ad quod faciendum vires ipsi suppetunt.

DEFINITIO 2.

3. *Servitus* est status hominis civilis, quo est in dominio alterius.

SCHOLION 1.

4. Servi ex eo appellati sunt, quod Imperatores captivos vendere ac per hoc servare, nec occidere solent.

SCHOLION 2.

5. Dicti etiam fuerunt mancipia, eo quod ab hostibus manu capiuntur.

COROLLARIUM 1.

6. Quoniam servus est in dominio alterius (§. 3), dominus vero de re sua pro arbitrio suo disponere potest (§. 1); de servo quoque suo pro arbitrio disponere potest dominus.

CO-

COROLLARIUM 2.

7. Quoniam dominus de servo suo pro arbitrio disponere potest (§.6); de actionibus quoque servi lege civili non determinatis pro arbitrio suo disponere potest, consequenter servus in iis non suum, sed domini iudicium sequi tenetur.

SCHOLION.

8. Hinc & ministeria servorum lege non fuere definita; sed arbitrio dominorum relicta.

DEFINITIO 3.

9. *Libertas* est status hominis civilis, quo dominio alterius subiectus non est.

COROLLARIUM 1.

10. Quoniam igitur homo liber in nullius dominio est (§.9); nemo quoque privatus de ipso pro arbitrio suo disponere potest (§.1).

COROLLARIUM 2.

11. Quia nemo privatus de homine libero pro arbitrio suo disponere potest (§.10); nemo quoque de actionibus eius lege non determinatis pro arbitrio suo disponere potest, consequenter nullius privati iudicium in actionibus suis iure

F f 2 non

non prohibitis determinandis sequi teneatur.

COROLLARIUM 3.

12. Cum homo liber in actionibus suis jure non prohibitis determinandis nullius privati iudicium sequi teneatur (§. 11); suo arbitrato eas determinare valet, seu suum de iis iudicium sequi potest.

COROLLARIUM 4.

13. Et quia nemo quoque de ipso pro arbitrio suo disponere potest (§. 10); ipse de se pro arbitrio suo disponere potest, quatenus jure non prohibetur.

SCHOLION 1.

14. A libertate homines dicuntur liberi, quæ per servitutem tollitur.

SCHOLION 2.

15. Dicitur libertas facultas naturalis, quod a natura homines omnes liberi nascantur *l. 4. ff. de J. & J. & pr. l. de Libert.*

SCHOLION 3.

16. Quoniam igitur jure gentium servitus introducitur, ideo contra naturam homo fit servus, hoc est, etsi in natura ejus nulla contineatur ratio, cur alterius dominio subjici debeat, cum liber-

libertate sua quo minus utatur, nullus rationis ac prudentiæ defectus in eodem notetur.

DEFINITIO 4.

17. *Emtio venditio est contractus de re certa pro certo pretio tradenda, seu in dominium alterius transferenda.*

SCHOLION.

18. Supponit hæc definitio notionem contractus, sed eam hic explicari opus non est, cum ea explicite non ingrediatur demonstrationem alicujus propositionis sequentis per modum principii.

PRINCIPIUM 1.

19. *Hostes in bello captos in eum statum redigere licet, quo amplius nobis nocere non possunt, suntque remedia leniora preferenda durioribus.*

SCHOLION.

20. Principium hoc desumitur ex Jure gentium, & quidem pars prima ex Jure belli, altera vero ex jure adversus vim alterius se defendendi.

PROPOSITIO 1.

21. *Si hostes in bello capiuntur, in servitutem eos redigere licet.*

Et 3

DE

DEMONSTRATIO.

Etenim si hostes in bello capiuntur, in eum statum eos redigere licet, quo nobis amplius nocere non possunt (§. 19). Enimvero si quis in servitutem redigitur, non suum, sed domini iudicium in actionibus suis determinandis sequi tenetur (§. 7), adeoque in eum statum redigitur, ut nocere amplius non possit, etsi velit. Et quamvis idem obtineatur, si occidatur; quoniam tamen remedia leniora præferenda durioribus (§. 19); servitus cædi præferenda. Hostes igitur in bello captos in servitutem redigere licet.

SCHOLION 1.

22. Quoniam in demonstranda propositione præsentè utimur principio primo (§. 19), quod ex jure gentium desumitur (§. 20); servitus vero ex eo originem, sicuti nomen (§. 4), duxit, quod captivi non fuerint occisi, sed jumentorum instar dominio privatorum subiecti; servitus jure gentium constituta dicitur.

SCHOLION 2.

23. Propositio nimirum hæc est iuris permissivi, non præceptivi. Quod vero

vero in jure gentium est juris permis-
sivi, id per modum præcepti jure civili
introduci potest. Unde lege civili præ-
cipiebatur captivos in servitutem redi-
gi; prohibebatur eos occidi.

PRINCIPIUM 2.

24. *Homo viginti annis major tanto
judicio pollet, quantum sufficit ad discer-
nendum, quid inter libertatem & servi-
tutem interfit.*

SCHOLION.

25. Determinatio mere civilis est. Le-
ges autem civiles disponunt de eo, quod
fit ut plurimum *l. 3. ff. de Leg. nec casus
rariores morantur: qui ubi aliquando
occurrunt, non adeo stricte inhæretur
regulæ, ut ab eadem exceptio non ad-
mittatur.*

PRINCIPIUM 3.

26. *Qui se venundari patitur ad pre-
tium participandum, semetipsum ven-
didisse censendus est.*

SCHOLION.

27. Sumi hoc potest per modum
axiomatis, etsi ex contractu mandati
demonstrari possit.

PRINCIPIUM 4.

28. *Venditor obligatur emptori ad rem*

¶ 4

ven-

venditam tradendam, seu dominia ipsius subjiciendam.

SCHOLIUM.

29. *Propositio hæc desumitur ex jure contractus emtionis venditionis, adeoque ut hic demonstretur opus non est, præsertim cum ex definitione manifesta (§. 17) per modum axiomatis sumi possit.*

PROPOSITIO. 2.

30. *Si homo liber maior viginti annis ad pretium participandum sese venundari patitur, servus fieri debet emtoris.*

DEMONSTRATIO.

Homo liber de seipso pro arbitrio suo disponere potest, quatenus jure non prohibetur (13). Quare cum lex nulla prohibeat, quo minus se vendat, *per hypoth.* seipsum quoque vendere potest. Et quoniam semetipsum vendidisse censendus est, qui se venundari patitur ad pretium participandum (§. 26); si homo liber se venundari patitur ad pretium participandum, semetipsum vendidisse censendus est, adeoque emtori obligatur ad se dominio ipsius subjiciendum (§. 28). Quoniam itaque per venditio-

ditionem transit in dominium emtoris *per demonstrata*, cumque viginti annis major sit *per hypoth.* tanto iudicio pollet, quantum sufficit ad discernendum, quid inter libertatem & servitutem interfit (§. 24), consequenter contra validitatem contractus emtionis venditionis imbecille iudicium per modum exceptionis opponere non potest; servus emtoris fieri debet.

SCHOLION 1.

31. Acutiores desiderabunt in hac demonstratione, quod quædam occurrant, quæ non sufficienter evoluta sunt, scilicet quæ ad firmandam validitatem contractus afferuntur. Enimvero ubi tituli eo ordine retineri debent, quo in Institutionibus occurrunt; fieri non potest, ut omnia ad amissim exigantur: quin potius quædam subinde admittenda sunt, quæ majorem claritatem ac evidentiam, independentem tamen ab iis quæ demonstrantur, a sequentibus expectant.

SCHOLION 2.

32. Demonstrationem pariter ac hypothesin propositionis ingreditur determinatio mere civilis (§. 29), atque

F f § ideo

ideo præfens propositio lex mere civilis est. Accedit quod quis ex pacto servus fieri non possit, nisi servitus, quæ jure gentium licita, jure civili introducatur, atque præterea juris tantummodo permissivi fit, quod quis se vendere possit. Unde patet plures adhuc esse rationes, cur propositio præfens sit lex mere civilis. Atque ideo servitus, quæ ex venditione est, jure civili introducta dicitur.

PRINCIPIUM 5.

33. *Si servitus introducta conservanda, utendum mediis est, sine quibus conservari nequit.*

SCHOLION.

34. Principium hoc sumitur ex philosophia prima, quæ docet, sine mediis non posse obtineri finem. Non autem jam disquirimus, utrum servitutis conservatio juste fuerit introducta, & num pro fine licito haberi possit. Hæc enim disquisitio ad jus gentium pertinet, quod in jure civili supponitur.

PRINCIPIUM 6.

35. *Servitus conservari debet.*

SCHOLION.

36. *Est hoc principium juris Romani,*

ni, quod postulato Mathematicorum respondet.

PROPOSITIO 3.

37. *Si quis habet ancillam & ex ea nascitur proles, hæc servus vel ancilla est & quidem ejus, cujus ancilla mater est.*

DEMONSTRATIO.

Pone enim ex ancilla natum filium non esse servum, nec natam ex ancilla filiam esse ancillam: servis & ancillis mortuis, exspirabit servitus, nec conservari poterit, cum casus rarior sit, quo quis se venundari patitur (§. 30). Quare cum id principio juris Romani repugnet (§. 35. 36); ex ancilla natus servus esse debet.

Idem etiam sic directe ostenditur: Servitus conservari debet (§. 35), consequenter utendum est mediis, sine quibus conservari nequit (§. 33). Enimvero si ex ancilla nata proles in servitute non est, servitus conservari nequit *per demonstrata*. Ergo in eadem esse debet.

Quoniam igitur proles ex ancilla nata in servitute esse debet *per demonstrata*; nulla vero ratio est, cur in alterius potius dominio esse debeat, quam domini, cujus est ancilla; ejus omnino
 ser-

servus vel ancilla esse debet, cujus ancilla mater est.

PROPOSITIO 4.

38. *Servi aut nascuntur, aut fiunt.*

DEMONSTRATIO.

Ex ancilla enim nati servi sunt (§. 37), adeoque servi nascuntur. Qui in servitatem rediguntur, quod in bello capiuntur (§. 21) aut quod se venundari patiuntur (§. 30), intercedente facto aliquo ex hominibus liberis evadunt servi, adeoque fiunt. Quod si quis liber quocunque adhuc alio modo in servitatem redigitur; ex libero denuo servus evadit facto aliquo intercedente, consequenter servus fit. Quoniam itaque præter nativitatem & factum aliquod hominum concipi nequit modus alius, quo quis in servitatem redigitur; servi omnes aut nascuntur, aut fiunt.

SCHOLION.

39. Propositio hæc usum habet in actionibus præjudicialibus, quando scilicet quaestio movetur de statu. Etenim si probare volueris esse servum, qui se servum esse negat, aut ostendendum est, quod ex ancilla natus sit, aut quod,
cum

cum liber esset, talis factus fuerit. Fungitur adeo loco notionis directricis propositio præsens in probanda servitute negantis se servum esse.

PROPOSITIO 5.

40. *Omnes homines aut liberi sunt, aut servi.*

DEMONSTRATIO.

Homo enim quicumque aut est in dominio alterius, aut non est in dominio alterius: tertium non datur. Si est in dominio alterius, servus est (§. 3): si in dominio alterius non est, liber est (§. 9). Omnes igitur homines aut liberi sunt, aut servi.

SCHOLION.

41. Propositio hæc denuo habet usum in actionibus præjudicialibus. Quando enim de statu disceptatur, aut affirmare debes te esse liberum, aut te esse servum, cum tertium non detur. Si alter negat te esse liberum, affirmat te esse servum: prius præsumitur tamdiu, donec probetur contrarium, atque adeo posterius probari debet. Intelligitur nempe hinc, si alterius libertatem in dubium vocamus, probandam esse servitutem.

PRO-

PROPOSITIO 6.

42. *Nulla dantur jura civilia, quæ uni servo competunt, non autem ceteris.*

Propositio hæc nulla demonstratione indiget: id quod per se patet. Neque enim alia re opus est, quam ut leges de servis, seu servitute personali perlustres.

SCHOLION.

43. Hinc nulla obtinet in Jure servorum divisio, quippe quæ inutilis foret.

Quæ circa specimen hoc notanda.

§. 8. Ex brevi hoc atque facili specimen abunde patet, quid fieri debeat, ut tituli singuli in formam demonstrativam redigantur, quodque non tanta facilitate præstari possit, quantum sibi imaginantur, qui nec methodi sunt gnari, nec jura adeo familiaria experiuntur, ut singula veluti sponte sua sese sistant, quoties de iis cogitandi occasio sese offert. Scholia frequentiora, quæ adjecimus, partim textus illustrandi, partim methodi declarandæ gratia titulum resolutum prolixum reddunt, quæ vero ad substantiam ejus pertinent, istis propemodum pauciora sunt. Hæc ideo monemus, ne quis inutiles prolix-

lix-

lixitates causetur, quæ ex methodo demonstrativa redundant. Quæ methodi illustrandæ gratia adjiciuntur, abesse semper possunt, cum præsens tantummodo institutum ea adjici suaferit. Ceterum ex perlustratione speciminis non minus patet, quænam sint hujus resolutionis textus & transmutationis in aliam formam commoda. Nimirum clarissime hinc perspicitur, quomodo titulus aliquis cum antecedentibus & sequentibus connectatur. Prius inde intelligitur, si in definitionibus occurrunt termini in titulis antecedentibus definiti; propositionum demonstrationem ingrediuntur propositiones ex iisdem desumptæ tanquam demonstrandi principia. Posterius produnt definitiones ac principia ex subsequen- tibus titulis anticipando allata. Hinc vero jam intelligitur, cur studium juris tyronibus reddatur difficile, ut in textu peritus intelligendo frustra desudent, & cur methodi gnaris nauseam moveat obscuritas & inevidentia, præsertim si methodi ignarus fuerit docens, nec norit, quænam ad obscuritatem & inevidentiam fugandam ex subsequen- tibus
sint

sint arcessenda & anticipando tyroni
 declaranda. Mirifice igitur docentes
 juvat textus resolutio & in formam de-
 monstrativam conversio, ut auditores
 suos multo laboris ac temporis com-
 pendio ad scientiam juris perducant,
 tantam precise lucem singulis materiis
 affundentes, quanta indigent, ut peni-
 tus intelligantur. Docentium officium
 est istam materiis lucem affundere: ne-
 que enim alia de causa ipsos accedunt
 discentes, quam ut ab ipsis hauriant
 lucem, quam desiderant, cum verba le-
 gum parum intellecta ipsimet propria
 industria memorie mandare valeant
 nec praeceptore habeant opus. Illam
 adeo lucem qui auditoribus non affun-
 dit, officio suo minime satisfacit, nec au-
 ditoribus, si qui de ipso conquerantur,
 sed sibi imputare debet, quod intelligant
 quantum in explendis omnibus officii
 sui partibus desiderari patiatur indu-
 striam suam. Memini olim conquestos
 fuisse nonnullos, quasi studio mathe-
 matico ad studium juris inidonei eva-
 dant juvenes. Sed patet jam, quid re-
 spondendum sit talia objicientibus.
 Redduntur inidonei, quibus posthac
 im-

imponant docentes, quasi textum, qui tyronibus obscurus esse debet, explicaverint, et si eorum, quæ in eodem continentur, notiones claras atque distinctas ipsorum animis minime infuderint, tantum abest ut ad eas evidentiam attulerint. Quod si tituli singuli Institutionum hoc pacto fuerint resoluti, quos nos præsentem resolvimus, atque in eandem formam conversi; ex definitionibus ac principiis adscititiis palam erit, quænam utiliter sub Principiorum Juris titulo studio Juris sint præmittenda, antequam ad Institutiones accedas: quorum principiorum me nuper mentionem injecisse memini (a). Quoniam impossibile est, ut definitio aliqua vel propositio sit clara, ab omni prorsus obscuritate liberata, quam ingrediuntur termini nondum definiti, nec notione confusa saltem illustrati, & ut veritas propositionum sit evidens, si demonstrationem ingrediuntur nondum probata; ex ipsa hæc resolutione tituli ejusque ad formam demonstrativam reductione apparet, methodum communem, qua jura traduntur, multa adhuc

(*Hor. subs. 1730.*) Gg con-

(a) *Trim. brum. n. II. §. 10 p. 138.*

confusione laborare, ut a tyrone, quæ secundum eam proponuntur, penitus intelligi ac comprehendi nequeant, sed successively demum nasci debeat claritas idearum, dum assidua industria obscuritas per subsequencia tollitur. Atque hæc ratio est, cur lucem in Mathesi ac philosophia nostro more pertractata experti impatienter ferant caliginem, quam menti initio studii juris affundi animadvertunt. Nullus igitur dubito fore, ut, si ad jura docenda accedant, qui methodum callent, ea ex ipsorum ore non minus avide hauriantur, quam philosophiæ præcepta nostro more evoluta hauriri solent, & solida juris doctrina animi juvenum multo temporis ac laboris compendio imbuantur. Unicum restat, quod moncamus, antequam hinc discedamus. Quamvis in specimine legum ad formam demonstrativam reductarum definitionum, principiorum, propositionum, scholiorum, demonstrationum titulos adjecerimus; non tamen ideo urgemus, ut iidem adjiciantur, multo minus aliis persuadere volumus, quasi ab istis titulis pendeat doctrinæ soliditas: etenim
in

in ipsa philosophia eosdem prætermisimus. Observanda tantummodo sunt, quæ rem ipsam concernunt: rebus intellectis unusquisque titulos competentes adjiciet, quando volupe, vel usui fuerit.

§. 9. Cum nuper de Jurisprudentia in formam demonstrativam redigenda differeremus; mentionem quoque injecimus dissertationum methodo demonstrativa conscribendarum (b). Quamobrem nostrarum partium esse videtur specimen aliquod dissertationis hac methodo conscriptæ exhibere. Enimvero otium hic nobis fecit *Cl. Cramerus*, Juris ac Philosophiæ Doctor, qui in dissertatione de pacto hereditario renunciativo filia nobilis exemplo esse potest methodum demonstrativam in conscribendis dissertationibus adhibituris. Quid præstiterit, in præfatione ad eandem uberius exposuimus, ut adeo hic repetenda non sint, quæ ibidem legi possunt. Excitavimus ibidem attentionem lectoris ad ea, quæ methodi sunt, ne simile specimen daturus, vel ingenii sui vires periclitaturus ignoret, quid

*Cur non
datur
specimen
disserta-
tionis
methodo
demon-
strativa
conscrip-
ta*

G g 2

imi-

(b) loc. cit. §. 12.

imitari debeat. Actum igitur agere nolumus, qui nil quicquam magis in votis habemus, quam ut alii collatis symbolis nostrum in propaganda doctrina solida studium juvent.

III.

*Tabularum Mnemonicarum
constructio & usus.*

§. I.

*Institu-
tum Au-
toris.*

QUAMVIS nobis maxime curæ cordique fit, ut ad solidam doctrinam omnes invitemus, qui studiis literariis operam navant, ac idcirco methodum demonstrativam ubique introducendam urgeamus; non tamen ideo improbamus, quæ ad juvandam memoriam conducunt. Demonstrativa enim methodo opus est, ut dogmata olim nobis profutura penitus intelligamus & veritatem eorundem perspiciamus: quod ubi factum fuerit, in futurum usum memoriz mandanda veniunt, quæ eadem retineri necesse est. Scilicet ex ratiocinandi lege suprema (c) liquet, memoria tantummodo
reti-

(c) §. 348. 349 Log. conf. §. 48. 49 Log.

retinendas esse definitiones ac propositiones, quippe quarum solus est in applicatione eorum, quæ didicimus, usus. Quæ vero illustrationis ac probationis gratia adjiciuntur, iisdem memoriam onerari opus non est. Ita in specimine superiori præter definitiones dominii, servitutis, libertatis, emtionis venditionis memoriæ mandandæ sunt propositiones sequentes: 1. Dominus de servo suo pro arbitrio suo disponere potest. 2. Servus in determinandis actionibus liberis non suum, sed domini iudicium sequi tenetur. 3. Homo liber actiones jure non prohibitas suo arbitratu determinare valet. 4. Hostes in bello captos in servitutem redigere licet. 5. Si homo liber major viginti annis ad pretium participandum sese venundari patitur, servus fieri debet emtoris. 6. Si quis habet ancillam & ex ea nascitur proles, hæc servus vel ancilla est & quidem ejus, cujus ancilla mater est. 7. Servi aut nascuntur, aut fiunt. 8. Omnes homines aut liberi sunt, aut servi. 9. Nulla dantur jura civilia, quæ uni servo competunt, non autem ceteris. Hæc ea sunt, quæ ad ratiocinandum utilia

Gg 3

re-

retineri opusest, ubi accurata industria singula expendimus, quæ integro articulo octavo contenta, paucissima sane, si cum ceteris conferantur, quæ ibidem leguntur. Quamobrem ubi rite intellecta fuere & nos veritatis eorundem convicti sumus; nil impedit, quo minus ulterius cogitemus, ecquanam ratione illa, quæ in usum futurum memoria tenaciter servanda sunt, eidem firmiter infigamus. Veteres doctrinas in tabulas redigebant, ut facilius memoria comprehenderentur. Institutum, si quisidem rite exequatur, valde probo. Quamobrem non displicuit industria *Cl. Frobesii*, qui systema nostrum metaphysicum germanico idiomate a nobis editum, in usum auditorum, quibus cum applausu philosophiam in Academia Helmstadiensi profiteretur, in tabulas concinnas redegit, eundemque hortati sumus, ut cetera quoque philosophiæ nostræ systemata in tabulas istiusmodi redigat, plurimum illis profuturas, qui quæ ex systematis illis didicerunt, commoda repetitione memoriæ infigere gestiunt (d). Ingens sane subsidium me-

mo-

(d) Vid. *Eclecticae philosophiæ specimen*

moriz in tabulis consistit, in quas doctrinaz referuntur, ut uno quasi conspectu comprehendi earum ambitus possit. Quamobrem non inconsultum duximus nostram de iis exponere sententiam.

§.2. *Per Tabulas Mnemonicas* intelligo Tabula mnemonica quod non dicantur & fundamentum illorum. eas, in quibus memoriaz mandanda eo ordine disponuntur, quo eidem facile mandantur & semel mandata diu retinentur. Fundamentum adeo illarum consistit in iis, quaz in Psychologia empirica de memoria tradimus, quatenus eadem quazdam mandanda atque semel mandata diu retinenda. Quaz enim ad hoc conducunt, ut quid memoriaz facile mandetur & eadem diu retineatur, ex iis constructionis istarum ratio petenda est. Quodsi ad illa non respicias, nec demonstrare poteris eas rite esse constructas, multo minus intelliges, num ulterius perfici possint. Patebit autem ex sequentibus, ad earundem constructionem mirifice etiam prodesse principia ontologica, qualia a nobis pertra-

Gg 4 Stan,

II, quo continetur brevis ac dilucida systematis Metaphysici Wolffiani delineatio, Helmstädi 1730.

stantur in philosophia prima. Sunt autem tabulæ istæ duplices: aliæ generales, aliæ speciales. Generales sunt, quæ integræ cujusdam disciplinæ, veluti Logicæ, Ontologiæ, Astronomiæ conspectum exhibent. Speciales vero objectum aliquod speciale, veluti in Geometria triangulum, in Ontologia Ens universale, sive signum repræsentant, notione ejus distincta certo ordine explicata. Enimvero videamus, quænam tabularum istarum sint regulæ, ut de genuina constructione firmum sit iudicium.

*Singulorum
rei
predica-
torum in
unum
locum
congestio*

§. 3. Notandum igitur est, ad notionem entis pertinere omnia ejus prædicata tam absoluta, quam conditionata, sive hæc intrinseca fuerint, veluti modi; sive extrinseca, sicuti relationes. Quamobrem ubi tabulam mnemonicam objecti cujusdam specialis construere volueris, quæ notionem ejus evolutam exhibere debet; in eam referri debet, quicquid de eodem nobis innotuit. In systemate unumquodque tradi debet eo in loco, ubi ex aliis intelligi & demonstrari potest, quæ præcedunt. Unde accidit, quæ de eodem objecto

CO-

cognoscenda sunt, non eodem in loco tradi, sed per integrum systema dispergi. Ast in tabula mnemonica simul comparere & uno quasi obtutu comprehendi debent, quæ ad objectum istud quomodocunque spectant. Atque hæc est prima differentia, quæ inter tractationem systematicam & mnemonicam intercedit, scopo utrobique intento conveniens. Etenim in systemate veritatem rei evidenter cognoscere intendimus, atque ideo nihil admitti potest nisi explicatum, nihil nisi demonstratum. Eo igitur loco tradenda sunt singula, ubi in antecedentibus explicata & demonstrata supponere datur, quæ tanquam explicata & demonstrata præsupponenda sunt, quicumque tandem is fuerit. In tabulis mnemonicis veritatem agnitam memoriæ firmiter imprimere intendimus, ut ad conspectum objecti, vel quoties quocunque modo de eodem cogitandi occasio suppeditatur singulorum meminisse possimus, quæ de eodem nobis innotuere. Quare cum memoriæ beneficio prædicata objecto convenientia recognoscere non possimus, nisi ante imaginationis ope eorum

G g 5

no.

notiones fuerint reproductæ, ut autem istæ reproducantur, cum notione objecti sive confuse, sive per definitionem distincte percepta sint conjungendæ; necesse omnino est, ut singula, quæ de eodem objecto nobis innotuerunt, in unum locum congerantur, atque menti simul exhibeantur. Labet exemplum dare, quod facile est atque adeo regulæ illustrandæ apprime convenit. In Geometria elementari agitur de triangulo rectilineo in genere; sed non eodem loco comparent, quæ ibidem traduntur. Sumamus elementa nostra Geometriæ, quæ leguntur Tomo primo Matheseos editionis novæ. Inter definitiones occurrit definitio (§. 87); & divisio (§. 88 & seqq.); inter propositiones reperiuntur congruentia, similitudo & constructio (§. 179 & seqq. 204 & seqq. 234 & seqq. 251. 252. 264 & seqq. 396 & seqq.); prædicata absoluta (§. 188 & seqq. 237 & seqq. 268. 297) & respectiva (§. 385. 386. 391. 393. 410. 415); dimensio (§. 392), quadratura (§. 395) & divisio in partes (§. 440), altitudo denique (§. 227) & usus in distantibus (§. 194. 280. 281), altitudinibus (§. 284.

(§. 284.286) & figuris rectilineis (§. 400) dimetiendis, atque arearum campestrium rectilinearum ichnographia perficienda (§. 363 & seqq.). Quæ igitur per omnem Geometriam dispersa sunt, ea in tabula mnemonica congerenda & conveniente ordine disponenda sunt. Quodsi vero in ipsis elementis eò ordine eadem disponere volueris, quo in tabula comparere debent; res ipsa loquetur fieri non posse ut singula intelligantur & demonstrantur. Alias enim intellectus leges sequitur, alia imaginatio & memoria, quemadmodum in Psychologia docemus. Alium adeo rerum tradendarum ordinem intellectus postulat, alium vero memoria. Simile exemplum in Logica præbet demonstratio: id quod vel indicis beneficio observare licet. Obiter notamus, lucè meridiana jam clarius patere, quam turpiter fallantur, qui sibi persuadent aliisque persuadere conantur, in systemate eundem tenendum esse ordinem, qui tabulis mnemonicis convenit. Nos, qui de rebus per transennam conspectus judicare non solemus, nihil contemnimus; sed suum cuique pretium statuimus.

§. 4.

*Demon-
stratio-
num &
illustra-
tionum
in tabu-
lis mne-
monicis
omisso.*

§. 4. Dum vero in unum locum congeruntur, quæ per systema dispersa sunt; omittendæ sunt demonstrationes omittenda sunt cetera, quæ cujusvis finis gratia in medium afferuntur. Rei prædicata concise enuncianda, ut nihil adsit superflui. Censetur autem superfluum, sine quo notio prædicati istius in memoriam revocari potest. Etenim demonstrationes non alio fine in systemate afferuntur, quam ut veritatis propositionum convincaris, atque adeo certus sis subjecto tribuendum esse prædicatum, ne forsan tanquam verum amplectaris, quod a veritate abhorret. Enimvero propositiones, quas veras esse cognovisti, in usum futurum servaturus memoriæ mandas, sensumque certitudinis conservas, quatenus demonstrationis olim expensæ memoriæ habes. Quamobrem ex tabulis mnemonicis exulare debent demonstrationes. Atque hinc patet, quantum fallantur, qui sibi persuadent demonstrationes propositionibus rite determinatis adjectas veritatem efficere sterilem, ut posthac in vita communi nullum amplius habeat usum. Ad usum

usum enim demonstratio prorsus nil confert, quæ tantummodo facit, ut veritatem evidenter perspicias. Æquis vero serio affirmaverit, propositionem aliquam suam amittere in vita communi usum, quod ejus veritatem evidenter perspiciamus? Propositiones ac definitiones illustrantur, ut, si qua obscura supersunt, luce sufficiente collustrentur. Huc igitur faciunt, ut singula prorsus intelligantur. Quod si ergo claritas notioni cum verbis jungendæ semel adheret, non amplius illustrationibus habemus opus: per legem enim imaginationis notio cum claritate sua mentem subit, dum verba percipimus. In tabulas igitur mnemonicas, quæ notiones istas tantummodo in mentem revocare debent, illustrationes referendæ non sunt. Quæ præter definitiones ac propositiones in scholiis alio fine, quam illustrationis gratia adjiciuntur; non tam usum habent in vita communi, vel scientiis, quam eruditioni serviunt, cum subinde volupe sit quædam nosse, ut ut singularem quandam utilitatem minime promittant. Huc referri possunt, quæ in superiori specimine legum ad formam

mam demonstrativam reductarum de etymologia servorum & hominum liberorum dicuntur, & quæ in scholiis ceteris propositionibus adjectis reperiuntur. Quoniam vero ea in primis memoriæ firmiter infigenda sunt, quæ usum vel in vita communi, vel in scientiis habent, ceterorum vero non adeo sollicita habenda est ratio; quæ alio fine quam illustrationis gratia definitionibus ac propositionibus adjiciuntur, etsi erudiant, tabulis tamen mnemonicis committenda non sunt. Atque adeo patet tabulis mnemonicis committenda tantummodo esse, quæ in definitionibus ac propositionibus continentur.

*Modus
dividen-
di tabu-
las.*

§. 5. Vidimus, quæ in tabulas mnemonicas referri conveniat. Altera quaestio de ordine est, quo in iisdem collocari debeant. Primum itaque notari meretur, constituendas esse classes rerum in tabulis describendas, quæ sint veluti totidem loculamenta, in quibus res aut notiones earum collocandæ. Si entis in genere notionem consideres(e); quæcunque rei cuius conveniunt distinguere possunt in notas, quæ definitio-

nem

(e) §. 154 & seqq. Ontol.

nem ingrediuntur, & prædicata rei sic definitæ convenientia. Prædicata hæc vel absoluta sunt, vel conditionata. Atque hoc pacto classes generales pro omni ente constituuntur. Enimvero consultius est, ut in classibus constituendis ad rationes speciales confugiamus. Nimirum postquam prædicata omnia in unum congestimus, ex eorum collatione patebit, quænam ad eandem speciem ut genus referri possint. Ita in exemplo trianguli, quod superius dedimus, patet, ad eandem classem pertinere, quæ de triangulorum congruentia dicuntur; ad eandem quoque referri debere, quæ de similitudine eorundem enunciantur. Classes enim ordinantur per modum specierum & hæc subordinantur aliis generalibus tanquam generibus. Plurimum adeo huc conducunt, quæ de generibus & speciebus constituendis tum in Logica (f), tum in Ontologia ostendimus (g). Ita superius in triangulis prædicata respectiva duplicia sunt: alia enim involvunt relationem trianguli unius ad alterum; alia vero relationem trianguli ad figuras alias. Unde prædi-

ca-

(f) §. 710 & seqq. (g) §. 233 & seqq.

catorum respectivorum duæ constituuntur classes. In classe prima collocantur prædicata triangulo uni convenientia in relatione ad alterum; in classe vero altera prædicata triangulo uni convenientia in relatione ad figuras alias. Dum in classe prima triangulum unum refertur ad alterum, aut sola spectatur æqualitas, aut sola similitudo, aut similitudo & æqualitas simul seu congruentia. Quamobrem classis prima subdividitur in tres alias per modum generis in suas species. In harum inferiorum prima locum habet æqualitas triangulorum, in secunda eorum similitudo, in tertio congruentia. Similiter in classe secunda triangulum refertur vel ad parallelogrammum, vel ad circulum, vel ad polygonum regulare, aut si mavis, vel ad figuras rectilineas, vel ad curvilineam, sive circulum. In priori casu subdivisio fit in tres classes; in posteriori in duas, quarum prior denuo subdividitur in duas alias. Nimirum in ultimarum prima triangulum refertur ad parallelogrammum; in secunda ad polygonum regulare. Ex hoc unico exemplo abunde intelligitur, quomodo vi differentie prædicatorum

rum constituentur classes generales & hæc iterum subdividuntur in speciales, donec subdivisio non amplius locum habeat, cum in individua fieri deberet. Quodsi quis ad hæc applicaverit, quæ de notione generum atque specierum dicta sunt in philosophia prima & de speciebus ac generibus ordinandis præcipiuntur in Logica, is abunde perspiciet, quomodo ope notionum ontologicarum tanquam directricium secundum præcepta logica classes in tabulis mnemonicis constituentur. Habent autem classes hunc usum, ut nobis in memoriam revocent ea, quæ ad ipsas referuntur. Sunt enim loca, in quibus tanquam receptaculis diversis collocantur ea, quorum meminisse debemus. Quare cum ideam loci & notionem rerum in eodem collocatarum in imaginatione connectimus; vi illius hæc quoque reproducentur. Atque hac ratione tabula vi locorum juvat memoriam, ut facilius eidem mandentur ac semel mandata in eadem retineantur, quæ alias difficiliter ipsi infingerentur. Quoniam accidit ut in eadem classe plura subinde collocentur; in uno loco plura fingi debent receptacula numero a se invicem

(*Hor. subj. 1730.*) Hh di

distinguenda, cum nonnisi ordine a se invicem differant, quo unum excipit alterum. Atque hi numeri eundem prorsus usum habent, quem loci. Scilicet singula in loco quovis tanquam peculiari sibi receptaculo collocata in memoriam revocant, juxta imaginationis legem, qua omnem idearum reproductionem niti in Psychologia evicimus, propterea quod idea numeri accedens ideæ loci connectitur cum eo præcise, quod numero isti respondet.

*Exempla
tabularum.*

§. 6. Nihil igitur superest, quam ut exemplo aliquo hætenus dicta illustremus. Inservire huic instituto poterat triangulum (§. 3), sed tabula evadit amplior, quam ut eam locus præfens capere possit. Quamobrem indicandum adhuc est artificium, quo tabulæ prolixiores in plures minores dividuntur. Nimirum primo loco construitur Tabula quædam generalis, in qua tantummodo loci generales occurrunt, qui deinceps in plures speciales dividuntur. Deinde pro singulis locis generalibus, si plura contineant, construuntur totidem tabulæ, in quibus illarum subdivisiones continentur: quemadmodum ex subjectis Tabulis apparet. I. Ta-

I.

Tabula generalis pro Triangulo, scilicet rectilineo.

Trianguli notanda.

- I. *Definitio*, quod sit figura tribus lineis rectis terminata.
- II. *Divisio*. Vide Tab. II.
- III. *Constructio*. Vide Tab. III.
- IV. *Altitudo*, quæ est perpendicularis ex angulo in latus oppositum demissa.
- V. *Basis*, quæ est latus, in quo terminatur altitudo.
- VI. *Prædicata*, {
 - i. absoluta. Vide Tab. IV.
 - 2. respectiva. Vide Tab. V.
- VII. *Dimensio*, {
 - 1. *arithmetice*, ducta basi in dimidiam altitudinem.
 - 2. *geometricè*, construendo quadratum triangulo æquale.
 quæ sit
- VIII. *Divisio in partes æquales*, per rectas ex vertice in singula divisionum basis æqualiter divisæ puncta ductas.
- VIII. *Usus*. Vide Tab. VI.

Apparet itaque, præter tabulam generalem opus esse adhuc quinque tabulis specialibus, quæ si loco competente generali adjiciantur, habebis tabulam, quæ omnem de triangulo doctrinam complectitur & conspectui objicit.

Tabula II. pro Divisione Trianguli.

Triangulum dividitur	I. ratione laterum in	{	1. <i>Æquilaterum</i> , quod tria latera æqualia habet.
			2. <i>Æquicrurum</i> , quod duo latera æqualia habet.
			3. <i>Scalenum</i> , quod tria latera inæqualia habet.
	II. ratione angulorum in	{	1. <i>Rectangulum</i> , cujus angulus unus rectus est.
			2. <i>obliquangulum</i> , {
			<table border="0" style="display: inline-table; vertical-align: middle;"> <tr> <td style="padding-right: 5px;">1. <i>acutangulum</i>, cujus omnes anguli acuti.</td> </tr> <tr> <td>2. <i>obtusangulum</i>, cujus unus angulus obtusus.</td> </tr> </table>
1. <i>acutangulum</i> , cujus omnes anguli acuti.			
2. <i>obtusangulum</i> , cujus unus angulus obtusus.			

Tabula III. pro constructione Trianguli.

Triangulum constructur	{	1. ex tribus lateribus. §. 207 <i>Geom.</i> scilicet.
		2. ex datis duobus lateribus & angulo uno {
		<table border="0" style="display: inline-table; vertical-align: middle;"> <tr> <td style="padding-right: 5px;">1. inter latera comprehenso, §. 180 <i>G.</i></td> </tr> <tr> <td>2. uni eorum opposito, §. 234. <i>G.</i></td> </tr> </table>
1. inter latera comprehenso, §. 180 <i>G.</i>		
2. uni eorum opposito, §. 234. <i>G.</i>		
		3. ex latere uno cum angulis adjacentibus, §. 264 <i>G.</i>

Ta-

Tabula IV. prædicata Trianguli absoluta complectens.

Prædicata tri-
anguli
absoluta
sunt

- I. *Determinabilitas.* {
1. per tria latera.
 2. per duo latera & angulum interceptum
 3. per duo latera & angulum unicum oppositum ac speciem trianguli
 4. per unum latus & duos angulos adjacentes.

II. *Inscriptibilitas* in circulo.

- III. *Ratio angulorum* {
1. *aequalitatis* omnium simul ad duos rectos.
 2. *aequalitatis* externi lateri uno continuato orti ad duos internos oppositos.
 3. *minoris inaequalitatis* angulorum ad basin ad duos rectos.

- IV. *Ratio inaequalitatis majoris* {
1. lateris majori angulo oppositi ad oppositum angulo minori.
 2. duorum laterum simul ad tertium.

V. *Proportionalitas* segmentorum crurum per lineam basi parallelam divisorum.

Hh 3

Ta-

Tabula V. Prædicata respectiva complectens.

Prædicata tri- anguli respecti- va sunt	I. <i>Ratio æqualitatis ad figuras</i>	1. recti- lineas	1. ad triangulum ejusdem basis & altitudinis. 2. ad figuras regulares, si basis ejus perimetro fi- guræ regularis, altitudo altitudini unius trian- gulorū æqualis, in quæ ex centro resolvitur. 3. ad parallelogrammum ejusdem altitudinis ac dimidiæ basis & contra
		2. curvi- lineas	1. ad circulum, si basis pe- ripheriæ, altitudo ra- dio æqualis. 2. ad sectorem, si basis arctui, altitudo radio æqualis.
	II. <i>Similitudo triangulorum</i>	1. ob laterum angulum æqua- lem comprehendentium pro- portionalitatem. 2. ob laterum singulorum pro- portionalitatem. 3. ob angulorum singulorum æqualitatem.	
	III. <i>Congruentia triangulorum</i>	1. ob laterum angulum æqua- lem comprehendentium æ- qualitatem. 2. ob laterum singulorum æqua- litatem. 3. ob angulorum duorum ac la- teris adjacentis æqualitatem.	
	IV. <i>Proportio reciproca basium & altitudinum in triangulis æqualibus.</i>		

Tabula

Tabula VI. de Usu Triangulorum.

Triangulorum usus est	}	I. in dimetiendis	}	1. Distantiis 2 locorum	}	1. ex eodem tertio accessibilium.
						2. quorum unus accedi potest.
						3. inaccessorum.
				2. Altitudinibus	}	1. ad quas accedere possumus.
						2. inaccessis.
				3. Figuris	}	1. rectilineis, quæ in triangula resolvuntur.
						2. Curvilineis { 1. Circulo. 2. Sectore.
		}	II. in Ararum ichnographiis perficiendis	}	1. si libere permeabiles.	
					2. ex duabus stationibus in verticibus angulorum immediate sequentium assumtis.	
					3. si integram perimetrum peragere licet.	

Non inconsultum est, ut titulum quoque Institutionum de jure personarum, quem paulo ante (h) in formam demonstrativam compegimus, in Tabulam mnemonicam redigamus, ut methodi utriusque tanto clarior evadat differentia.

H h 4

Ti-

(h) n. 11. §. 8.

Titulus de Jure personarum in Tabulam redactus.

Status hominum civiles sunt

- 1. *Definitio.* Est status hominis civilis, quo in dominio alterius est.
- 2. *Officium* servi, quod in determinandis actionibus domini iudicium sequi teneatur.
- 3. *Potestas* domini, (1. de servo ipso quod pro arbitrio; 2. de actionibus disponere possit) { servi liberis
- 1. *Servitus, ubi notetur* {
 - 4. *Species* {
 - 1. *ex natiuitate*, si quis ex ancilla nascatur.
 - 1. *captiuitate*, si quis in bello capitur.
 - 2. *pacto*, si 20 annis major se venundari patitur.
 - 2. *ex facto*
- 5. *Differentia*, quae quoad conditionem seu iura nulla.
- 1. *Definitio.* Est status hominis civilis, quo dominio alterius subiectus non est.
- 2. *Libertas, ubi notetur* {
 - 3. *Conditio* {
 - 1. quod nemo de ipso disponere possit pro arbitrio.
 - 2. quod ipse de se & actionibus suis pro arbitrio disponere possit
- 3. *Differentia*, quod homines liberi sint, {
 - 1. ingenui.
 - 2. libertini.

§. 7. Tabulas hæc non tantum usus sa-
bularum
mnemo-
nicarum
ad ju-
vandam
memo-
riam. ideo appolvimus, ut, quæ de earum con-
structione a nobis dicta sunt, clariora e-
vaderent; verum etiam ut usus earun-
dem magis pateret, de quo adhuc nobis
dicendum erit. Tabulæ mnemonicæ
singula, quæ ad notionem rei spectant,
ita exhibent, ut & uno obtutu compre-
hensa peculiarem sui ideam animo in-
tuentis ingenerent, & singula distincte
considerata ad peculiariora tabulæ loca re-
ferantur. Eadem igitur hic obtinent,
quæ in corpore organico distincta no-
tione comprehendendo & vi ideæ cu-
jusdam confusæ memoriæ retinendo.
Quemadmodum enim corpus organi-
cum, v. gr. arborem aliquam, uno ob-
tutu comprehendere ac ejus veluti ima-
ginem memoriæ imprimere potes, ut,
quotiescunque volupe fuerit, menti
eamdem tanquam præsentem exhibere
ac tamdiu præsentem retinere valeas,
quamdiu visum fuerit; ita similiter ta-
bulam mnemonicam, quemadmodum
modo dictum est, uno obtutu compre-
hendimus & diuturno conspectu ejus
quandam imaginem memoriæ infigi-
mus, ut eandem menti exhibere ac veluti

H h s

co-

coram intueri possimus, quotiescunque placuerit. Sicuti corpus organicum attenta mente perlustrare datur, ut attentionem nostram successively in aliam aliamque partem promoveamus, sicque notionem ejus distinctam acquiramus & figillatim enunciabilia propriis suis nominibus efferre discamus; ita etiam tabulam mnemonicam in suas resolvere partes absque ullo labore licet, cum singulas a ceteris ita distinctas exhibeant, ut nudo visu distingui possint, atque in singulis tantummodo legenda sint verba, ubi ea enuncianda, quæ eadem tanquam loca recipiunt. Quamobrem tabulæ mnemonicæ ita comparatæ sunt, ut facillime notione distincta comprehendantur, quæ notionem objecti cujusdam ingrediuntur, vel quomodocunque ad eandem spectant. Et quoniam ea, quæ distincte percipiuntur, memoriæ facilius mandantur atque diutius retinentur, quam quæ confuse percipiuntur (i); tabulæ mnemonicæ ad integram objecti alicujus notionem memoriæ mandandam diuque retinendam mirifice profunt. Nascitur præterea ex tabulis

(i) §. 200 Psycholog.

bulis istis memoria localis & artificiosa. Localis nascitur memoria, quatenus novimus, quænam in hac vel ista tabula, in hac vel ista tabulæ parte sint quærenda. Artificiosa nascitur memoria, quatenus loca tabulæ & numeri iis adscripti ac in iisdem descripti in memoriam nobis revocant, quod alias eandem non subiret. Habent adeo suum usum, quem habere debent, & jam abunde patere existimo, quod superius (§. 1) affirmavi, ingens memoriæ subsidium in tabulis mnemonicis consistere. Quamvis itaque serio optemus, ut disciplinæ tandem omnes, quocunque nomine veniant, in systemata redigantur, methodo demonstrativa dextre applicata; non minus tamen optamus, ut posthac in systematis demonstrata in tabulas quoque mnemonicas redigantur, ne scilicet intellectus luce, nec memoria adminiculis destituatur.

§. 8. Usus, de quo diximus, manifestus est ac veteribus satis perspectus, quas memoriam artificiosam penitus intellexisse constat (k). Enimvero annotanda quædam adhuc sunt de usibus usus tabularum mnemonicarum in integra rei notione aliis, quæ in

(k) Vid. Autor ad Herennium lib. 4.

memori-
am re-
vocanda.

aliis, qui non statim unicuique in conspectum veniunt. In Tabulis mnemonicis omnia continentur rei prædicata, quæ eidem tribui posse constat & in futurum usum memoriæ mandari consultum est. Singula in iisdem ita collocantur, ut locorum tam generalium, quam specialium subsidio in memoriam facile revocentur ac tenacius, quam alias fieri solet, eidem infigantur. Eorundem locorum beneficio prædicata rei convenientia inter se connectuntur, ut unum ad cetera in memoriam revocanda aptum efficiatur. Tabulæ igitur mnemonicæ hunc præstant usum, ut, quoties de re cogitandi occasio nobis offertur, omnium eorum absque memoriæ defatigatione meminisse possimus, quæ eidem conveniunt: id quod alias aut prorsus fieri nequit, aut non adeo facile fieri solet, præsertim si non singulas propositiones, quas in systemate didicisti, æque familiares experiaris. Cum enim in systemate propositiones singulæ sigillatim memoriæ imprimantur, citra ullum ad alias respectum, eadem mentem subeunt, quoties de iis cogitandi occasio nobis offertur, quæ notionem sub-

subjecti ingrediuntur (1), nec aliis ejusdem rei prædicatis in memoriam revocandis per se inserviunt, nisi ex accidente id fiat, quatenus cum notione subjecti absolute considerati plura prædicata absoluta cohærent, vel cum eadem variaz determinationes ejusdem ita connectuntur, ut objectum in se cogitare non possimus, quin determinationes istæ per legem imaginationis simul recurrant & per legem memoriæ recognoscantur, veluti quod in systemate memoriæ localem habeas. Multo magis autem tabulæ hunc usum præstant, ut omnia, quæ de re aliqua nobis innotuerent, nobis pateant, si eas ad manus habeamus & quando de re cogitandi occasio offertur, easdem consulamus. Etenim tum solo adspectu innotescunt ea, quæ de re explorata sunt. Dantur autem casus, in quibus utile est in potestate sua habere memoriæ omnium prædicatorum, tam absolutorum, quam hypotheticorum, quæ rei competere constat. Sane qui propriis meditationibus veritatem in apicem producere conantur; eorum memoriæ habere debent,

(1) §. 104 Psychol.

bent, quæ jam ante inventa sunt. Neque semper fieri potest, ut singula memoriæ adeo tenaciter sint infixæ, ut nomen subjecti non modo prædicata singula absoluta, verum etiam omnes determinationes hypotheticis respondentibus una cum ipsis hypotheticis prædicatis in memoriam revocare aptum sit, nisi tabularum mnemonicarum artificii juvemur. Inprimis autem prorsus impossibile est, ut eadem facilitate id fiat, qua tabulæ mnemonicæ ipsis oculis spectanda obijciunt per legem reminiscentiæ in memoriam alias revocanda. Præterea notandum est, ordinarie equidem ex notione subjecti animadversa colligi prædicatum, dum propositio aliqua applicatur, sed tamen subinde quoque ex prædicato animadverso colligendam esse notionem subjecti, atque in hoc casu posteriori non, semper eadem facilitate recurrere notionem subjecti, qua notio prædicati vi hujus reproducur: id quod in præsentibus fusius persequi non datur. Tabulæ igitur mnemonicæ, quas legitime constructas esse suppono ex systemate prædicatis convenientes subjecti notionem facillime suggerunt: id quod

quod insignem usum habet, ubi a posteriore veritas investiganda, nimirum quando ex iis, quæ rebus accidunt, observatis quæruntur eorundem causæ, atque præsertim nosse desideramus, utrum plures earundem mutationum esse possint causæ & quomodo vel ex differentia effectus colligi queat diversitas causæ, immo per eandem diversæ causæ a se invicem sint discernendæ.

§. 9. Vidimus in tabulis mnemoni-
cis contineri omnia rei prædicata, tam
aboluta, quam hypothetica, per locos
speciales ita disposita, ut in iisdem be-
neficio numerorum, in diversis vi loco-
rum generalium inter se connectantur,
ut adeo notionem rei cujuscunque di-
stinctam formare liceat, quatenus ea per
tabulam exhibetur. Patet autem eodem
prorsus modo formari tabulæ mne-
monicæ notionem distinctam, quo di-
stinctam objecti alicujus notionem no-
bis acquirimus (m). Quare cum exer-
citatione comparetur habitus omnis; si
quis tabulas mnemonicas diligenter re-
solvit, ea memoriæ firmiter infixurus,
quæ in iisdem continentur, hoc ipso
no-

*Tabula-
rum mne-
monica-
rum usus
in com-
paranda
facultate
res distin-
cte perci-
piendi.*

(m) §. 678 Log.

notionis distinctæ ac modi eam formandi ideam exemplarem quasi aliud agendo acquirit, ut ipso usu inter perceptionem distinctam & confusam distinguere possit & ad res distincte percipiendas invitetur. Intellectus adeo simul perficitur, dum memoriæ extendendæ studemus. Atque hic usus sane præclarus est, major quam videbitur iis, qui confusis perceptionibus adæueti de re sibi ignota judicare nequeunt.

Tabularum mnemonicarum usus in facili tandem repetitione.

§. 10. Quoniam tabulæ mnemonicæ concinna brevitate complectuntur omnia, quæ de re quadam nobis innotuere, ut brevi temporis spatio perlustrari integræ possint; repetitioni eorum, quæ de re didicimus, admodum conducunt. Repetitio nimirum multo eum laboris; tum temporis compendio beneficio istarum tabularum absolvitur. Nullus fere labor est, quem repetitioni impendimus, cum oculos tantummodo successively ab uno loco ad alterum promoveri teneamur, & hi ipsorum locorum dispositione dirigantur, ut justo tramite ab uno ad alterum pergant. Neque labor, qui repetitioni impenditur, tardium ullum repetentibus creat: sunt

etenim loci justo ordine dispositi & discreti a se invicem in oculos incurrunt singuli, ut adeo tabulam perlustranti sponte sua sese, insinuet ordinis perceptio ac mens distinctæ perceptionis, dum tabula perlustratur, sibi sit conscia. Enimvero ea est mentis humanæ natura, ut ex ordine non minus, quam distincta perceptione voluptatem capiat. Jucundus autem labor is est, qui duplici voluptate, eaque non vulgari, mentem perfundit. Vides itaque, quam non sit molesta repetitio, quæ tabularum mnemonicarum auxilio absolvitur. Tabulæ mnemonicæ hoc ipso insignem prorsus utilitatem præstant, quod repetitionem adeo faciliunt, ut minimo aliquo temporis spatio absolvi possit, quamdiu idæ adhuc sunt familiares. Etenim hoc pacto, quæ semel didicimus, facillime memoria retinemus, si vel maxime negotiis obruti otio careamus, quod repetitioni utiliter impendendum. Obiter enim & quasi aliud agendo veteres idæ renovare valemus, dum tabulam mnemonicam vel fugitivo oculo percurrimus, mente tamen quantum sufficit attenta. Plurimi fa-

(*Her. subj. 1730.*) li ne

ne oblivioni vel inviti tradere coguntur, quæ olim didicere & utiliter memoria retinerent, quod iisdem repetendis non suppetat sufficiens temporis spatium. Quodsi ergo tabulæ mnemonicæ ipsis essent, quarum auxilio absque ullo temporis dispendio repetere possent memoria constanter conservanda; non obstante negotiorum mole ideas veteres familiares sibi custodire possent; ne memoria elaberentur. Ut clarius intelligas, quantum interfit, num repetitio ope tabularum mnemonicarum instituat, an systematis; perpende, quæ superius de triangulo dicta sunt, tum quatenus in systemate continentur (§. 3), tum quatenus tabulis mnemonicis comprehenduntur (§. 6). In systemate enim non uno in loco comparent, quæ de triangulo notanda sunt; sed passim per integrum systema dispersa leguntur. Quamvis igitur propositiones a demonstrationibus distinguantur, ut in oculos statim incurrant; non tamen commode simul repetuntur, quæ ad triangulum spectant; multo minus fugitivo oculo singula percurrere licet, quorum meminisse debemus.

Deest

Deest præterea subsidium memoriæ artificiosæ, quo ideæ memoriæ demandatæ facilius reproducentur & recognoscuntur, & quod reminiscentiæ servit, si quid memoria elapsum in eandem revocari debet. Propositiones in systemate ea forma exhibentur, quæ ad demonstrationem composita, cum id unice agatur, ut intellectus luce illustretur; sed in repetitione molestiam creat, ubi intellectu luce jam collustrato celerem idearum successionem amamus. Ex adverso autem tabulæ mnemonicæ uno obtutu exhibeat, quorum meminisse volueris. Singula fugitivo oculo perlustrare licet, ut eorum renovetur memoria. Adest subsidium memoriæ artificiosæ, distributio rerum per loca, quod quantum sit supra diximus. Quæ rei conveniunt, concinna brevitate enunciantur, quæ ideis luce intellectus in systemate perfusis renovandis sufficit, ut celeritas in enunciando respondeat celeritati cogitandi: id quod gratissimum imprimis accidit, ubi temporis angustia urget, ut statim ad finem perducatur repetitio. Quod si rerum systematica tractatione perceptarum repe-

titio ope tabularum mnemonicarum instituat; ideæ lucidæ redeunt, et si vocabula in tabulis occurrentia ideæ saltem, non autem luci ejusdem producendæ inserviant, per legem scilicet imaginationis atque memoriæ. Adest sensus claritatis, quam a definitionibus legitime sibi invicem subordinatis in systemate hauserunt. Adest sensus evidentiz, quam in nexu inter subjectum & prædicatum singularum demonstrationum percipiendo produxit demonstratio. Quamdiu sensus claritatis & evidentiz ideæ reproductæ adhæret; ideæ lucida est. Et hinc colligitur, cur systematica rerum tractatio præcedere debeat, ut usus tabularum mnemonicarum sit luculentior.

Usus tabularum mnemonicarum in idearum acquisitionum deterioratione sistim observanda.

§. 11. Enimvero habent tabulæ mnemonicæ ulum adhuc alium, qui quantivis pretii existimari potest, scilicet ut certi esse possimus, num eorum, quæ didicimus, omnium adhuc memoriam habeamus, num nobis sint familiaria, num ideæ illorum adhuc lucidæ sint, & ut tempestive cognoscamus, ideam aliquam tendere ad corruptionem, quatenus aliquid lucis amittit, qua ante per-

fu-

fusam meminimus, vel eam reprodu-
cendi ac recognoscendi difficultas quæ-
dam nascitur. Nimirum quando fu-
gitivo oculo tabulas mnemonicas per-
currimus, & cum verbis ibidem collo-
catis jungendas ideas familiares expe-
rimur; illarum luce perculsi sensum
claritatis ac evidentix percipimus, utut
ideas ipsas reproductas non intueamur.
Atque ex eodem statim intelligimus,
ideas semel acquisitas nullam prorsus
deteriorationem passas fuisse. Et,
quodsi experimentum capere volueri-
mus, verbis concinnis expressa uberius
explicare & ad ideam, quæ nobis rem
tanquam præsentem repræsentat; eadem
referre valemus. Enimvero siquidem
quidpiam oblivioni tradiderimus, ver-
ba in loco descripta respicientes aliquid
obscuritatis nobis affundi percipimus,
atque hoc ipso obscuritatis sensu, quem
alias nos non habuisse meminimus, ad-
monemur ad deteriorationem vergere
ideam, vel notionem verbis responden-
tem. Quamobrem ut defectui lucis
medeamur, & deteriorationem ulterio-
rem avertamus; utendum est remediis,
quæ oblivionem arcent, nimirum vel

per reminiscentiæ legem renovanda idea-
feu notio est ac aliquoties animo reco-
lenda, vel si & ipsa nos destituat, ad sy-
stema recurrendum, unde lucem hau-
simus. Nemo non videt, quod in præ-
senti casu nobis præstant tabulæ mne-
monicæ, auxilium aliunde expectari vix
posse. Atque adeo hinc earundem in-
dispensabilis quædam necessitas elucet.
Ecquis enim est, qui negare ausit, pluri-
mum referre ut tempestive admonearis,
ideas vel notiones acquisitas ad dete-
riorationem vergere, præsertim ubi me-
moriz non mandasti, nisi quæ ad ratio-
cinandum tum in scientiis, tum in vita
communi utiles sunt. Mihi usus hic
adeo eximius videtur, ut, si tabulæ mne-
monicæ alio omni destituerentur, ejus
soli gratia easdem condi consultum
foret. Nihil sane difficilius est, quam ut
rerum plurium memoriam tenaciter
servemus, præsertim ubi negotiis ge-
rendis admoti disciplinis vacare non
amplius datur. Hinc sane nascuntur
illæ querelæ, plurima addisci in certissi-
mam spem oblivionis, non quod inuti-
lia existimentur, quæ memoria retinean-
tur; sed quod eadem retineri impossi-
bile

bile fit. Per tabulas igitur mnemonicas obtinere licet, quod impossibile alias habetur, ut rerum utilium notitiam conserves, etsi de iis cogitandi occasio raro tibi offeratur, nec iis animo recolendis otium negotia, quæ tibi incumbunt, concedunt.

§. 12. Tabulæ mnemonice usum quoque habere possunt, in præparandis tyronibus ad tractationem systematum. Si quis ad systematum lectionem accedit, maximam difficultatem inde sentit, quod notiones principiorum demonstrationes propositionum ingredientis nondum familiares experiatur. Unde accidit, ut alii a legendo systemate statim in limine arceantur; alii multa tædia per longum temporis spatium devorare teneantur, antequam inoffenso pede progredi possint. Consultum igitur foret, ut, antequam animum ad legendum systema quis appelleret, definitiones ac propositiones palmarias, quarum in demonstrationibus usus esse solet, sibi familiares redderet. Sufficit autem sola notionum definitionibus ac propositionibus respondentium claritas, nec ratio hic habenda est, evidentia

Usus tabularum mnemonicarum isagogicus.

ex systemate demum haurienda. Id nimirum tantummodo agendum est, ne in definitionibus admittantur termini obscuri, adeoque parum intellecti, & ne in propositionibus adhibeantur termini nondum definiti, nisi vocabulis notio obvia etsi confusa ex communi loquendi usu respondeat. Nihil igitur hic præsupponitur, quo imbuendus sit animus tyronis, antequam ad systematis lectionem admittatur, nisi quod in tabulas mnemonicas referri potest. Vidimus enim (§. 3), in tabulis mnemonicis locum esse definitionibus atque propositionibus. Definitiones etiam in tabulis mnemonicis ita ordinari possunt, ut præcedant eæ, quæ ingrediuntur sequentes. Quamobrem in tabulis quoque mnemonicis claritatem habere possunt. Propositiones cum a definitionibus claritatem habeant; quo ordine collocentur parum interest, modo definitiones præcedant. Utiliter igitur tabulæ mnemonicæ construuntur in usum tyronum, ut inde hauriant, quæ systematis lectionem faciunt. Illarum auxilio brevi temporis spatio addisci possunt, quæ a lectione systematis omnem

omnem moram auferunt, ut adeo neminem pœniteat laboris, quem in tabulis mnemonicis sedulo perlustrandis posuit. Quoniam tabulæ mnemonicæ isagogicæ, de quibus hic loquimur, non omnia complectuntur, quæ in systemate demonstrantur, sed aliqua tantum præ ceteris in ipso systemate utilia: tabulæ mnemonicæ isagogicæ ceteris contractiores sunt. Consultum autem est eas ita adornari, ut ex ceteris transcriptæ videantur, nonnullis saltem omissis, quæ suis locis facile inseruntur, ubi ampliores desideras. Ita nimirum id consequeris, ut a systemate ad tabulas mnemonicas redux non confundaris, ideis ex isagogicis redeuntibus.

§. 13. Quoniam igitur ope tabularum mnemonicarum facilius retinetur, quæ didicisti, quam absque illarum auxilio fieri solet; immo si in quibusdam hæreas, nuda tabulæ inspectione animum a dubitatione extemplo liberare vales; hunc quoque præsentissimum præstant usum, ne lapsu memoriæ rei tribuas, quod eidem minime convenit. Plurimos errores lapsu memoriæ committi experimur, si in rationem

usus tabularum mnemonicarum in lapsibus memoriæ vitandis.

erroris admissi inquirimus. Et viri præfertim eximii errantes in iis, quæ a tyronibus erronea deprehenduntur, lapsu plerumque memoriæ in errorem incidunt: cui & calculi ut plurimum debentur errores, quos ab artis peritissimis committi notissimum est. Quamobrem cum tabulæ mnemonicæ lapsus memoriæ avertant; erroribus quoque præcavendis inserviunt, alias vel in dogmatis, vel in negotiis humanis committendis, prouti veritatis usum facimus vel in disciplinis ad ulteriora proprio Marte progressuri, vel actiones nostras in vita communi directuri, aut de rebus obviis iudicium nostrum interposituri. Agnoscere veteres, quanti intersit lapsus memoriæ evitari. Quamobrem de remediis solliciti fuere in iis maxime casibus, ubi maxime nocui esse poterant. Exemplum nobis præbet doctrina syllogistica in Logica, ubi varia occurrunt subsidia memoriæ, ne in ratiocinando labamur, cum nullibi magis noceat lapsus memoriæ, quam si ratiocinando in formam impingas. Obiter monemus, si quis doctrinam syllogisticam, prouti ab *Aristotele* traditur, methodo demonstrativa analy-

analytica evolvit; cum vix aliunde ideam exemplarem clariorem nancisci posse illius differentia, quæ inter intellectum erudiendum & memoriam iuvandam intercedit, nec minus illius curæ, quam adhiberi opus est ut & intellectus luce collustretur, & memoria in ideis lucidis exhibendis fidelis evadat. Etsi vero tabulæ mnemonicæ eximium præstent usum ad lapsus memoriæ præcavendos; sunt tamen alia adhuc remedia, quibus præsertim in istiusmodi casu opus est, ubi tabulæ mnemonicæ nos destituunt. Istiusmodi remedia doctrina syllogistica duplicia suppeditat, scilicet nomina essentialem significatum habentia & verficulos memoriales. Sed de his in præsentem dicere nostrum non est.

§. 14. Poterant tabulæ mnemonicæ ^{vsus ta-} ^{bularum} ^{mnemo-} ^{nicarum} ^{in veri-} ^{tate in-} ^{vestiganda.} inservire quoque inventoribus, iis præsertim, qui variis de causis notiones ad inveniendum utiles non adeo familiares experiuntur, ut, quoties iisdem opus habent, veluti sponte sua iisdem succurrant. Impossibile tamen est, ut ad notiones superiores progrediaris nisi auxilio illarum, quæ in catena veritatum antecedunt. Neque enim veritas invenitur

tur nisi ex aliis jam inventis, ubi meditando erui debet. Quæ igitur ab aliis jam inventa sunt, perspecta esse debent ei, qui ulterius progredi voluerit. Quod si quis totus uni disciplinæ ita incumbit, ut omne tempus in eadem consumat, quemadmodum Geometræ puri in figuris & calculis consenscunt; illis quinotiones familiares esse debeant, quibus in veritate investiganda utuntur, extra omnem dubitationis aleam positum est. Enimvero si quis se totum uni disciplinæ tradere nequit, ut tempus omne in eadem consumat, sed plura simul tractare aliisque vitæ negotiis sese immergere teneatur; ei idæz non adeo familiares esse possunt: id quod cum non facile in dubium revocari possit, uberius confirmari opus non est. Quod si per varios libros dispersa demum conquirere debeat principia, quibus ad ratiocinandum opus est; labor non modo augetur & animus multiplici tædio defatigatur, verum etiam sæpissime tempus in quærendis iis, quæ nosse desideras, inutiliter collocatur. Enimvero labori huic supersedere potest, nec tædia ista devorare, nec tempus inutiliter

te-

terere tenetur, qui tabulas mnemoni-
cas ad manus habet, ubi loci generales
dirigunt, ſpeciales veluti attrahunt ocu-
los ad ea, quorum memoriam habere
debes, ubi in meditando progredi vo-
lueris. Sunt equidem adhuc ſubſidia
alia, quibus inventores juvari poſſunt:
ſed de his ut in præſenti dicamus ab in-
ſtituto noſtro alienum. Erit aliquan-
do illis in Arte inveniendi locus, ſi Deus
vitam ac corporis animique vires tam-
diu nobis conſervat, donec ad eam in
artis formam redigendam animum ap-
pellere poſſimus.

§. 15. Veteres oratori commendabant *uſus ta-
bularum*
memoriam artificialem, ut meminerit *mnemo-
nicarum*
eorum, de quibus ipſi dicendum: unde *ſpecialis-
ſimarum.*
Autor ad *Herennium* artem oratoriam
tradens memoriam quoque artificioſam
in uſum oratoris accurate deſcribit (k).
Memoria artificioſa & tabulæ mnemo-
nicæ in eo conveniunt, quod utrobique
res, quarum meminiffe debes, distribu-
antur per locos; in eo autem differunt,
quod memoria artificioſa juvetur ima-
ginibus in locis reponendis; tabulæ au-
tem mnemonicæ in locis tantum ha-
beant

(k) lib. 4.

beant reposita vocabula concinne enunciantia, quorum memoriam habere debemus. Integra oratio secundum regulas artis oratoriae ita resolvi potest, ut commode tota dispositio in tabulam mnemonicam redigatur, quae singula, quorum meminisse debet Orator orationem recitaturus, memoriae offerat. Quamobrem tabulis mnemonicis uti potest Orator loco memoriae artificiosae. Immo si quis ingenio abundet, is sub imagine quadam tabulam mnemonicam imaginationis auxilio menti exhibere valet: ut utrumque auxilium, tabularum scilicet mnemonicarum & memoriae artificiosae, jungatur. Enimvero non modo oratori hunc usum pollicentur tabulae mnemonicae, verum etiam aliis quacunque occasione & quemcunque in finem de re aliqua verba facturis, ne quid praetermittant eorum quae dicenda sibi proposuerant, utque eo singula ordine proferant, quae sibi praescripserunt. Ita docturi alios tabulis mnemonicis juvantur, & earum beneficio attentionem discipulorum excitant, eorundemque memoriam juvant, ut, quae dicenda sunt, suis locis reposita
faci-

facilius memoriz demandentur eademque retineantur. Lectionem nimirum totam in partes resolvere tenetur docens easque ad classes quasdam generales ac speciales referre, ut nascantur loci tabulæ, per quos dicenda disponi debent. Specialiora non addo, cum antecedentium gnarus ea facile per seipsum reperire possit.

§. 16. Atque ita abunde satis patere arbitror tabulas mnemonicas insignem prorsus habere utilitatem; ut contemni minime debeant, etsi quam maxime consultum sit, ut disciplinæ in univcrsum omnes in systemata veri nominis redigantur. Utrumque necessarium est, ubi nec intellectus luce sua, nec memoria subsidiis necessariis seu adminiculis destitui debet. Veteres (id quod ex epistola *Aristotelis* ad *Alexandrum M.* liquet) a systematis veri nominis condendis, quale in *Mathesi* dederat *Euclides*, erant alieniores, ne scientiam propalarent, sed indignos ab ea arcerent. Quamobrem non proponebant nisi ea, quæ memoriz mandanda sunt, ne desint principia ad ratiocinandum in vita communi utilia. Sane *Aristoteles*,
quem

quem methodum demonstrandi optime intellexisse constat, & qui vel sola doctrina syllogistica abunde probavit, quod penitus perviderit discrimen, quod inter methodum, qua intellectui lux affundenda, ut veritatem intime perspiciat, & inter methodum, qua memoria succurritur, ut, quæ ad usum vitæ discuntur, memoriæ facile mandentur & tenaciter eadem retineantur, intercedit, systema condere potuisset, si voluisset, quemadmodum & ipse laudata paulo ante epistola innuit: sua tamen ita proposuit, ut difficulter intelligantur, memoriæ tamen facile mandentur. Enimvero nobis consultius videtur sequi morem Mathematicorum & veritatem ita proponere in systemate, ut cognosci ab iis possit, qui industriam suam desiderari non patiuntur. Non minus tamen consultum videtur, veritatem agnitam in eum ordinem redigi, ut facile in usum ratiocinandi memoria custodiri possit. Tabulis igitur non minus mnemonicis, quam systematis pretium statuimus, sed utrisque suum. Usus enim diversus habent, nec eodem pretio censeri possunt. Quod si quis ea perpenderit,

derit, quæ hic de tabulis mnemoni-
 dicta sunt, & quæ alias de systematis ve-
 ri nominis præcepimus; is pretium u-
 trisque reddet suum, nec systemata in
 contemptum tabularum mnemonica-
 rum, nec mnemonicas tabulas in præ-
 judicium systematum extollet.

IV.

*De notione Naturalis, Præternatu-
 ralis & Nonnaturalis in Arte Medica.*

§. I.

IN Cosmologia (1) explicavimus no-<sup>Institu-
 tionem naturalis, ibidemque osten-
 tum Au-
 toris.</sup>
 dimus naturali opponi supernatu-
 rale, quod & miraculi fert nomen, ita ut
 naturale ac supernaturale sint contra-
 dictorie opposita atque adeo inter ea
 non cadat tertium. Enimvero Medi-
 ci, quibus cum supernaturali nihil est
 negotii, præter naturale admittunt ad-
 huc præternaturale & non naturale, at-
 que adeo duo intermedia inter natura-
 le & supernaturale locum habere viden-
 tur. Consultum igitur videtur notio-
 nes Medicorum hic explicare, ut appa-
 (Hor. subj. 1730.) Kk reat

(1) §. 509 & seqq.

reat nullum esse inter Philosophiam & Medicinam diffensum.

Idem clarior explicatur.

§. 2. Quando Medici de statu corporis vel singularum ejus partium loquuntur, præternaturalem opponunt naturali ita quidem, ut inter hosce duos status non admittatur alius intermedius. Quando vero de rebus tanquam morborum causis loquuntur, eas in naturales, præternaturales! & non naturales distinguunt. Non igitur absolute explicant, quid sit naturale; sed quinam status corporis dicatur naturalis, quinam præternaturalis: quænam res respectu corporis humani dicendæ sint naturales, quænam præternaturales, quænam non naturales, quatenus præfertim causæ morborum esse possunt. Intentio igitur Medicorum ab intentione philosophi prorsus est diversa. Philosophus enim in genere inquit, quænam respectu corporum ac totius mundi corporei naturalia dicenda sint, ac eo sensu citra respectum specialem Medicorum status etiam præternaturalis corporis est effectus naturalis non minus quam is, quem naturalem appellant, immo uterque status naturalis dici

dici potest. Eodem sensu res omnes in rerum naturalium numero sunt, & quæ a Medicis naturales, & quæ non naturales, & quæ præternaturales appellantur. Nihil autem obstat, quo minus Medici utantur terminis semel receptis & hoc tamen non obstante principia philosophica de naturali, quæ in Cosmologia tradidimus utiliter applicent ad ipsum statum corporis præternaturalem, ad ipsas quoque res cum præternaturales, tum non naturales. Atque id potissimum est, quod jam docere intendimus.

§. 3. Primum itaque explicandum nobis est, quinam status corporis dicatur naturalis, seu quod perinde est, quinam dicatur esse secundum naturam, scilicet corporis. Cum anno superiori (m) in notionem sanitatis via analytica inquireremus, jam docuimus, omnes nostri corporis partes suas habere functiones easdemque vi structuræ suæ aptas esse ad functionem suam, nec aliam ab eadem proficisci posse, nisi ad quam per structuram suam apta est. Ibidem docuimus dari in corpore principium activum, quo functionum

*Quinomo
status dic
atur nat
urals,
seu secun
dum nat
uram.*

K k 2 ista-

(m) Trim, æstiv, Num. IV.

istarum actualitas determinatur. Jam is corporis status, quo singulæ ipsius partes ad functionem suam aptæ sunt & vi principii activi corporis functiones ad actualitatem deducuntur, naturalis corporis status dicitur. Similiter status uniuscujusque partis, quo ad suam functionem apta est & occasione ita ferente vi principii activi functio ejusdem ad actualitatem determinatur, status ejusdem partis naturalis appellatur. Accuratius vero loquimur, si utrumque statum cum *Galeno* dicamus esse κατά Φύσιν, id est, secundum naturam corporis scilicet humani. Etenim uterque status naturalis est secundum notionem quoque philosophicam atque communem; sed talis, qui est secundum naturam ipsius corporis, aut naturæ corporis humani conveniens. Explicandum hoc nobis est paulo distinctius ut & veritas asserti appareat ac veteres rationem denominandi a veritate desumpsisse constet. Partes corporis humani aliæ in functione sua spectantur ut organicæ, aliæ ut mixtæ. In priorem censum veniunt partes solidæ; in posteriorem potissimum fluidæ, veluti

lan-

sanguis, unde pendet nutritio corporis, & semenvirile, a quo facultas generandi pendet. In Cosmologia evicimus mutationes corporis organici naturales esse, quæ per structuram ejus juxta regulas motus explicari possunt (n). Jam cum in statu, qui secundum naturam dicitur, non aliæ functiones organi consequantur, quam quæ vi structuræ secundum leges motus consequi possunt, functiones istæ utique naturales sunt & status, qui per possibilitatem istiusmodi functionum constituitur, utique & ipse naturalis est. Similiter in eadem Cosmologia evicimus (o), mutationes mixtorum naturales esse, quæ per mixtionem & modum, quo corpuscula mixti inter se junguntur, juxta regulas motus explicari possunt. Jam cum in statu, qui secundum naturam est, non aliæ functiones mixti consequantur, quam quæ vi mixtionis consequi possunt, functiones istæ de novo naturales sunt & status, qui per functionum illarum possibilitatem determinatur, non minus naturalis. Quod si ergo status singularum partium fuerit

Kk 13

Te-

(n) §. § 13 Cosmol. (o) §. § 12 Cosmol.

secundum naturam, atque adeo naturalis; erit quoque status totius corporis naturalis, cum status corporis totius non differat a statu singularum partium simul sumto. Idem adhuc alia ratione ostenditur. Partem aliquam corporis humani esse in eo statu, qui secundum naturam est, ex eo intelligitur, quod vi structuræ suæ, vel etiam mixtionis sit apta ad certas functiones & vi principii activi, quod datur in corpore humano, ad actum deduci possint istæ functiones. Corpus vero humanum totum est in eo statu, qui est secundum naturam, quando singulæ partes in eodem sunt. Quare cum in structura corporis organici essentia organici (p), in mixtione autem essentia corpusculorum mixti consistat, sicuti essentia ipsius mixti in modo, quo corpuscula mixti inter se junguntur (q); principium autem actionum & passionum corporis humani sit id, quod naturæ nomine venit (r): ratio ejus status, qui secundum naturam est, in essentia & natura partium corporis, sicuti

(p) §. 276 Cosmol. (q) §. 257 Cosmol.

(r) §. 145 Cosmol.

singulis partibus sermo fuerit; in essentia vero & natura totius corporis humani, si de eodem quaestio fuerit, continetur (s). Status igitur iste, qui secundum naturam est, tum quoad singulas partes, tum quoad totum corpus naturalis est (t). Patet adeo statum istum, quem Medici secundum naturam esse dicunt, esse naturalem secundum notionem philosophicam atque communem. Enimvero videamus jam porro, quo sensu is dicatur secundum naturam ipsius corporis, aut naturæ corporis humani conveniens. Agnovere veteres, quemadmodum alias exponemus disertius, naturam corporis humani esse, sui conservatricem. Status itaque ille naturæ humanæ conveniens est, seu eidem minime contrarius, in quo omnia tendunt ad ejus conservationem. Enimvero ostendi potest ac ipsa quoque experientia idem a posteriori confirmat, in eo statu, quo singulæ corporis humani partes aptæ sunt ad suas functiones & eadem functiones per principium activum in corpore ad actualitatem determinari possunt,

Kk 4 omnia

(s) §. 56 Ontol. (t) §. 509 Cosmol.

omnia tendere ad corporis conserva-
tionem, seu totum corpus humanum
ita comparatum est, ut conservari pos-
sit, nec aliqua ex parte metuenda sit
corruptio. Status igitur iste naturæ cor-
poris humani minime contrarius est, sed
eidem convenit. Hoc modo apparet,
quod status iste, in quo singulæ corpo-
ris partes ad functiones suas aptæ sunt,
àppositè admodum dicatur is, qui est
secundum naturam. Atque ita intelli-
gitur, veteres eundem ideo dixisse sta-
tum, qui est secundum naturam, qua-
tenus talis est, qualem conservatio cor-
poris requirit, adeoque quatenus inten-
tioni naturæ conservatricis, ut ita lo-
quamur, seu fini corporis humani a
Conditore rerum eidem præscripto re-
spondet. Nullus hic inter Philosophum
& Medicum dissensus; sed pulcherri-
mus potius consensus. Saltem notiones
Medicorum veterum confusæ, adeoque
a recentioribus non semper satis intelle-
ctæ, cum notionibus nostris distinctis
optime conveniunt, ut adeo philosophia
nostra Medicinæ lucem affundat ube-
riorem: cujus quidem rei specimina his
luculentiora in posterum dabimus.

§. 4. Videamus jam porro, quinam ^{Quinam} status corporis dicatur præternaturalis, ^{status di-} seu præter naturam, vel etiam contra ^{catur} eandem. Status præternaturalis oppo ^{præter} nitur naturali seu ei, qui secundum na- ^{naturalis} turam est, ut adeo in eodem contrarium ^{seu præ-} ejus obtinere debeat, quod in statu ^{ter natu-} altero, qui secundum naturam est, depre- ^{ram.} hendimus. Nimirum cum anno superi-
 (u) in notionem morbi inquire-
 remus, ostendimus dari aliquem sta-
 tum corporis humani, in quo organa
 singula seu partes aliz corporis huma-
 ni non sunt aptæ ad functiones suas,
 ad quas vi structuræ suæ destinantur,
 nec functiones istæ vi principii activi,
 quod in corpore datur, ad actualitatem
 amplius determinari possunt. Ille igitur
 status cum sit contrarius ei, qui se-
 cundum naturam esse dicitur, est is,
 quem Græci *παρὰ φύσιν* appellant, La-
 tini vero nunc præter, nunc contra na-
 turam vertunt. Enimvero nostrum
 jam est ut ostendamus, statum istum
 esse corpori humano non minus natu-
 ralem, quam cum, qui secundum na-
 turam est; admodum apposite autem

Kk 5 di-

(u) Trim. autumn. num. IV.

dici, quod sit præter aut, si mavis, contra naturam corporis scilicet humani. In statu præternaturali pars aliqua corporis humani non amplius apta est ad eam functionem, ad quam vi structuræ destinatur, nec functio illa vi principii activi ideo amplius ad actum deduci potest. Quamobrem vel structura illius partis vitari debet, quo minus amplius functioni suæ sufficere possit, vel impedimentum aliquod adesse debet, quo minus vi principii activi in corpore humano functio ipsa actu consequi possit. Per ipsam adeo structuram partis intelligitur, quod hoc modo vitari vel tali obstaculo functio ejus sufflaminari possit, consequenter ratio cur fieri possit, ut ad functionem suam inepta evadat, in ipsa structura ejus continetur (x), seu in modo compositionis, ut generaliter loquamur. Quare cum mutatio, quæ parti corporis humani hoc in casu accidit, per modum, quo partes in eadem parte inter se junguntur, ac ipsa cum aliis jungitur, earumque qualitates atque per regulas motus, sine quo nullâ in corpore mutationem

(x) §. 56. Ontol.

nem accidere posse constat (y), explicari possit; utique naturalis est (z) atque adeo status quoque corporis, qui per istam mutationem explicari potest, naturalis est. Facile autem ostendi potest, quod status hic corporis, qui in se spectatus naturalis est juxta notionem naturalis philosophicam & communem, sit contrarius naturæ corporis humani. Vidimus enim paulo ante naturam corporis humani esse sui conservatricem & in statu eidem conveniente omnia tendere ad sui conservationem, nihil deprehendi quod eidem sit contrarium. Ast in statu corporis præsentis partes quædam non aptæ sunt ad suas functiones, ad quas vi structuræ ob finem corporis consequendum destinantur, atque adeo ad conservationem ejusdem nihil amplius conferre possunt, immo si vitium in organis vitalibus hæreat, ad destructionem corporis tendunt. Est igitur status hic naturæ corporis humani minime conveniens, sed potius contrarius. Apposite igitur status is, in quo partes corporis humani non sunt ad suas functiones

(y) §. 128 Cosmol. (z) §. 511. Cosmol.

nes aptæ, dicitur esse præter, seu contra naturam. Et sic patet ratio denominandi simulque liquet quod nihil dictum a veteribus, quod veritati philosophicæ contrarietur. Nihil enim repugnat, ut quid sit conveniens naturæ rerum in genere spectatæ, contrarietur tamen naturæ rei cujusdam in specie consideratæ, cum in natura rerum continuæ sint corruptiones & unius corruptio sit alterius generatio. Status igitur aliquis corporis per ipsam ejus structuram & naturam possibilis, qui ejus conservationi contrarius, & dantur in natura rerum causæ, a quibus juxta regulas motus seu ipsum naturæ ordinem ad actum perducitur. Hic status naturalis est, quatenus perinde ac cetera, quæ in mundo materiali sunt, naturæ viribus perficitur & in serie rerum naturalium continetur. Hoc tamen non obstante naturæ corporis humani contrarius est, quatenus vel nihil amplius confert ad corporis conservationem, vel ad ejus prorsus destructionem tendit.

Ampliatio significatur

§. 5. Equidem Medici, quorum omnis cura eo redit, ut sanitas corporis conservetur

servetur & morbi curentur, in distin-
guendo statu, qui secundum naturam status,
est, ab eo, qui præter seu contra eandem qui se-
est, ad conservationem corporis tanquam cundum
finem a natura intentum potissimum naturam
respexerunt: nil tamen obstat, quo mi- est & e.
nus ceteros quoque corporis humani ius qui
quoscunque fines & fines singularum præter
partium particulares simul respiciamus, eandem
qualescunque tandem illi fuerint. Ita est.
oculus quatenus consideratur tanquam
organum visus, visum tanquam finem
præfixum sibi habet. Ad hunc finem
consequendum per structuram & natu-
ram suam, quam videndi facultatem di-
xere veteres, vel etiam potentiam vi-
sivam appellarunt, rectius vim visivam
dixeris, aptus est oculus. Quamobrem
status iste, quo hanc aptitudinem habet,
secundum naturam oculi est, utpote
fini hujus organi conveniens. Enim-
vero si quacunque de causa contingat
oculum ad visionem fieri ineptum; sta-
tus iste oculi erit præter aut contra na-
turam ejus, utpote fini ejus contrarius.
Similiter musculorum finis est produ-
cere motus animales, seu motus orga-
norum corporis. **Quamdiu musculus**
aptus

aptus est ad movendum aliquam corporis partem; status iste secundum naturam muscoli est, utpote fini ejusdem conveniens. Enimvero si quacunque de causa contingat musculum ad motum producendum fieri ineptum; status iste muscoli est præter seu contra naturam ejus, utpote fini ejusdem contrarius. In Teleologiæ parte altera seu Tractatu de usu partium fines singularum partium corporis exposuimus. Quamobrem si eos consideraveris, ex iis judicium ferre poteris, quinam status uniuscujusque partis sit secundum naturam ejusdem, & si statum finibus istis contrarium ponas, habebis statum ejusdem, qui est præter, aut contra naturam ejusdem. Non vero hic opus est, ut status directe sit contrarius conservationi corporis humani, vel prorsus ad ejus destructionem tendat.

Vbi status duo diversi corporis explicentur.

§. 6. Ex dictis abunde intelligitur, utrumque statum corporis humani & singularum ejus partium esse non modo Medico, verum etiam Physico considerandum, nec unum ab altero absque ratione distingui. Medici officium est curare, ut sanitas conservetur, & morbis pro-

profligatis amissa restituatur. In statu naturali corpus sanitate fruitur, quemadmodum anno superiori docuimus; in præternaturali morbis laborat, quemadmodum itidem anno superiori ostendimus. Medico igitur negotium est tum cum statu corporis naturali, tum etiam cum præternaturali; quorum illum conservare, hunc tollere studet. Utrumque igitur perspectum habere debet. Hinc in Medicina duæ enatæ sunt disciplinæ. Altera considerat statum corporis, qui secundum naturam est: altera contemplatur statum ejusdem, qui præter seu contra eandem est. Illa dicitur Physiologia; hæc vero Pathologia. Enimvero status uterque tum is, qui secundum naturam est; tum alter, qui præter seu contra eandem est, naturalis est, quemadmodum ostendimus. Per naturam & essentiam corporis humani possibilis est & per causas naturales ad actum perducitur. Quamobrem cum Physici sit explicare, quænam per naturam corporum possible sunt & quomodo ad actum deducantur; ejusdem quoque est docere, quænam sit corporis status naturalis & per quas causas determinetur,

netur, & quinam sit status ipsius præternaturalis quasque habeat causas. Physiologia & Pathologia non minus ad Physicum, quam ad Medicum spectat. Diverſa tamen ratione Medicus & Physicus statum corporis naturalem ac præternaturalem considerant. Physici nimirum est reddere rationem omnium, quæ ad statum utrumque pertinent a priori; at Medico sufficit nosse, quod hæc vel ista ita sese habeant in utroque statu. Medicus enim acquiescit in iis, quæ ad praxin suam sufficiunt, nec ultra progrediatur opus est. Hinc non fundamento caret distinctio inter theoriam physicam & medicam; qua utuntur Medici quidam recentiores. Sane Medico sufficit nosse, quod musculus moveat partes corporis & quod reſectis nervis motoriis vel arteriis in eundem tendentibus fiat ad motum ineptus: enimvero Physicus ulterius progreditur & in modum inquit, quo a musculo motus producit; inquit etiam in rationem, cur nervis vel arteriis reſectis ad functionem suam ineptus evadat musculus. Limites tamen non adeo arcti constituuntur, quos transilire minime liceat. Sane
Medi-

Medici, recentiores præsertim, ea quoque theoriz suæ immiscent, quæ ad Physicorum forum spectant, præsertim cum Physici subinde suam desiderari patiantur industriam, & vulgo Pathologiam prorsus non attingant, immo ne quidem in limine salutent. Neque hoc improbari potest, modo Medicus abstinere ab omnibus hypothefibus physicis, ne parum certis praxin superstruens noceat ægrotis, quibus arte sua salutari opem ferre debebat. Ast in Physico tolerandæ hypothefes, si iisdem legitime utatur, quemadmodum me anno superiori docuisse memini (a). Quod si philosophia ad propositiones determinatas fuerit reducta, quemadmodum a nobis fieri cœpit & in ceteris partibus fiet, siquidem Deus nobis vitam ac vires corporis atque animi conservaverit; limites inter Physicam & Medicinam manifestiores evadent. Quotquot enim propositiones a Physico ad liquidam veritatem fuerint perductæ, tot quoque Medicus tanquam principia recipit, sique rationes a priori non curret, in experimentis ac observationibus

(*Hor. subj. 1730.*)

Ll

ac-

(a) Trim. Vern. num. I.

aequiescere potest, quibus veritas propositionis confirmatur. Atque ita Medicus incipit, ubi Physicus definit, & sororio vinculo Physica & Medicina invicem copulantur. Neque existimandum est, quasi Medicum dedeceat ut idem simul sit Physicus: quin potius non uno nomine commendatur, ut Physicæ studium cum Medico conjungatur, quemadmodum forsitan alio tempore id ex instituto docere poterimus. Et valde probamus illud *Hippocratis*, quod Medicus philosophus Deo æqualis sit: cujus effatum alio forsitan tempore uberiore luce collustrari non inconsultum erit. Quodsi tamen accurate discernere velimus, quæ a se invicem diversa sunt; ea quoque, quæ Medicus agit quæ Medicus, discernenda veniunt ab iis, quæ tanquam Physicus agit. Simile hic quid occurrit in Psychologia ad philosophiam moralem relata, quam in empiricam & rationalem distinguimus. Sicuti enim se habet Psychologia empirica ad morum philosophiam; ita quoque se habet theoria Physiologiæ ac Pathologiæ medica ad Medicinam. Et quemadmodum

dum Psychologia rationalis ab empirica differt; ita & eodem modo etiam theoria Physiologiae & Pathologiae physica a medica differt. Similitudo hæc plurimum utilitatis habet in quaestionibus variis inter recentiores quosdam Medicos controversis decidendis; sed nostrum jam non est de his dicere disertius, quæ obiter tantum attingimus.

§. 7. Agedum itaque! progrediamur ulterius explicaturi quoque discrimen, quod inter res naturales, præternaturales & nonnaturales intercedit.

Joannes Jonstonus (b) definit *Res non-naturales*, quod sint res inter naturales & præternaturales medicæ, quæ sanitatem lædere & conservare possunt. *Sennertus* (c); dicuntur ita, inquit, non quod non sint ex rerum naturalium numero, sed quod ad constitutionem corporis nostri non ita pertineant, nec tamen etiam præternaturales sunt; sed inter illas, quæ corpus nostrum constituunt & præternaturales quasi medicæ.

L1 2

ac

(b) in Syntagm. universæ Medicinæ practicæ pract. part. 1. lib. 1. c. 1. pag. 6.

(c) Instit. Medic. lib. 2. part. 2. §. 21. pag. m. 215.

ac si recte usurpentur, corpus nostrum conservent, si non recte adhiheantur, idem corrumpant ac destruant. Ex definitione *Jonstoni* facile colligere poteris, res naturales esse, quæ sanitatem adeoque corporis naturalis statum conservant; præternaturales vero, quæ eandem lædunt: enimvero ex iis, quæ *Sennercius* de rebus non naturalibus dicit, non minus facile perspicias, per errorem hæc ita colligi, cum is res nonnaturales quasi medias dicat inter illas, quæ corpus nostrum constituunt. & inter præternaturales, consequenter corpus nostrum constituere dicat eas, quas *Jonstonius* naturales appellat. Quamobrem consultius est, ut res nonnaturales ante excutiantur, quam in naturales ac præternaturales inquiramus, & quam ob rationem nonnaturales ita dicantur, ut eas a naturalibus & præternaturalibus distinguamus. Tenendum itaque est dari res quasdam, quibus ad conservationem vita ac sanitatis corporis opus habemus, ita ut sine iis vitam ac sanitatem conservari naturaliter impossibile sit, nisi id fiat supernaturaliter seu per miraculum. Suntilla aer, cibus & potus,

tus, somnus & vigilia, motus & quies, excreta & retenta, atque animi pathemata sive defectus. Etenim absque respiratione nos vivere non posse, nemini ignotum est, Respiratio autem absque aere fieri nequit. Atque adeo aere ad vitam conservandam opus habemus. Aerem aliquo in statu, si nempe quaedam sint ipsius qualitates, sanitati conducere vel ex eo intelligitur, quod, si qualitates sint oppositæ, eidem nocere deprehendatur. Quamvis vero ita tantummodo privative ad sanitatem conducere videatur, quatenus nempe eidem non nocet; constat tamen aerem quoque positive influere in sanitatem, quatenus ad statum corporis conservandum facit, quo sanitas continetur. Facile apparet pendere cognitionem hujus influxus ab usu respirationis, qui in Physiologia explicatur, neque adeo absque ullo apparatu probari posse instar eorum, quæ communi observationi subsunt. Sine cibo ac potu vitam conservari non posse, adeo vulgo agnatum habetur, ut rideretur, qui id probare vellet. Enimvero cibum quoque ac potum conducere ad sanitatem, vel

ex eo apparet, quod quidam cibi ac potus, vel etiam immoderate ac intempestive sumti noceant sanitati. Somnum ad sanitatem corporis prodesse unusquisque in se experitur, dum lassata corporis membra eodem refocillari sentit. Rationes reddit physicus, qui inter alia ostendit, quomodo transpirationis insensibilis negotium beneficio somni promoveatur & vigor nervorum ac cerebri, undecunque tandem is pendeat, restauretur. Affectus quosdam animi in sanitatis conservationem influere, quilibet ad semetipsum attentus perspicere valet, modo sufficiente ad talia attentione uti didicerit. Difficilius enim percipiuntur, quae ad sanitatem conservandam conferunt res non naturales. Probatio autem a priori difficilior, etsi non impossibilis. Motum sanitati esse amicum ab omni aetate agnatum, ut ideo non modo excogitati sint ludi, quibus motus corporis exercetur ab hominibus sine motu vel laborantibus, vel tempus otio transigentibus, sed & schola Salernitana inculcet, post coenam passus mille meandum esse. Quantum conducat, ut faeces alvi, urina,

mu-

mucus iusto tempore excernatur, nemo non in se experiri potest. Quantum conducatur, ut transpiratio insensibilis rite procedat, *Sanctorius* (d) dudum docuit. Dudum adeo agnovere veteres, si quis sanus esse voluerit, aerem esse debere respirationi aptum, in cibo ac potu capiendū quædam esse observanda circa utriusque quantitatem ac qualitatem, somno statō tempore & per certum temporis intervallum esse indulgendum; circa pathemata animi singularem quandam adesse debere curam; in motu corporis exercendo observandas esse quædam regulas; transpirationem denique & excretionem iusto tempore ac legitima quantitate fieri debere. Enimvero non minus observare licet, res singulas sanitati quoque obnoxias fieri posse, atque observationes hæc posteriores prioribus multo clariores sunt ac faciliores, utpote leviori attentione deprehendendæ, propterea quod status præternaturalis corporis facilius percipiatur, quam naturalis. Pone nimirum te nimio cibo ventriculum opplevisse: eris tibi ipsi a cœ-

LI 4 na

(d) in Medicina Statica.

na vel prandio onus, quod, quanto magis negotiis obeundis obstat, tanto clarius vel ab invito percipitur. Pone a cibo, quem capere libuit, vel potu haurito excitari tormina ventris; noxium ejus effectum extemploprehendis. Et ita sese res habet in casibus aliis. Ita similiter aerem sanitati inimicum facile discernes & vigilias motumque nimium corpori inimicum senties. Quod noxia sit nimia quies, quod noceant re-tenta, quæ excernenda fuerant; adeo manifestum unicuique ac obvium est, ut non opus sit nisi propriam attentionem ad semetipsum excitari. Cum igitur veteres animadverterent, dari res quasdam, quæ & ad sanitatem conservandam faciunt, & eidem quoque noxiæ esse possunt; eas a rebus ceteris distinxerunt, quæ non minus ad corpus humanum referenda sunt, quam illæ ipsæ, quæ pro diversitate circumstantiarum diversimode in sanitatem influunt, seu diversos in corpore humano sortiuntur effectus. Ex ipsa autem rerum illarum enumeratione patet, quod sint e numero rerum naturalium, quas philosophus appellat, quodque oppositi earum

& frictions valde in usu fuere, utut hodie a nobis non adeo frequententur; quis vero vestium fit in sanitatem corporis influxus, nemo non in seipso experitur.

Rerum
non na-
turalium
usus ubi
explicetur.

§. 8. Quoniam igitur Medici est sanitatem conservare & amissam restituere; sanitas autem rerum non naturalium usu recto conservatur, eodem autem intermisso atque illarum abusu læditur; Medici omnino erat in rectum sex rerum non naturalium usum inquireere eorundemque abusum, ut constaret quid fieri a nobis debeat, quid vero vitare debeamus. Et quoniam res non naturales extrinsecus adhibita, vestimenta præsertim, non minorem attentionem merentur, quam sex vulgo observata; in earum quoque usum atque abusum Medico inquirendum esse equis diffitebitur? Enata hinc est peculiaris pars Medicinæ de tuenda sanitate, quam *Hygieines* nomine compellarunt veteres. In ea enim res non naturales explicantur, quarum imprimis quoad cibum ac potum maxima est varietas, singulorumque effectus in corpus humanum, seu in statum ejusdem naturalem

ralem ac præternaturalem influxus describitur. Docetur deinde rectus illarum rerum usus pro diversitate subjectorum diversus, ut constet, quid ad sanitatem tuendam fieri a nobis possit. Utilissima hæc Medicinæ pars multa imperfectione laborat. Cum enim tota ab experientia fuerit derivata, plerique nonnisi veterum, a quibus ea accepimus, autoritate nituntur. Desunt autem principia generalia, nisi huc trahere velis, quæ *Sanctorius* in relatione ad transpirationem insensibilem dedit & quæ *Cornelius Bontekoe* (g) dare conatus est. Quantum veritatem fuerit affectus, nostrum in præsentem non est disquirere. Optandum vero foret, ut pars Medicinæ utilissima, quæ parum aut nihil adhuc certitudinis habet, magis excoleretur & ad principia certa ac evidèntia revocaretur!

§. 9. Diximus jam superius res potissimum dividi in naturales, præternaturales & nonnaturales, quatenus morborum

*Quanam
res dicantur
naturales.*

(g) In der Abhandlung vom menschlichen Leben, Gesundheit, Krankheit und Tode.

borum sunt causæ (§. 2). Apparet id ex scriptis Medicorum , qui laudabili instituto terminos a veteribus in Medicinam semel introductos retinuerunt. Ita *Michael Ettmüllerus* (h), causas morbi necessarias dividit in Res naturales, nonnaturales & præternaturales. Quemadmodum vero res nonnaturales considerantur tanquam morborum causæ externæ ; ita naturales & præternaturales referuntur ad internas. Ita enim *Sennertus* (i): Res internæ , inquit, quæ causæ morborum sunt, vel secundum naturæ legem sunt in corpore nostro, vel præter naturam in eodem inveniuntur. Secundum naturæ legem hic inesse dicitur, quod in corpore deprehenditur, quando in statu naturali est, & ad ipsum corpus humanum pertinet. Referri huc solet plethora, quæ nimia est quantitas sanguinis, seu humorum corpori alendo utilium. Sanguis nullo vitio laborans inest corpori in statu naturali & ad ipsum corpus spectat. Quatenus tamen in eodem

(h) in Medico theoria & praxi generali instructo Pathol. c. 3. §. 1. p. 31. (i) loc. cit. c. 3. p. 217.

dem abundat, morborum fit causa. Atque ideo hæc causa morbi dicitur respectu corporis, ad quod alias in statu naturali spectat, res naturalis. *Ettmüllerus* ad res naturales refert ætatem, sexum, temperamentum. *Ætas* enim convenit corpori in statu naturali estque prædicatum aliquod inseparabile. Fieri tamen potest morborum causa, quatenus corpus per ætatem ad certos morbos disponitur, id est, quatenus fieri potest, ut in eo statu corporis, quem vi ætatis habet corpus, in aliquem morbum facilius incidat, quam in statu aliquo, qui alia ætate ejusdem corporis est. Similiter sexus convenit corpori in eo statu, qui secundum naturam est, atque ad corpus pertinet: pendet enim a partibus quibusdam eidem propriis & a peculiari communium dispositione. Enimvero vi sexus possibile est, ut corpus incidat in morbos, in quos alias non incideret. Eadem est ratio temperamenti. Refert huc porro idem *Ettmüllerus*, quæ ex consuetudine diuturna & hinc successiva quarundam partium facta alteratione reddita sunt corpori naturalia, vel etiam ex subita quadam alte-
ra.

ratione eidem singularem dispositionem inducunt. Etenim ista alteratione, non tollitur status corporis vel partis alicujus naturalis seu is, quem secundum naturam esse supra diximus; disponitur tamen ad morbum quendam alias a causa proxima non excitandam. Istiusmodi exemplum est, si quibusdam uxoribus ambrae & moschi odore passiones histericæ excitantur, quem virgines optime ferre poterant, & si qui ex terrore subito epileptici redduntur. Hæ sane dispositiones morbificæ in causa sunt; cur res non naturales noceant uni, non autem simul noceant alteri. Quoniam causa rationem actualitatis in se continet (k); ex eo, quod est causa morbi, intelligi debet, cur morbus actu fuerit excitatus: Res igitur naturales ad ipsam actualitatē morbi conferre quid debent, seu constituunt id, quod actum primum appellant scholastici. Evidentissimū hoc est in plethora, ubi sanguis nulla qualitate noxia instructus quantitate sua in ipsam morbi actualitatem influit. Ita vi sexus in foeminis per constitutionem organorum genitalium morbi quidam

mu-

(k) §. 881 Ontol.

mulierum possibiles sunt, quæ in viris locum non habent. Sed organa ista non sunt ideo morborum causæ. Si igitur sexus in causa morbi attendi debet tanquam res naturalis, necesse est ut corpus ad morbum aliquem muliebre dispōnatur, ut deinde a causa quadam alia externa, veluti re quadam nonnaturali excitetur morbus, qui ab eadem causa in sceminis aliis non excitatur. Ex hæcenus adeo dictis apparet, res naturales, quas dicunt Medici, esse quasdam corporis dispositiones ad morbum, vi quarum morbus aliquis a causa quadam excitatur, qui alias, absente nimirum ista dispositione, ab eadem causa excitari non poterat. Dispositiones istæ non necessario fluunt ex essentia & natura corporis humani; utraque tamen salva ei superaccedere possunt. Nullum per eas organum ad functionem suam ineptum redditur; fieri tamen potest ut in statu isto excitetur a causa quadam morbus alius in corpore ab eodem non excitandus. Dispositiones istæ naturaliter corpori inducuntur atque effectus naturales sunt, ut notio naturalis philosophica in easdem quadret.

Hic

Hic tamen non absolute seu in se consideratæ naturales dicuntur, sed respectu status corporis humani, cui insunt, quod scilicet in statu naturali seu eo, qui secundum naturam est, eidem inesse possint. Dispositiones istas morbificas diligenter scrutari debet Medicus, alias enim rationem reddere nequit, cur causa aliqua in uno subjecto producat morbum, quem producere non potest in altero. Neque existimandum est unam tantummodo sive simplicem dispositionem concurrere ad morbos: sæpe enim plures simul ad eundem morbum concurrunt. Quod si illas earumque causas satis perspectas haberemus; multo magis in potestate nostra foret præcavere morbos, in quos nunc nil tale quid cogitantes incidimus. Nondum autem Medici in iis cognoscendis multum adhuc profecisse videntur: id quod satis superque apparet, si expendere libuerit, quænam de rebus naturalibus tanquam morborum causa adducere solent in Pathologia generali. Immo quidam recentiores res istas naturales, quæ sunt morborum causæ, a ceteris ne quidem satis distinguunt. Enimvero
nil

nil obstat, quo minus notionem istam rerum naturalium ulterius extendamus ad dispositiones acquisitas alias, quibus præsuppositis actus nonnullorum determinari potest in corpore, quæ alias in eodem locum minimè haberent. Sed de his jam dicere non est nostri instituti. Sufficit enim ut distincta notione comprehendamus, quasnam Medici res naturales appellent in serie causarum morbi, ut appareat, eos non fovere notiones philosophicis a nobis stabilitis adversas, sed quæ potius cum his in gratiam redeunt, modo rite explicentur atque satis intelligantur. Hæc igitur de rebus naturalibus in oppositione ad præternaturales & nonnaturales dicta nobis sufficiant.

§. 10. Restat ut de præternaturalibus dicamus. Monuimus ante (§. 9), ^{Res præternaturales} *Sennertum* doctrinæ *Hippocratis* convenienter monere, quod res internæ, ^{quasnam dicantur} quæ causæ morborum fiunt, & præternaturalium nomine veniunt, præternaturam in corpore inveniuntur. Addit autem, præternaturam in corpore reperiri & causas morborum fieri humo-
 (*Hor. subj.* 1730.) M m res

res præternaturales, calculos, arenulas, vermes & omnia, quæ intus generantur: quo etiam nonnulli referunt globos, sagittas & similia. *Etmüllerus* in eundem censum refert venena & contagia aliunde hausta, & ex digestionum erroribus natas sordes recrementosas, easque nunc relictas, nec rite excretas, vel successive diversimode transmutatas, vel ad alias partes transmissas. Præter naturam in corpore existere dicitur, quod in eo statu, quo singulæ partes functionibus suis rite funguntur, in eodem existere nequit. Sane si calculi generantur in corpore humano, effectus quidam in eodem contingit, qui secundum naturam, hoc est, quamdiu partes omnes functiones suas rite obeunt, locum habere nequit: necesse igitur est ut pars aliqua, vel partes quædam sint in statu præternaturali, si quidem calculi generari, adeoque præternaturaliter in corpore humano existere debent. Et hoc sensu dubio procul accipienda est existentia rerum præter naturam in corpore humano secundum mentem veterum. Quod si vero cum recentioribus globos, sa-

ſagittas, venena aliaque extrinſecus ad-
venientia in eundem cenſum referre
volueris; dicendum erit, præter natu-
ram in corpore humano exiſtere, quod
conſervationi corporis contrarium eſt.
Atque adeo generaliter quidem dicen-
dum eſt, res præternaturales eſſe eas,
quæ præter naturam in corpore huma-
no exiſtunt morborumque cauſæ ſunt,
duplici modo vero idem explicandum,
vel ſenſu ſtrictiori ex mente veterum,
vel latiori ex mente recentiorum. Stri-
ctiori nimirum ſenſu res præterna-
tales ſunt, quæ in corpore humano gi-
gnuntur partibus quibusdam corporis
in ſtatu præternaturali conſtitutis, ſeu
functionem ſuam non rite obeuntibus.
Latiori autem ſenſu ſunt res præterna-
turales, quæ in corpore humano exi-
ſtunt ac conſervationi ejus contrarii
ſunt aut eſſe poſſunt. In utroque ſigni-
ficatu apparet, ſive res ipſas ſpectes, eas
eſſe e numero rerum naturalium, quas
dicunt Phyſici, utpote naturaliter ſe-
cundum communem notionem geni-
tas, ſive modum respicias, quo in cor-
pus humanum delatæ fuerunt, eum eſ-

M m 2

le

se naturalem. Nemo non definitionem ejus, quod naturale est, in Cosmologia datam & in anterioribus jam aliquoties applicatam hic ipse applicare poterit, ut adeo opus non sit hisce diutius immorari.

Conclusio. §. 11. Atque ita abunde patere arbitror, dum Medici res dividunt in naturales, nonnaturales & praternaturales, quatenus scilicet sunt morborum causæ vel externæ, vel internæ, eos nihil moliri, quod sit notioni naturæ ac ejus quod naturale est, a nobis in Cosmologia evolutæ adversum; sed terminos potius artis condere, in quibus liberum regnat arbitrium. Termini autem artis non opponi possunt terminis communibus philosophicis tanquam contrarii, cum aliud prorsus quid significant quam termini philosophici, atque his salvis significatus iste iisdem tribui possit. Idem judicium esto de statu naturali ac praternaturali corporis, de quo diximus primo loco. Notio nostra naturæ ac ejus, quod naturale est, in Medicina non minus, quam philosophia utiliter adhibetur, nec Medici aliud natu-

turæ nomine designant, nec aliud naturale vocant absolute, quam quod nos hoc nomine indigitavimus. Sed status corporis humani aut animalis naturalis ac præternaturalis, & res naturales, præternaturales, ac nonnaturales, quatenus in numero causarum morborum sunt, sunt termini ipsis proprii cum naturali in genere seu simpliciter sic dicto nihil commune habentes, adeoque pro arbitrio ipsis significatus tribui potuit. Ueberior autem lux denominationi huic affundetur, ubi notionem naturæ ac intentionis ejus distincte explicaturi sumus. Etenim veteres de natura corporis humani ita locuti sunt, ut eam quasi ens ratione præditum concepisse videantur, tribuendo eidem intentiones, consilia, errores: quod quo sensu accipi debeat, ne dictio in præjudicium veritatis tendat, alias dicemus.

V.

Notio Servi Christi Rom. I. I.

evoluta.

§. I.

Institu-
tum Au-
toris.

IN superioribus (1) specimen legum ad formam demonstrativam redactarum daturi selegimus titulum tertium Institutionum, quod is multiplici nomine sese instituto isti commendaret. Agitur autem hoc titulo de jure personarum atque differentia imprimis, quæ inter servitutem ac libertatem intercedit, exponitur. Servitus, qualis olim apud Romanos erat, apud nos dudum penitus sublata, ut adeo ista doctrina nullum hodie amplius usum habere videatur. Quamobrem ne forsitan sint qui reprehendant, quod argumentum sterile ac nullius usus selegerimus; lubet usum doctrinæ illius legalis in interpretanda Scriptura sacra ostendere: ita enim usus ejusdem unicuique eam commendabit, simulque innotescet, quantum intersit de rebus etiam sacris ex genuinis notionibus ratiocinari. Voco autem notiones genuinas, quæ ipsi textui

(1) Num. II.

tui Scripturæ sacræ insitæ sunt, non autem quæ extrinsecæ inferuntur: id quod vulgo ab interpretibus fieri solet. Inde nimirum est, ut vagas verbis Scripturæ tribuant notiones, nec determinatas, atque unusquisque autoribus sacris tribuat, quod ipsi videtur, Immo eadem ratio est, cur nonnulli brevi temporis intervallo commentarios in integrum quendam Scripturæ sacræ librum conscribant & quicquid in buccam venit imprudenter effutiant, ut taceam alia, quibus suos in Scripturam sacram commentarios subinde infamant homines a vero Scripturæ sensu alieni, nec de eo solliciti, modo fucum faciant sui similibus, quasi in interpretanda Scriptura sacra egregii quid præstitissent. Damus igitur subinde Scripturæ sacræ interpretandæ specimina nonnulla, ut appareat quantum sibi noceant, qui, cum in eadem interpretanda utilem operam collocare velint, subsidia tamen, quæ a philosophia nostra expectare poterant, proterve contemnunt, immo ex invidia in autorem convitia ac calumnias dudum explosa continuo recoquunt.

ut fucum faciant hominibus credulis, qui audacter calumniantibus ob audaciam fidem habere solent.

Quomodo
notio ser-
vi Pauli-
na inve-
stigetur.

§. 2. *Paulus* ad Romanos scribens vocat se Servum Jesu Christi. Non addit, quoniam in sensu vocem servi accipiat, cum nullam ibidem reperias servi definitionem. Quamobrem si Romani scribentem intelligere debebant, eam notionem servi, non aliam præsupponere poterat, quam quæ ipsis erat. Erat autem ipsis ea servi notio, quæ in Institutionibus occurrit, & demonstrativa ratione a nobis in superioribus evoluta fuit, quoniam Jus Romanum loquitur de servis, quibus utebantur Romani. Ergo illa servi notio ad *Paulum* applicanda, quæ in Jure Romano occurrit. Ad notionem vero spectant non modo ea, quæ definitionem rei ingrediuntur. verum etiam cetera ejus prædicata, quæ inde deducuntur. Quamobrem ad *Paulum* applicari debent non modo quæ definitionem Servi, quæ Juri Romano convenit, ingrediuntur; verum etiam quæ inde necessaria consequentia deducuntur. Atque ita patet, quo-
mo-

modo non modo verus sensus verborum Apostoli investigetur; verum etiam omnis iisdem amplitudo tribuatur, quam habere possunt. Vides hic quoque subinde peccare interpretes, quod sensum verborum Scripturæ amplificaturi proferant, quæ in eodem contineri demonstrare minime possunt. Nos in præfente utimur præceptis logicis, quæ ad Scripturam sacram interpretandam utiles præscripsimus in opere Logico (m).

§. 3. Vidimus eo sensu *Paulum* dici ^{Servus} servum ^{Iesu Christi.} Iesu Christi, quo Romanis olim ^{si quid} dicebantur servi. Romanis servus erat, ^{Paulo significat.} qui erat in dominio alterius (n). Quare dum *Paulus* se dicit servum Iesu Christi, perinde est ac si affirmaret, se esse in dominio Iesu Christi. Dominium non modo in Jure Romano significat jus de re aliqua disponendi pro arbitrio suo (o); verum eadem etiam notio communis est: unde eadem utimur in Jure naturali, nec alius vocabuli significatus est in communi sermone. *Paulus*

M m 5

lus

(m) §. 971 Log. (n) Num. II, §. 8, n. 3.
(o) loc. cit. num. I.

luis igitur, dum se servum Jesu Christi vocat, hoc ipso confitetur, Christo competere jus de ipso disponendi pro arbitrio suo. Jus significat facultatem agendi moralem, quæ non modo quis facere quid potest, verum etiam idem legitime facere potest. Quamobrem cum *Paulus* Christo tribuit jus de se disponendi prorsus pro arbitrio suo; fateatur Christum non modo de se disponere posse pro suo arbitrio, verum etiam id legitime facere posse, ut nec ipse, nec quisquam alius habeat rationem contradicendi. Atque adeo patet, quid sibi velit Apostolus, dum se servum Jesu Christi appellat. Vocabulo enim servi reficit Romanis memoriam notionis servi, quam habebant, adeoque verba *Pauli* cum attentione legentes eorum meminisse debebant, quæ modo in medium adduximus. Hæ enim notiones ipso usu iisdem erant tritæ atque familiares, adeoque audito vocabulo servi ipsis recurrere debebant, quemadmodum ex principiis Psychologicis a priori demonstrari potest. Enimvero ad *Paulum* porro applicanda sunt

sunt, quæ ex notione servi consequuntur. Patet ex ea, dominum de actionibus servi pro arbitrio suo disponere posse, & servum in iis non suum, sed domini iudicium sequi debere (p): unde & apud Romanos ministeria servorum lege non fuerunt definita, sed arbitrio dominorum relicta (q). Apostolus itaque servum Jesu Christi se appellans, confitetur, non suo arbitrio relictum esse, quid agere per vitam omnem velit, sed sibi esse facienda a Christo domino demandata, quippe cuius sit jus determinandi ea, quæ ab ipso fieri debeant. Non suo iudicio eligendum, sibi esse vitæ quoddam genus, sed a Christo se destinatum illi esse, cui ipsum destinare eidem placuit, quippe cui competat jus exigendi ab eo ministeria, quæcunque placuerint. Quare dum addit se esse Apostolum; Apostoli sibi munus a Christo demandatum esse pronunciat, nec sui arbitrii esse, utrum hoc munus obire velit, nec ne, sed sibi necessario idem obeundum, propterea quod Christus iusserit. Neque,
in

(P) l. c. num. 7. (Q) l. c. n. 8.

in eo obeundo proprio sese stare posse iudicio; sed docenda esse, quæ Christus doceri iussit, eaque facienda, quæ idem fieri præcepit. Notio hæc servi fœcunda est, unde multa deduci possent, siquidem nostri jam esset instituti theoriam servi Jesu Christi tradere, five ad Apostolum aut doctores doctrinæ Christi in genere restrictam, five promiscue ad Christianos in univ-ersum omnes extensam. Experiantur fœcunditatem, quibus genuinus facultatum mentis usus in potestate est. Nobis enim jam sufficit fœcunditatem indicasse.

*Ratio ser-
vantis
servorum
Christi.*

§. 4. Habent etiam veritates revelatæ suas rationes &, si qua pura fuerit, in aliis veritatibus revelatis rationem suam agnoscit, hoc est, ex aliis veritatibus revelatis intelligitur, cur hoc ita potius sese habeat, quam aliter (r), nisi quatenus regnum gratiæ cum regno naturæ per rationes quasdam in concordiam reductum. Unde jam usum Logicæ in interpretanda Scriptura sacra urgens monui (s), in interpretanda

(r) §. 56 Ontol. (s) §. 980 Log.

da Scriptura sacra investigandas etiam esse rationes veritatum revelatarum, Quoniam igitur *Paulus* affirmat, se esse in dominio Jesu Christi, ita ut ipsi competat jus de se suisque actionibus ac vitæ omnis genere pro arbitrio disponendi; non abs re quæritur, quomodo Christus dominium istud acquisiverit, ex quam ratione eidem competat jus istud, quod in se Christo tribuendum agnoscit. In epistola ad Titum (t) idem se vocat servum Dei, Apostolum autem Jesu Christi, atque adeo profitetur, se esse in dominio Dei eidemque competere jus de ministerio suo disponendi pro beneplacito suo. Unde in Epistola ad Ephesios (u) se Apostolum Jesu Christi esse dicit per voluntatem Dei: ac idem facit in epistola ad Colossenses (x). Et in prima ad Timotheum (y) se Apostolum Jesu Christi esse dicit, secundum imperium Dei Salvatoris nostri & Christi Jesu spei nostræ. Videmus adeo rationem dominii, vicujus de ministerio *Pauli* pro suo arbitrio disponere

(t) c. l. i. (u) c. l. i. (x) c. l. i.
(y) c. l. i.

nere poterat Christus, quæri tum in natura Dei absolute spectata, tum quatenus spectatur ut Salvator noster, tum etiam quatenus Jesus est Christus, hoc est, officio mediatorio fungitur inter Deum atque homines. Quodsi homines ad Deum absolute spectatum, hoc est, qua Deum referuntur, cum is ut autor rerum omnium, ita etiam humani generis spectetur, ipsi ut creaturæ spectantur, atq; adeo jure creationis sunt in dominio ipsius, quemadmodum vas figuli est in ejusdem dominio, ut adeo in sacris jus Dei in homines cum jure figuli comparatur (z). Quodsi Deus spectatur ut Salvator noster, jure redemptionis nos sibi acquisivit (a), immo & vi regenerationis in ejus dominio sumus (b). Jam cum Christum non modo verum Deum esse constet, per quem creata sunt omnia (c), sed & is tanquam Deus & homo Salvator mundi salutetur (d); Christus Θεάνθρωπος, hoc est, qua Deus & Homo, nos habet in dominio suo, vi-

nem-

(z) Jes. LXIV. 8. Jer. XIII. 9. (a) Eph. I. 14. (b) Tit. I. 14. (c) Hebr. I. 2. Joh. I. 10. (d) Eph. V. 23.

nempe creationis, redemptionis & regenerationis. Non difficile nobis foret ex notionibus creationis, redemptionis ac generationis demonstrare, quomodo inde nascatur jus Dei in homines, quod dominii nomine appellari solet, nisi angustia spatii excluderemur. Veritates enim revelatæ non minus distincte exponi ac intelligi possunt, quam naturales, quemadmodum jam alias monui. Unicum igitur in præsentem addere sufficiat, scilicet quod Christus quæ homo jure etiam donationis nos habeat in dominio suo, quod ex statu exaltationis fuit. Atque hoc modo patet, quam ampla sit notio Servi Jesu Christi, si sufficienter evolvi debet: id quod paucis fieri nequit.

Finis Trimestris æstivi.

CON.

CONSPECTUS TRIMESTRIS ÆSTIVI

I.

De Peccato in Philosophum. 371

II.

Specimen Legum ad formam demonstrativam reductarum secundum Tit. III. Institut. de Fure personarum. 435

III.

Tabularum Mnemonicarum Constructio & Usus. 468

IV.

De notione Naturalis, Præternaturalis & Nonnaturalis in Arte Medica. 513

V.

Notio Servi Jesu Christi, Rom. I. I. evoluta. 550

HORÆ SUBSECIVÆ
MARBURGENSES

ANNI MDCCXXX,

QUIBUS

PHILOSOPHIA

AD

PUBLICAM

PRIVATAMQUE UTILITATEM
APTATUR.

AUTORE

CHRISTIAN. WOLFIO,

ACADEMIÆ MARBURGENSIS

P.T. PRO-RECTORIS.

TRIMESTRE AUTUMNALE,

FRANCOFURTI & LIPSIAE M DCC XXXII.

PROSTAT IN BIBLIOP. RENGIERIANO.

HORÆ SUBSECIVÆ
MARBURGENSES

Anni M DCC XXX.

Trimestre Autumnale.

I.

*De Rege philosophante & Philo-
 sopho regnante.*

§. I.

Notissimum est illud *Platonis* ^{Institu-} ef-
 fatum, tum demum beatam ^{tum Au-} fore Remp. ubi aut Philosophi
 regnabunt, aut Reges philosophabun- ^{toris.}
 tur. Nec a rei veritate, neque etiam
 a praxi idem abhorrere constat. Mo-
 nui jam alias (a) priscos Sinarum Im-
 peratores & Reges eosdem fuisse Phi-
 losophos & in iis laudavi *Fohium*, Sci-
 entiarum ac Imperii in China Funda-
 torem, ejusque succesores proximos.
 Atque ipsis debetur, quod Sinis præ-
 stan-

N 2

stan-

(a) in Oratione de Sinarum Philosophia
 practica. p. 6.

stantissima fuerit Reip. forma & gens hæc omnium antiquissima in Rep. administranda ceteras orbis terrarum gentes in uniuersum omnes ab omni ævo anteuerit. Verum hic non repeto, quæ ibidem legi possunt. Etsi autem ex Sinarum exemplo abunde pateat asserti veritas; hoc tamen non obstante desiderio Viri cuiusdam gravissimi, qui philosophiæ utilitatem in administranda Rep. ipsemet expertus est, satisfacturi non inanem operam nos sumtuos esse colligimus, si asertum Philosophi a paucissimis rite intellectum notionum nostrarum philosophicarum luce collustremus. Ubi enim præclarus quidam sensus prodierit ac forsan inexpectatus, hoc ipso philosophiæ nostræ utilitas singulariter triumphabit, quam in his Horis demonstrandam nobis proposuimus.

*Beata
Resp.
quando
dicatur.*

§. 2. Quod beata futura sit Resp. quando Philosophi regnabunt, aut Reges philosophabuntur, ex philosophiæ nostræ principiis a priori nobis est demonstrandum. E re igitur nostra esse existimamus, ut quandonam Resp. beata dici mereatur, primo loco exponamus

namus, ne beatitudinem crepare videamur philosophicam, quæ Reip. Solis, quam finxit *Campanella* (b), conveniat, præsertim cum Resp. *Platonica* dudum in proverbium abierit, ut per eam intelligatur Resp. in Utopia constituenda. Nemo non concedit, non alio fine coivisse homines in societatem civilem, quam ut conjunctis viribus commune bonum promoveant & contra hostiles aliorum insultus sese defendere queant. Unde cum beatitudo humana in non impedito progressu ad majores indies perfectiones consistat (c); beatitudo Reip. quæ hominum quædam multitudo est, conjunctis viribus bonum commune promoventium, in eo consistere debet, ut finem, cujus gratia in societatem coiverint, consequi non impediantur. Ea igitur Resp. beata dicenda venit, quæ conjunctis viribus bonum commune promovet & contra hostiles aliorum insultus sese defendere valet. Quænam sint ea, quæ

N 3

ad

(b) in Appendice Politicæ, quæ in ejusdem Reali Philosophia Epilogistica continetur, a Tobia Adami Francof. 1623. edita.

(c) §.44. Mor. Germ.

ad commune bonum requirantur, in philosophia civili docuimus. Sufficit hic breviter indicasse, quod bonum commune complectatur summum singulorum bonum, quod consequi homini pro diverso ipsius statu in his terris datur. Enimvero ut liberales simus, seponatur omnis de beatitudine civili disputatio & supponatur simpliciter, beatitudinem civilem obtineri, si obtineatur finis, cujus obtinendi gratia in societatem coivere homines. In hoc enim omnes consentire debent, dari aliquem finem Reip. & ad hunc dirigenda esse omnia, quæ Reip. gratia fiunt: nec beatam esse Remp. nisi quando omnia, quæ Reip. gratia fiunt, ad hunc finem tendunt. Quamvis suppositio nimis generalis videri possit, ad præfens tamen negotium sufficit principium hoc generale, ut inde deducatur dependentia beatitudinis civilis a regimine Philosophi. Nobis jam non propositum est per singula capita ostendere, quænam sit philosophiæ ad fines istos Reip. particulares consequendos utilitas, quænam necessitas: sed in generalibus subsistemus, quæ abunde evin-

evincent, quod erat evincendum, & ad specialia facile applicabuntur, ubi quis majoris claritatis gratia ad ea descendi opus existimaverit. Ut descensus sit in potestate, dabimus ipsi in sequentibus specimina, quæ principiorum generalium ad casus speciales applicationem palam loquuntur. Id igitur est quod nobis demonstrandum, si Reges philosophentur, vel Philosophi regnent, tum demum finem Reip. obtineri ac omnem imperantis curam, omnia & singula molimina ad eum tendere, cum alias plurima fiant quæ fini contrariantur, & ex iis deinde plurima continuo consequantur, quæ beatitudini civili repugnant. Hinc illæ continuæ querelæ rationibus suis minime destitutæ.

§. 3. Quod si jam quæsieris, quæ Dotes animi ad imperandum requisitæ. nam in Imperante dotes requirantur, ut Kemp. beatam efficiat; prona est responsio, quam in philosophia civili dudum dedimus & demonstravimus. Nimirum intelligere debet, quænam ad Kemp. beatam efficiendum requirantur, ac firmum propositum habere debet ea fideliter exequendi, quæ ad finem

nem tam præclarum consequendum conducere novit (d). Immo nemo non nobis hoc facile largietur & ut sine probatione sumamus lubentissime concedet. Ecquis enim dubitet, qui quid agere tenetur, eum intelligere debere quid agendum sit? Ecquis dubitet, qui quid agere tenetur, eidem firmum esse debere agendi propositum ut agat? Quæ notionibus communibus respondent negare velle, aut in dubium vocare insanientis est, non sana ratione utentis. Atque adeo patet præsupponi in Imperante virtutes quasdam intellectuales & morales, quas respectu finis singulari quadam ratione sibi proprias fecit, ut sint virtutes regię, non vulgares: quod ut intelligatur, exemplo quodam opus est. In numero virtutum intellectualium sapientia est. Cum hæc virtus tota versetur circa fines actionibus præscribendos & meliorum ad eos ducentium electionem, finiumque particularium istiusmodi subordinationem, ut propiores sint media remotiorum (e); omnibus omnino ho-

(d) §. 241. Polit.

(e) §. 914. Met.

hominibus in negotiis conficiendis sapientia opus est, sed cum non eadem sint omnibus negotia, nec eadem omnes sapientia opus habent. Quamobrem cum Imperanti sint negotia propria, ad ea quoque administranda propria sapientia opus habet, quæ adeo regia est atque hoc ipso singularis. Unde cum de sapientia in communi inter virtutes intellectuales in Moralibus agatur ac, ubi media virtutis unius cujuslibet præscribuntur, communis illa hominum in universum omnium sapientia per singulos casus communes expanditur, de sapientia Imperantium in philosophia civili inter ceteras virtutes regias demum utiliter discribitur, ubi singula probe fuerint perspecta, quæ ad Reip. rectam administrationem beatitudo civilis exigit. Hanc differentiam dudum inculcarunt veteres confidenter admodum pronunciantes, quod nemo hominum in omnibus sit sapiens. Sufficit itaque sapientem esse in iis negotiis, quæ unicuique administranda incumbunt. Neque verendum est ut ideo arctis in eodem subjecto limitibus coërceatur sapientia: ampla

N s enim

enim est, quæ circa pauca negotia ver-
fatur, si intra omnem eorum ambitum
diffundatur, & sapientia regia propter
negotiorum multitudinem ac diffusio-
nem deprehenditur longe amplissima,
quatenus intra proprios limites conti-
netur. Idem eodem modo sese habet
in virtutibus ceteris omnibus, quæ Im-
perantem ornant, quemadmodum
suo tempore in philosophia civili cla-
rissime ostensuri sumus. Enimvero
non opus est ut de virtutibus regis
tam intellectualibus, quam moralibus
in specie hic dicamus, quæ ad earum
indolem declarandam faciunt; sufficit
enim in tractatione generali, quam jam
instituímus, indicasse illarum virtutum
fundamentum: quod erit nobis suffi-
ciens ad ea demonstranda, quæ hic de-
monstrare intendimus.

*Quando-
num &
cur pec-
cet Im-
perans,*

§. 4. Diximus Imperantem in dato
quolibet casu & intelligere debere,
quænam ad salutem ac tranquillitatem
publicam requiruntur & nonnisi ea ap-
petere debere, quæ quod ad utramque
faciant certo cognovit. Hinc autem
patet, si Imperantem facere contingat,
quæ vel saluti, vel tranquillitati publi-
cæ

cæ

cæ, adeoq; beatitudini civili repugnant, id vel ex eo fieri, quod ignoret ea salutis, vel tranquillitati publicæ adversari, vel quod aliis rationibus extrinsecis suadentibus affectuum impetu se intransversum abripi patiatur. Vitium nimirum vel in intellectu hæret, vel in voluntate residet. Quamobrem si in administranda Rep. a beatitudinis tramite recedere non debet Imperans, utrique vitio mederi debet. Quod si itaque ostendatur non dari remedium, quod magis præsens sit philosophia; nemo non fatebitur, ut beata sit Resp. vel Regem philosophari, vel Philosophum regnare debere. Nostrum igitur est ut distinctius exponamus, cur imperans vel ex ignorantia, vel ex errore, quem tenet, vel ex affectuum impetu peccet, simulque ostendamus, quomodo philosophia & intellectum, & voluntatem emendet.

§. 5. Antequam vero evidenter demonstari potest, quodnam ad bene imperandum præsidium in philosophia sit positum; quinam sit Philosophus non nomine, sed re talis docendum. utique venit. Philosophus quinam sit, dixi-

Philosophus quinam sit & quinam philosophari dicatur.

mus alibi (f). Tanto nomine is demum compellari meretur, qui rationem reddere potest eorum, quæ sunt, vel esse possunt. Rationem vero eorum, quæ sunt, vel esse possunt, is reddere potest, qui intelligit ac alteri explicare valet, cur possibilia actum consequi & unum potius in dato casu, quam alterum, quod perinde possibile erat, fiat Philosophatur adeo is, qui eorum, quæ fieri observat, rationem reddit, aliosque docet, cur hæc jam facta sint potius quam alia & quomodo facta fuerint. Enimvero cum eorum, quæ fieri possunt, infinitus sit numerus; nemo in omnibus philosophus esse potest. Sufficit itaque unumquemque de iis negotiis philosophari, quæ ipsi administranda sunt. Quamobrem Imperans de salute ac tranquillitate publica seu iis, quæ ad bonum regimen spectant, philosophari tenetur, cum cura, quæ ipsum tangit, circa bonum regimen unice versetur. Si quis philosophiæ civilis capita attendente mente perlustrat, is

non

(f) in Discursu prælim. de philosophia
§. 46.

non uno exemplo convincetur de bono regimine te philosophari non posse per singula ejus capita , nisi subinde ad ceteras disciplinas recurras , unde principia mutuo sumas: id quod singulare non est, cum veritates omnino omnes inter se connectantur, quæ per diversas disciplinas dispersæ sunt, quemadmodum in corpore humano partes ad diversa genera referendæ inter se connectæ deprehenduntur. Accedit quod de rebus quibusdam philosophari debeat Imperans, ut de aliis, quæ bonum regimen propius tangunt, philosophari aptus sit. Etenim ad philosophandum requiruntur habitus quidam animæ, certo facultatum usu demum comparandi. Comparantur autem ut plurimum multo facilius in alio veritatum genere, quam quarum notitia ad tractanda negotia requiritur. Unde videas priscos Sinarum Imperatores, qui iidem erant philosophi, non modo de bono regimine philosophatos fuisse, sed acumen suum in aliis quoque exercuisse, ut in bono regimine perspicerent, quæ magis abscondita eidem sese facile subducunt. Ita *Folius* Sinicæ gentis Con-

ditor,

ditor, ex contemplatione cœli & rerum sublunarium Tabulam sexaginta quatuor figurarum condidit, quæ *Ye Kim* seu Liber mutationum dici solet & mirifice exercet hodiernum Sinarum ingenia, clave amissa. *Confucius*, qui in ea declaranda plurimum operæ consumpsit, ac præcipua cum laude in hoc negotio versatus creditur, contendit, ex naturali rerum inter se nexu, ordine, vicissitudine vique efficiendi pulcherrima in ea peti documenta tum ad privatos cujusque mores & domesticam institutionem, tum præcipue ad publicam Urbium, Provinciarum & Imperii totius administrationem (g). Idem *Fohius* instrumenta Musica invenit, atque ad eo inveniendò exercuit ingenium, & contemplationi rerum naturalium operam dedit, ut in constituenda Rep. esset tacitior. Successor ejus in Imperio *Xin Num* in inveniendis instrumentis ad agriculturam necessariis haud inutilem operam collacavit & herbarum virtutes medicas scrutatus est. Vestigia

(g) vid. Couplet in Proemiali Declaratione Confucio præmissa f. 44. 45.

gia adeo antecessoris presit, ut & ipse acutior esset in iis, quæ in Rep. constituta ulterius perficienda utilitatem spondent. Qui huic in imperio successit *Hoam Ti*, sub quo majestas imperii Sinici cœpit, Cyclum sexagenarium, quo hodiernum utuntur Sinæ in numerandis annis, perfecit, Astronomiam in formam scientiæ redigere cœpit, & Arithmeticam quandam tabulam condidit, instrumenta Musica, arma, retia, currus, artes fabrilem & figulinam, mensuras ac pondera invenit, artemque medicam de pulsibus, quæ hodiernum Sinis in usu est, pluribus libris exposuit. Denuo igitur *Hoam Ti* in inveniendis sese exercuit & Naturæ ac Arti cognoscendæ operam dedit, ut in Reip. forma perficienda sufficiente acumine uti posset (h). Absit vero ut quis de Sinarum Imperatoribus per contemptum judicet, quasi ipsorum regimen non comparandum sit cum regimine aliorum Regum ac Principum. Constat enim imperium Sinarum

(h) Vid. Couplet in Chronol. Sin. f. 20. præf. & f. 1. 2. Tab. Chronol.

narum esse vastissimum, in quindecim Provincias amplissimas divisum, quarum singulæ magna regna verius appellanda esse quam Provincias unanimitate ore fatentur, quotquot in Chinam profecti fuere. Primi tres Imperatores *Fohius, Xiu Num & Hoam Ti* formam totius imperii constituerunt, quæ inter omnes Rerump. formas eminent & per tot millenarios floruit ac hodiernum floret, cum Monarchiæ omnes & regna cetera omnia suum tandem interitum sint consecuta. Ultimus Fundatorum jam imperare cœpit Anno ante Christum 2697. Quodsi objicias non suppetere Imperanti tantum temporis spatium, quantum ad invenendum, quæ nondum cognita sunt, & ad philosophandum requiritur, ubi curam tam vasti imperii negligere noluerit; ipsum tantorum Imperatorum exemplum contrarium loquitur, qui nihil in se desiderari passi sunt, quod ad curam Imperantium ullo modo spectare videtur. Neque enim alias fieri potuisset, ut nonnisi propriis experimentis convicti eam conderent Imperii formam, quæ palmam præcipit
Ompi-

omnibus regnorum formis, quotquot
hactenus excogitatae fuerunt.

§. 6. Hisce praemis de beatitu-
dine Reip. dotibus imperantium & phi-
losophiae notione, haud difficile nobis
erit ostendere, quantum praesidii ad
beatitudinem civilem a philosophia im-
perantibus sit expectandum. Ad duo
nimirum capita redeunt, quae hic di-
cenda veniunt, nimirum quod impe-
rans, si fuerit philosophus, & certius
noverit, quae ad bonum regimen requi-
rantur, & non nisi ea fieri velit, quae
beatitudinem Reip. promovent. Si
imperantes formam Reip. demum con-
stituere, aut constitutam perficere de-
bent, philosophos eos esse oportet,
praesertim ubi non habeant aliarum Re-
rum formas, quas imitentur. Casus
hic est Sinarum, quo Reges habuere
philosophantes & Philosophos regnan-
tes, quemadmodum paulo ante com-
memoravimus (§. 5). Etenim cum *For-*
mus tam vasto imperio praeficeretur,
forma ejusdem constituenda erat, nec
perfecta ipsi erat alia Reip. forma
quam imitaretur, cum Sinis nullum es-
set cum ceteris terrarum gentibus com-

Philoso-
phia ne-
cessitas
ad Resp.
constitu-
tas perf-
ciendas.

O

mer-

mercium, ut ignorarent penitus quæ extra limites imperii Sinici fierent & ipsi non minus a ceteris ignorarentur. Quando vero *Lin Num* & *Hoam Ti* ad tantam dignitatem evehebantur; forma a *Fohio* constituta erat ulterius perficienda. Quamobrem ex fine, quem intendebant, media invenire debebant, quibus eundem obtinerent. Ad inveniendâ hæc media & finis notione distincta opus habebant, & principiis quibusdam generalibus. Etenim! ratiocinando assequi debebant, quid fieri conveniat. Ecquis vero est qui non noverit ad ratiocinandum requiri judicia, ex quibus tanquam præmissis colligitur tertium, quod conclusionis fert nomen. Jam ex notione finis distincta formata judicia nonnisi unicam ratiociniis præmissam præbebant, minorem scilicet syllogismi, quam vocant *Logici*. Opus igitur erat adhuc principiis aliis generalioribus, quibus uterentur tanquam propositione majore in quolibet syllogismo, antequam conclusionem inferre possent. Similiter constat ad ratiociniorum continuationem requiri principia generalia, cum non

non nisi rarissime unico Syllogismo inferatur, quod inveniri debet (i). Absit vero ut quis existimet perperam hic ad Syllogismos provocari, ubi de meditationibus summorum Imperantium sermo fuerit, quas negotiorum maxime arduorum causa fovent. Ostendi enim (k) meditationes omnes, hoc est, quamlibet seriem cogitationum beneficio operationum mentis continuatam per Syllogismos formales distincte explicabilem esse, quemadmodum incessus hominum per leges staticas & mechanico - physicas explicabilis. Quemadmodum Imperatores, Reges ac Principes non juxta alias leges incedunt, seu pedes ac artus movent, quam ceteri homines; ita nec alias cogitandi leges tenent quam homines ceteri in universum omnes. Philosophus autem uti debet terminis receptis, ubi quid distincte explicandum, ut ab aliis intelligi possit. Nec termini triti ac vulgares rerum, quibus explicandis destinantur, dignitati quidpiam

O 2 am

(i) §. 551. & seqq. Log. Lat.

(k) Psychol. empir. §. 393. 394.

am detrahunt. Jam notiones determinatæ ac universales, quæ propositionibus ad distincte ratiocinandum utilis respondēt, ad philosophiam pertinent (1). Imperatores adeo Sinarum, Imperii conditores, philosophia erant instructi, & ejus beneficio Imperii formam adornabant. Cum non haberent aliam Reip. formam, quam imitentur, neque perfectum aliquod philosophiæ civilis systema, quod applicarent; ingenii impetu ad principium reductionis inventoribus promiscue familiare abripiēbantur. Quemadmodum enim directionem familiæ, sive domus ad directionem sui ipsius haud infeliciter reducerant, a directione corporis sui ad gubernandum domum vi similitudinis determinatæ argumentantes; ita porro Remp. ad domum reducebant & in persona patris familias Imperantem, seu Reip. Administratorem sibi repræsentabant, vi determinatæ similitudinis denuo a domo ad Remp. argumentati. Neque enim existimandum

(1) Vid. Hor. *Subl. A.* 1629. *Trim. brum.* n. 1. §. 16.

dum est imperium Sinarum per præcoccia consilia fuisse constitutum atque perfectum. Antequam nimirum de negotio tam arduo cogitarent, primum actionibus suis rite componendis operam navabant, ut constaret, quomodo quis semetipsum, imprimis corpus suum regere possit. Deinde domum sibi repræsentabant sub schemate corporis ac patremfamilias instar mentis & vi hujus analogiæ colligebant, quid ad gubernandum domum requiratur. Inde non præcipiti gradu ulterius progrediebantur; sed quæ de gubernanda domo ipsis innotuerant ad praxin transferre studebant, antequam quid magis arduum meditarentur, ut & ea penitus intelligerent ac de eorundem veritate convincerentur, & ulterius ea perficerent novisque accessionibus auferent. Ubi jam felicem consiliorum successum in gubernanda domo experirentur; tum demum Provinciam, seu regnum aliquod sibi repræsentabant tanquam domum & Regem tanquam patremfamilias, immo tandem integrum imperium ex pluribus regnisconstantem sub eodem schemate sibi exhibe-

hibebant, & vi hujus analogiæ colligebant, quid ad bonum regimen requiratur. Neque hæc admittebant tanquam omni exceptione majora, nisi postquam proprio usu erant confirmata. His igitur notionibus sane augustis, quæ plurimorum acumine investigatæ ac longo rerum usu confirmatæ fuerant, cum animum refertum haberet *Fobius*, non irritò molimine tam arduum negotium aggressus, quale erat tam vasti imperii formam duraturam determinare. Interim tamen nec ipse totum negotium penitus perfecit, firmiter nihil prorsus decernens, quam quod in diuturno suo regimine non uno documento comprobatum haberet. Unde successorem ipsemet designavit & in imperii socium adscivit, ut certus esset eum iis, quæ auspiciato inceperat, perficiendis parem fore. Successores adeo addidit, quæ a *Fobio* nondum erant constituta, ne quid per præcipitiam constitueret, & eodem tramite incedebant, quo ipse adeo feliciter progressus fuerat. Atque ita nonnisi aliquot seculorum decursu tandem effectum fuit, quod solus perficere non poterat

tuerat *Fobius*. Nullus dubito hinc abunde patere, quanta differentia intercedat inter eos, qui in determinanda Reip. forma philosophantur, & eos, qui in hoc negotio empirici sunt imitantes, quod alibi viderint. Neque adeo quénquam fore arbitror, qui in dubium vocare possit, ad bene constituendam Remp. & ejus formam rite adornandam plurimum conducere, si conditores philosophentur, vel philosophi eam condant. Quinam vero de tanto negotio rite philosophentur, exemplum Sinarum abunde docet. Quodsi tamen demonstrationem desideres, ecce tibi eam! Si Resp. bene constituenda est, talis esse debet ejus forma, ut communi bono conjunctis viribus promovendo & defensionem adversus hostiles insultus sit apta (§. 2). Quamobrem constare debet de mediis, quibus hunc finem consequi datur: omnis enim cura atque sollicitudo conditoris huc redit, quomodo illa media executioni demandentur. Enimvero media illa vel a posteriori cognita esse debent atque perspecta, quatenus alii iisdem haud infeliciter utuntur, vel ex

O 4 notio-

notione finis denuum eruenda. In utroque casu eorum notiones ad propositiones determinatas reducendæ sunt, ut certo ratiociniorum nexu applicari possint, nec in iis applicandis a vero aberretur. Patet adeo si quis Remp. bene constituere debet, necesse est ut sit philosophus & de Rep. constituenda philosophetur, nisi dubio eventu alios tantummodo imitari velit.

Necessitas, utilitas philosophia in gubernanda Rep.

§. 7. Non absimili modo ostenditur ad gubernandam Remp. philosophiam esse necessariam & maxime utilem. Remp. enim administraturus non pro suo arbitrato facere debet, quæ Reip. causa fieri debent; sed hanc supremam teneat in omnibus legem opus est, ut non faciat nisi quæ communi omnium bono promovendo & securitati ac tranquillitati publicæ conservandæ inserviunt (m). Qui philosophiæ perspicillis utitur, is facile videt legem hanc exacte observari minime posse, nisi & acumine philosophico præditus fueris, & notionibus philosophicis probe imbutum

(m) §. 215. Polit.

butum habueris animum. Etenim quid in dato casu fieri debeat, iudicio discursivo definiendum, quod non nuda ad casum præsentem attentione firmari, sed vi ratiocinii inde colligi constat: ecquis enim sibi persuaserit in ipsa casus idea contineri ea, quæ finis Reip. beatitudo civilis fieri jubet. Quamobrem ut intelligas, quid fieri debeat; casus primo omnium loco rite determinandus est per eas circumstantias, quæ propter intentionem finis attendendæ veniunt, nec per se invicem determinantur. Enimvero in formandis notionibus distinctis per reflexionem versatus sis necesse est, ne attentioni tuæ sese subducant circumstantiæ quædam casus præsentis & ut ipsas circumstantias accurate determines, quales in casu præsentem spectantur, ne per confusas perceptiones eadem cum aliis habeantur, quæ ab iis diversæ sunt. Quod si eas circumstantias à se invicem separare debes, quarum aliæ per alias determinantur, ita ut aliis, quibusdam positis ponantur & ipsæ; aliæ autem per se invicem non determinantur, ita ut quibusdam earum positis ceteræ non

ponantur , sed tantummodo simul a-
desse possint ; aut jam ante constare
debet , quid hic obtineat , aut vi de-
monstrationis demum inquirendum.
Quodsi ante constare debet , quid de
circumstantiis casus præsentis sit statu-
endum ; casus iste nobis perspectus
esse debet , quatenus ejus certam ex-
perientiam , vel theoriam habemus.
Ad formandas notiones distinctas per
reflexionem , ad separandas a se invi-
cem circumstantias , quarum aliz per a-
lias determinantur , & quæ tantummo-
do simul adesse possunt & ad determi-
nandum casum quemlibet datum opus
omnino est acumine , quod frustra
quæsieris in eo , qui philosophus non
est. Quodsi jam casum rite determina-
veris , principio quodam opus est , vi
cujus colligere datur , quid in isto casu
fieri debeat , ne salutis , vel securitati
ac tranquillitati publicæ aduerseris.
Principio isti notio determinata re-
spondet adeoque propositio determi-
nata esse debet , ut accurate enuncie-
tur , quid in isto casu fieri debeat. Pro-
positiones determinatæ , sive a poste-
riori , sive a priori eruantur , ad phi-
loso-

lofophiam ſpectant. Ut igitur id, quod in dato caſu fieri debet, certo iudicio aſſequatis, philoſophia opus eſt. Atque ita patet non minus in Rep. gubernanda, quam in eadem conſtituenda philoſophia opus eſſe. Exemplo nobis denuo ſunt Sinae, qui, quemadmodum alibi expoſuimus (n), ſingulari prorſus exemplo Annales condunt, ut certam eorum, quæ facta ſunt, certamque eventuum conſequaris ex earum lectione cognitionem, atque animus lectoris aſſidui notionibus philoſophicis, qualibus ad gubernandam Remp. opus eſſe oſtendimus, imbuatur. Ideo Annales iſti inter libros claſſicos ſapientum aut eorum, quos philoſophos eſſe oportet, numerantur & *Confucius*, ut philoſophiam practicam, quæ Sinis potiffimum curæ cordique ſemper fuit, cum ad bonum regimen tanquam ad metam ultimam omnia ſtudia ſua dirigerent, conſequeretur, ab anno ætatis decimo quinto in Annalibus legendis aſſiduus fuit eo ordine ſingula ad experi-

(n) in Oratione de Sinarum philoſ. pract.
not. 19.

perimenta propria revocans, quo supra Imperii conditores in inveniendis ufos esse docuimus (§. 6), ut notiones redderet determinatas easque sese possidere certus evaderet, neque in ratiocinando de negotiis cespitaret. Sinis deinde in usu erat, quemadmodum ex *Confucii & Mencii* operibus apparet, in rebus arduis consulere philosophos, qui adeo a consiliis erant Regibus, quos vocabant, atque Imperatori, quoties hærebant quid fieri conveniat. Philosophi enim civili prudentia excelebant & ceteros omnes superabant. Mittimus alia, quibus doceri poterat Sinas agnovisse philosophiæ ad bene regnandum utilitatem, immo necessitatem, atque eadem haud infeliciter usos fuisse. Ideo enim ad exemplum provocamus, ne tradere videamur, quæ a praxi abhorrent, inter ideas Platonicas referenda & ad Remp. Solis gubernandam releganda.

*Quædam
de Sinis
in re-
gnando
philoso-
phanti-
bus no-
tanda.*

§. 8. Antequam ulterius progrediamur, pauca quædam nobis adhuc monenda sunt de Sinarum exemplo, ad quod provocavimus philosophiæ in Rep. constituenda & gubernanda utilitatem, im-

MO

mo necessitatem demonstraturi. Nimirum absit, ut quis sibi persuadeat, nos in ea esse opinione, quasi Sinæ tam in constituenda, quam gubernanda Rep. omnem fecerint philosophiæ usum, a quo *Plato* beatitudinem civilem suspendit. Etsi enim præclare rem geserint, ut illustrius exemplum an ullibi gentium reperiri possit non immerito dubitemus; ipsorum tamen exemplum ab ea perfectione longe adhuc abest, in quam mentis aciem convertere debemus nexum beatitudinis Reip. cum regimie philosophi perspecturi penitus. Imperfectione insigni laborat Sinarum philosophia, quam utique in causa fuisse ut ejus sublimitatem ac profunditatem vulgo non animadvertant alias jam monui. Fucere equidem Sinis notiones determinatæ, sed non satis distinctæ, ut adeo easdem ad propositiones determinatas revocare ac demonstratas in systema redigere minime potuerint. Sane palmarium est in omni philosophia, ut constet propositionibus determinatis ac definitionibus exactis, atque ad publicam privatamque utilitatem ac usum in Rep. aptatur,

tur, dum definitiones exactæ & propositiones determinatæ efficiuntur (o). Quam obrem ut Sinæ huic defectui mederentur; nihil admittebant tanquam sibi penitus intellectum, nisi quod proprio experimento edocti fuissent. Dum enim experimenta eorum, quæ didicerant, in seipsis sumebant; attentionem ad ea dirigere adsuefiebant, quæ notionem determinatam ingrediuntur, et si ea distincte enumerare minime valerent. Atque ita multiplici labore acquirebatur acumen pervidendi ea in ideis rerum, quæ ad notionem aliquam inde abstrahendam separanda sunt per operationes mentis, utut ea distinguere a se invicem atque figillatim enumerare minime valerent. Difficile ac longum iter ad acumen istud est: multo facilius ac brevius per systema philosophiæ nostræ methodo conditum ad notiones boni regiminis pervenitur. Neque omnes illas difficultates superare valent, quæ in acquirendo acumine notiones determinatas in ideis confusis pervidendi nobis obijciuntur, qui sibi distinctas ex

syste-

(o) Vid. Trimbrun, A. 1729. n. 1. §. 6.

systemate comparare valent. Lubrica insuper est via, quam calcarunt Sinae, quod alia ipsis pro conditione temporum non permetteretur. Neque enim acumen istud, quo notines determinata perspiciuntur in ideis rerum confusis, adeo perfici potest, ut non subinde fallat: cum propositiones determinatae, ubi demonstratae fuerint, vel a posteriori firmiter stabilitae nunquam fallant. Immo si quis notionibus distinctis refertum habuerit animum, is acumen istud & facilius, & magis perficiet, quam ubi in methodo experimentalis Sinarum unice acquiescere voluerit.

§. 9. Enimvero redeamus jam e diver- Certe non dubio consilio esse philosophus beatitudinem civilem promouent.
 ticulo in viam atque animum totum ad-
 vertamus ad differentiam, quae inter phi-
 losophicam & historicam, quam & a for-
 ma communem dicimus (p), cognitio-
 nem intercedit, & quibusnam dotibus
 instructus sit imperans philosophus,
 quas in eo, qui non philosophatur, de-
 sideres. Si quid enim ad beatitudinem
 civilem praesidium a philosophia expe-
 ctan-

(p) §. 3, 6. Discurs. praelim.

standum; id omne ex eo esse debet,
 quod alia sit cognitio philosophi, quam
 qui philosophus non est, & quod im-
 perans philosophus dotibus quibus-
 dam instructus sit, quæ abesse debent,
 ubi non philosophatur. Imperans
 philosophus notiones negotiorum,
 quæ Reip. causa gerenda sunt, deter-
 minatas easque distinctas habet, nec
 quicquam decernere audet, quamdiu
 notionibus istis destituitur, nisi ubi in
 necessitate agendi constituitur. Quan-
 do vero agendi necessitas sequi iubet
 notiones nondum satis determinatas,
 nec prorsus evidentes; non tamen au-
 dax dubiis fortunæ fluctibus commit-
 tit Reip. salutem; sed probabiliter ob-
 servat leges: totus in eventum intentus,
 ut notionum defectum posthac sup-
 plet, & ubi quædam beatitudini civili
 parum consentanea fieri oportuit, ea
 corrigat, antequam constantia esse ju-
 beat, aut in posterum in casu simili al-
 ter negotium expediat. Quod si quis
 non fuerit Philosophus, is inter notio-
 nes determinatas & non satis determi-
 natas, atque inter distinctas & confusas
 non distinguit, cumque determinatis &

distinctis destituatur, in gerendis negotiis alios imitatur idem factururus, quod alterum in casu simili fecisse opinatur, & eundem sibi eventum spondet, quo quid alibi factum esse novit. Immo consilia sæpius videntur admodum proficua, quæ pessima fuisse eventus docet. Ut intelligatur differentia ab iis, qui terminis ac notionibus philosophicis nondum adsuetum habent animum; exemplo eam declarari fas est. Si quæstio moveatur, utrum qui studiis literariis operam navant obligandi sint, ut in Academia patria commorentur, an vero permittendum, ut in peregrinas excurrant; aliter statuunt, qui philosophantur, aliter vero qui non philosophantur. Qui non philosophantur, ratione quacunque levicula adducti, veluti quod pecunia non exportanda sit in oras peregrinas, generaliter statim decidunt, ferendam esse legem ne quis in posterum studiorum gratia in aliam, quam patriam academiam proficiscatur. Ast non adeo præcipitato gradu in decisionem fertur philosophus; sed probe excusis rationibus tam intrinsecis, quam extrinsecis.

P

secis

fecis determinata judiciã format. Istiusmodi sunt, quæ sequuntur. Si eadem rerum notitia in academia patria & peregrina eodem tempore acquiri potest, nec sumtuum habenda ratio; academia patriæ peregrinæ præferenda. Quodsi sumtuum habenda ratio sit & in Academia peregrina levi sumtu addisci possunt, quæ graviore in patria addiscenda; permittendum pauperioribus, ut in peregrinam excurrant. Nimirum ex fine studiorum decidenda primum quæstio est, cum plurima in Remp. damna redundent, nisi erudiendi solida doctrina in Academiis imbuantur: deinde respiciendum est ad rationes extrinsecas, quas inter sumtus locum habent, studiis impendendi academicis, quatenus cum fine eorundem studiorum consistere valent. In rationum extrinsecarum censum quoque venit sollicitudo, ne pecunia in oras peregrinas exportetur. Ubi denuo non nisi excusis circumstantiis deciditur. Speciminis loco sit, quæ sequitur, determinata propositio. Si exteri in nostram Academiam adventantes plus pecuniæ afferant, quam nostri in aliam proficiscentes in aliam regionem export-

portant, metuendumque sit ne exteri ad nos accedere prohibeantur, siquidem nostris injungitur ut in patriam academiam proficiscantur; nostris permittendum est ut pro lubitu eligant eam, quæ commoda videtur. Deditur tantum aliquot propositionum determinatarum specimina, quibus tanquam principiis utitur qui in decidendâ quæstione proposita philosophatur. Etenim ubi quæstio in genere decidendâ est, nullo respectu ad circumstantias loci cujusdam dati; amplam is condet theoriam ex cumulo propositionum determinatarum conflandam. Quod si vero circumstantiarum specialium habenda ratio est; tum singulis istis excusis vel ex thoria, quam modo dixi, eam eligit propositionem ad inferendam decisionem, quæ eas continet, vel propositionem istam nunc deinceps investigat, ut decisio firmo nitatur fundamento. Enimvero si Resp. beata esse debet, non perinde est utrum ex quacunque ratione extrinseca generaliter decidat, an verò pro diversitate circumstantiarum diversimode pronuntiet, seu utrum propositionibus utaris

P 2

inde-

indeterminatis, an determinatis. Et enim in casu priore spes eventus prorsus dubia, immo sapius nulla est, cum in posteriore certa sit. In priore casu semper metuenda sunt mala longe plurima, quæ statum Reip. corrumpunt, immo sapiissime pesludant. In posteriore certum est nihil admitti, quod beatitudini civili repugnat, cum non nisi isti convenienter determinentur propositiones, nec rationes extrinsecæ admittantur nisi quatenus cum fine Reip. ultimo conspirant. Patet adeo Remp. esse beatam, ubi singula per propositiones determinatas deciduntur, beatitudini vero obicem non uno modo poni & catenæ malorum fores pandi, ubi secundum notiones vagas fit decisio, consequenter beatitudini civili rectius consulitur, ubi qui imperant philosophantur, quam ubi non philosophantur. Qui non philosophantur, præcipitare haud raro solent iudicia optima intentione pessima eligentes: ast qui philosophantur ab ista præcipitantia alienissimi sunt & quid vere conducat probe discernunt. Illi adeo plerumque non nisi casu incidunt in id, quod

quod beatitudini civili consentaneum: hi certo consilio eandem promovent. Atque adeo apparet, quantum saluti Reip. consuleretur, si theoria singulorum negotiorum philosophica perficeretur, & hac animum imbuerent, quotquot iis gerendis præficiuntur. Antequam enim istiusmodi theoria proficet, fieri non potest, ut de negotiis publicis philosophentur, quotquot ad ea gerenda admoventur. Hactenus de Mathesi novis inventis ditanda cogitant viri singulari acumine ceteros vincentes & inde non evagantur, nisi ad naturæ contemplationem. Philosophia vero practica, qua ad bonum regimen opus est & unde Reip. salus pendet, prorsus deserta jacet atque inculta, quæ tamen non minus novis inventis locupletari poterat, modo quæ in potestate sunt in systema redigerentur, ac conjunctis viribus de eo locupletando cogitarent viri acumine ac ingenio præstantes ac negotiorum experti. Ad hunc scopum tendunt molimina nostra, nec prorsus desperamus fore ut aliorum attentionem provocemus, ne posthac insuper habeant, quæ generi

humano adeo salutaria deprehenduntur, ubi ad praxin transferuntur.

Cur philosophia non possit eventus negotiorum plane subjicere potestati.

§. 10. Ast absit ut quis existimet, eam nobis animo sedere opinionem, quasi negotiorum publicorum eventus omnis certus effici possit, ubi de iis philosophari datum fuerit Remp. administrantibus. Non una enim ratio est, cur eventus incertus maneat, etiam si omnium negotiorum theoria perspecta supponatur. Nimirum de negotio expediendo non decernitur nisi per judicium discursivum, adeoque beneficio ratiocinii, quo quid fieri debeat tanquam conclusio ex præmissis inferitur. Jam si theoria negotiorum perfecta prostaret, qualem tamen desiderari norunt omnes & non facile dari adhuc posse intelligunt Philosophiæ verioris periti; in ea theoremata invenirentur, quibus singulorum negotiorum decisiones veræ continerentur. Quoniam hæc theoremata vicem majoris subeunt in ratiociniis pragmaticis, quibus casus obvius deciditur, seu quid in dato casu singulari fieri debeat colligitur; antequam constare possit, num theoremati huic, vel isti locus sit in dato

dato casu singulari , constare utique debet , quinam casus nunc obtineat , consequenter singulæ circumstantiæ perspectæ esse debent , quibus casus præsens determinatur, ut habeatur minor syllogismi istius. Enimvero non semper in potestate nostra est nosse singulas circumstantias, quæ casum præsentem ingrediuntur , quacunque tandem diligentia in iis expiscandis utaris. Patet id satis superque a posteriori , unde etiam petenda probatio est, cum de eo sermo sit , quod fieri solet. Et quamvis rationes adesce debeant , cur quasdam circumstantias a nobis in dato casu singulari cognosci impossibile sit; non tamen in præsentem opus est ut in eas inquiramus. Quamobrem nec constat , quod theorema in dato casu singulari sit applicandum : cum enim in his notio subiecti prorsus determinata sit, casus vero, qui nobis obicitur, prorsus determinatus non sit *per hypoth.* utique non patet, ad quodnam theorema referendus sit præsens casus veluti individuum ad suam speciem. Evidentissimum igitur est , eventum rerum nondum fore certum , etsi perfe-

cta suisque numeris absoluta negotiorum theoria præsupponatur. Facile tamen apparet, incertitudinem multo minorem esse debere, quam ubi nulla adhuc negotiorum theoria perfecta supponitur: quamdiu enim ea desideratur, in idem negotium incertitudo ex duplici fonte promanat. Notandum præterea est, si philosophiæ theoria perfecta supponatur, probabilitatis quoque æstimandæ theoriam exactam proficere, consequenter circa minorem syllogismi practici minorem superare incertitudinem, quam ubi vel nulla nobis adsunt principia, ex quibus de probabilitate casus præsentis statuitur, vel principia suppetunt nimis generalia & vaga, qualibus vulgo utimur, quando in necessitate decidendi constituti ad rationes probabiles confugere tenemur, veluti quando in negotiis civilibus artificem credendum esse dicimus in arte sua, artificem vero eum pronunciamus, qui artifex habetur, parum solliciti num sit. Et quamvis nec exactissima probabilitatis theoria, in qua nihil amplius desideraveris, effici possit ut a veritate nunquam aber-

res ;

sima extet in philosophia theoria. Nimirum propter multiplicem rerum omnium in universo nexum, quem in Cosmologia generali integro capite (q) exposuimus, negotium aliquod gerentibus plurima sese offerre solent impedimenta, quæ nec prævideri possunt, nec ad notitiam nostram haud raro perveniunt, nisi negotio jam gesto, immo subinde eandem prorsus effugiunt. Jam cum impedimenta ista, quæ ignoramus, amovere non possumus, nec ea sæpius superare valeamus, quæ ex improviso nobis objiciuntur; denuo patet philosophiæ theoria quantumlibet exacta præsupposita eventum tamen in potestatem redigi minime posse. Hæc quidem eo fine addidimus, ne magnificentius de philosophia sensisse videamur, quam par erat, talia objiciendo quæ sine vitio philosophiæ non fert rerum humanarum conditio.

*Circum-
spectio cur
major
philosophi
in causis
dubiis,
quam
alterius.*

§. III. Vidimus in causis dubiis, non obstante philosophiæ perfecta theoria ad leges probabilitatis confugiendum esse, ad quas etiam confugere solent phi-

(q) §. 10 & seq.

philosophiæ imperiti. Enimvero philosophus & non philosophus dum faciunt idem, non est idem. Alia enim probabilitatis principia sunt philosopho; alia iis, qui non philosophantur. Videamus differentiam, quæ inter eâ intercedunt. Philosophus ex rationibus intrinsicis de rebus statuere solet, nempe quæ ex ipsis earum notionibus petuntur: at qui non philosophantur ad rationes plerumque extrinsecas confugere solent, quod intrinsicæ eos fugiant. Accidit hinc ut & in probabilibus ad intrinsicas rationes confugiat philosophus, quando ad extrinsecas confugit qui non philosophatur. Ponamus Titium a Mevio commendari ad munus ecclesiasticum, quod vacat, adductis rationibus, quibus ostenditur, cur eum dignum iudicet, qui muneris isti utiliter præficiatur. Ponamus præterea Titium esse amicum Mevii, propterea quod dotes egregias, quibus instructus est, cognitas atque perspectas habet, & in bonum publicum pronus in votis maxime habet, ut idonei muneribus præficiantur. Quodsi qui imperat fuerit philosophus, vel philosopho-

sophetur; is probabiliter iudicaturus, num Titius iis dotibus instruatur, quibus eum instructum commendat Mevius, ad ipsa argumenta probandi animum advertit & ex eorum intrinseca probabilitate iudicium format, admissis rationibus extrinsecis specialibus, quatenus in consensum cum istis trahi possunt: at qui philosophus non est commendationem Mevii ex eo statim suspectam habet, quod sit ab amico profecta. Longe igitur majore circumspeditione utitur qui philosophatur quam qui alienum habet a philosophia animum. Ille enim non decedit nisi re satis expensa, hic rem prorsus non expendit, sed per precipitantiam statuit. Ecquis ergo dubitet magis circumspectum esse eum, qui philosophatur, quam qui non philosophatur. Quis vero est qui porro dubitet, in negotiis gerendis magis circumspectum bono publico rectius consulere, quam qui minus circumspectus est? Plus scilicet audendum in casu posteriori, quam in priori. Et licet subinde fortunæ auxilium plus valeat consilio; nemo tamen, quantum

mihi

mihi videtur , hinc colliget consulta-
tiones esse vilipendendas , cum alias
hinc sequeretur quodlibet cæco im-
petu audendum esse. Meo quidem,
si quid valet iudicio , tum demum
quid audendum est , ubi consilia defi-
ciunt certa & explorata, nec tamen ni-
hil agendum. Quod si quis experimen-
tum in seipso capere voluerit, quan-
tum differant iudicia intrinsecè proba-
bilia ab extrinsecè talibus ; is primò
quidem loco ex philosophia rationali,
(r) in qua rationem probabilitatis di-
stinctam dedimus , differentiam inter
probabilitatem intrinsecam atque ex-
trinsecam intercedentem probe cogni-
tam & perspectam reddere tenetur.
Notione directrice, quam appello (s),
instructus de negotio aliquo obvio pro-
babiliter statuatur , si potest , ex rationi-
bus intrinsecis de negotio , & ex prin-
cipio quodam communi probabilitatis
intrinsecò : ita quidem abunde perci-
piet differentiam , quæ inter probabili-
tatem intrinsecam & extrinsecam inter-
cedit.

(r) §. 587. & seqq. Log.

(s) Vid. Trim. Vern. A. 1729. n. IV. §. 3.

cedit. Non facile est experimentum, quod ultro largior: sed fieri non potest, ut, quæ in se difficilia sunt, promiscui usus efficiantur. Capiat illud qui potest: ceteri per me prærogativam tribuant probabilitatis speciei, cui velint. Mihi sufficit unumquemque protinus ambobus, quod dicitur, pedibus iturum in sententiam meam, cui experimentum capere datum fuerit. Erit loco experimenti, si unus, qui potest, de negotio dato ex rationibus probabilitatis intrinsecis statuatur, alter vero de eodem judicet vi principii extrinseci communis, atque rationes judiciorum inter se conferantur. Patebit equidem hunc sine ullo labore conficere, quod ille non nisi per ambages facere videtur; ast ubi majore acumine & attentione usus fueris, illum in luce, hunc in tenebris versari intelliges; illum valde circumspectum, hunc nimis audacem pronuntiabis. Cum veritas nobis unice curæ cordique sit, nec affectui quicquam demus; absit ut diffiteamur subinde quoque philosopho recurrendum esse ad principia probabilitatis extrinseca, etsi theoriam negotiorum omnibus

bus suis numeris absolutam proflare supponamus, qualis tamen nondum proflat, nec brevi expectanda! Etenim subinde circumstantiæ, per quas casus determinatur, aut determinationes notionem subjecti ingredientibus adeo paucæ nobis innotescunt, ut præstet ad rationes probabilitatis extrinsecas confugere, quam intrinsecis adeo paucis confidere. Ita si quis nobis commendatur, commendatio iis verbis concepta, ut, quid eidem tribuendum sit, securius per rationes extrinsecas definias, quam per intrinsecas ex commendatione derivatas. Quemadmodum itaque lubenter hoc largimur, jubet tamen veritas, ut dicamus philosophum & eum, qui non philosophatur, non facere idem, ubi uterque ad idem principium probabilitatis extrinsecum recurrit. Alio nimirum modo principium istud applicat philosophus; alio autem ad usum idem transfert qui non philosophatur, Ratio diversitatis in promptu est. Qui philosophatur in rationem principii probabilis inquit, ut non modo de ejus probabilitate, verum etiam de veritate constet, immo ex veritate statuit de

de probabilitate ejusque diversis gradibus. Quodsi ratio principii probabilis constet ad propositionem determinatam reducitur, in qua conditio, sub qua verum est, accurate exprimitur. Quoniam itaque in applicatione ratio ejusdem habetur; probabilitas tam exacte determinatur, quantum in isto casu vi ejusdem principii datur. Certus inde esse potest philosophus, se nihil eorum omisisse, quæ ad probabilitatis leges adimplendas in casu dato requiruntur. Enimvero si quis non philosophatur, is nec de ratione, qua nititur principium probabile, sollicitus est, ad eoque in ejus applicatione non attendit nisi ad notationem vagam, quæ eidem respondet. Haud difficulter adeo hinc colligitur, quod probabilitas non tam exacte determinetur, quemadmodum a philosopho vi ejusdem principii determinatur. Jam vero nemo in dubium vocabit, eum esse magis circumspectum in gerendis negotiis, qui omnes probabilitatis leges in dato casu adimplet, quam qui tanta accuratione non utitur. Quamobrem qui de negotiis gerendis philosophatur, in causis dubiis,

dubiis , quæ fortunæ alex subjacent , magis circumspectum se præbet alio , qui non philosophatur. Hactenus dicta illustrari possunt principio , quod commendatio amici sit suspecta : quod universaliter verum non esse nemo non agnoscit. Neque alia de causa in numerum principiorum etiam in se probabilium refertur, quau quod universalitate destitutum fallere possit, Quod si in rationem inquiras cur universaliter verum non sit, non unam apprehendes. Sane si quis veritati unice litat, nil vero affectui dat , is amicum non commendat nisi narrando quæ vera sunt : casum vero hunc non esse inter impossibilia referendum, eundemque fore frequentissimum , si qui imperant philosophentur, ex sequentibus patebit. Non est quod objicias fieri posse, ut veritatis licet tenacissimus fallatur meliora sibi de amico persuadens, quam in eo sunt: ostendi enim potest veritatem non posse superare affectum, quamdiu quæ sunt amico meliora videntur quam sunt. Sed nostrum jam non est ad has ambages deflectere. Similiter si quis commendatione fallaci

Q

sibi

fibi nocet, satisque acutus est ut id prævidere possit; is non commendabit amicum, nisi narrando quæ vera sunt. Porro qui gloria ducuntur, non commendant, nisi quos dignos existimant. Quod si fuerint adeo acuti, ut veritatem perspicere possint, fieri non potest ut commendent eum, qui sit indignus. Unde patet, si quis gloria ducatur & dignum ab indigno distinguere possit, ab eo amicum non nisi dignum commendari. Non addo plura, cum jam nostrum non sit condere theoriam testimonii ab amico profecti non suspecti: exemplis enim tantummodo doceri sufficit, quantum sæpius fallatur, qui omni theoria destitutus secundum principium generale judicat, amici commendationem esse suspectam, & quam magis circumspectum se præbeat qui illa theoria instructum habet animum. Quæ enim in medium adduximus theoremata, exemplum istiusmodi insinuant. Notandum præterea est eum, qui philosophatur & eum qui non philosophatur diversum haud raro ejusdem principii facere usum. Sunt enim quædam principia generalia, quæ nihil vitii habent,

habent, quamdiu iisdem non utaris nisi ad excitandam attentionem, ne quid per præcipitantiam statuas. Atque his non alio fine utitur qui philosophatur, quamdiu theoria negotii in potestate ipsius est: quæ si defecerit, in hoc negotio philosophus non est. Absit enim ut quis existimet fieri posse, ut in omnibus sit philosophus. Sed cum limitibus philosophiæ in negotiis constituendis nobis jam negotium non est, ubi tantummodo inquirimus quomodo negotium gesturus sit is, qui de eo philosophatur: quo in casu utique supponi debet, negotii theoriam in ipsius potestate positam esse. Enimvero dum recte principio utitur qui philosophatur præcipitantiam evitaturus; in perversum ejusdem usum incidit qui non philosophatur, cum defectu aliorum principiorum, quæ mediante altero in memoriam revocanda erant, eodem utatur ad decidendum. Exempli loco esse potest illud ipsum principium, quod ad illustrandum antecedentia adhibuimus, scilicet quod commendatio amici sit suspecta. Qui enim philosophatur, beneficio hujus principii colligit

Q 2

git

git attendendum hic quoque esse ad rationes extrinsecas, utrum nempe periculum sit nec ne, amoris affectum in commendationem influere : id quod in casu probabilitatis intrinsecæ minime superfluum judicari debet , propterea quod probabilitas mixta ex intrinseca atque extrinseca major utique sit pure intrinseca. Enimvero qui non philosophatur , secundum principium istud statim decedit commendationi non esse fidendum, quod sit ab amico profecta , non attentis rationibus probabilitatis intrinsecis , si quæ vel maxime adfuerint. Quamobrem unius ejusdemq; principii usu in præcipitanti- am adducitur qui non philosophatur, ab ea autem avocatur qui philosophatur. Ideo igitur circumspectum se præbet in negotiis gerendis, qui philosophatur, quod minus circumspectum se præbeat qui non philosophatur. Obiter monemus principia ad usum proficuum transferri posse a philo- sopo , quorum usus nocuus esse solet iis , qui non philosophantur, nec facile principium quoddam esse vel minimæ probabilitatis , cujus non præclarum facere

facere possit usum philosophus. Hæc probe notanda sunt : nihil enim frequentius esse solet quam ut propter usum perversum , qui non philosophantium esse solet , tanquam inutilia rejiciantur , quæ suspiciendum usum habere poterant. Dabitur , si Deo ita visum fuerit , occasio de his agendi apertius in Logica probabilium : sed cum plurima adhuc agenda sint , quam ad eam accedere datur , erit in posterum in his Horis locus , quo specimina quædam proponantur aliis imitanda.

§. 12. Ex hæctenus dictis satis intelligi posse existimo , si quis imperans fuerit philosophus , cum certius nosse , quæ ad bonum regimen requirantur , quam ubi non philosophatur. Ostendendum nunc porro erit , quam fir-
Cur
Philosophia efficiat, ut omnia in Reip. ex veritate fiant.
 mum ipsi sit propositum non faciendi nisi quæ ad beatitudinem Reip. faciunt. Nemo non novit veritati vulgo parum , affectui plurimum dari. Et ubi quis perspicillis philosophicis utitur in negotiis humanis , tam publicis , quam privatis pervidendis , in rationes eorum quæ fiunt & cur hunc exitum habe-

Q 3

ant

ant inquirens, is abunde perspicit mala, de quibus conqueritur genus humanum, tempora non aliunde ortum trahere, quam quod affectus adversus veritatem prævaleant. Non una nobis ratio cur in his specialius ostendendis jam occupari nolimus. Suffecerit itaque, quod instituti jubet ratio, non nisi a philosophia pulso affectu veritatem in folio collocari. Nullus enim dubito affirmare, quod, si quis fuerit philosophus, is ex veritate agat, ex affectu agere non possit. Valde vereor, ne multis insanire videar, propterea quod ipsis inexperta loquor, immo inaudita. Ne igitur deficiat attentio, qua maxime opus est, præjudicii nebulae ante dispellendae sunt, quam dictis fidem facere allaborem. Quando philosophia non scholæ, sed vitæ discebatur, notissimum ac pervulgatum erat, quod nunc per præcipitantiam nimis benigne dictum videtur. Exemplo nobis est *Vitruvius*, quem hunc philosophiæ fructum propria experientia edoctum fuisse ex ejusdem de Architectura commentariis patet. Erat olim Ephe-

Ephesi (t) lex vetusta, ut Architectus publicum opus eorundem recipiens, tradita æstimatione Magistratui bona sua obligaret, donec opus ejus esset perfectum. Quod si non amplius quam quarta in opere consumebatur, ad æstimationem adjicienda & de publico præstanda fuerat. Cum vero amplius quam quarta in opere consumeretur, ex ejus bonis ad perficiendum pecunia exigebatur. Leges istiusmodi cum non omnibus sint gentibus, quibus audacia Architectorum in patribus familiarum ad infinitas sumtuum profusiones & ut ex bonis ejiciantur inducendis coërcetur; *Vitruvius* (u) ad philosophiam tanquam ad sacram anchoram confugit, qua animum Architecti imbui jubet, ut sit æquus & fidelis, sine avaritia quod maximum judicat, cum nullum opus vere sine fide & castitate fieri possit, & ne sit cupidus, neque in muneribus accipiendis animum habeat occupatum, sed cum gravitate suam tueatur dignitatem, bonam famam ha-

Q 4

bendo

(t) Vitruvius in præfat. ad lib. 10.

(u) lib. 1. c. 1.

bendo. Patet adeo *Vitruvium* sibi persuasisse Architectum philosophum ex veritate agere, non ex affectu, ut bonam inde habeat famam; nec qua in re jure reprehendi possit. Nemo autem non videt, quæ de Architecto philosopho dicta sunt, ea in genere ad quemcunque applicari posse, qui negotium aliquod gerendum, vel opus quodcunque perficiendum suscipit. Constat vero etiam *Vitruvium* beneficio philosophiæ id fuisse consecutum, quod de ea prædicat. Legat, qui de eo dubitat, præfationes ad *Augustum* Cæsarem, quos libris de Architectura singulis præfixit. Ex iis enim, quæ de seipso passim narrat, intelliget quanta ipsi fuerit cura ac sollicitudo, ut ex veritate agens bonam haberet famam eamque duraturam. Quid veritatis amor in imperantibus efficere possit, quem philosophia ipsis instillavit; luculentissimis exemplis comprobant Sinarum Imperatores *Yao & Xun*, qui cum Imperium a Prædecessoribus conditum ad majoris perfectionis gradum perducere, nec temere quid audere vellent præteritis filiis eos sibi se-

lege-

legerunt succesores & imperii socios fecerunt, quos tanto molimini pares judicarent. Etenim *Yao*, quem Astronomiæ ac Philosophiæ apprime peritum fuisse probant quæ fecit, cum 9 haberet filios, sibi succesorem esse jusfit *Xunium*, quem obedientiæ fama commotus primum tentaverat tanquam Ministrum, deinde tanquam imperii per 28 annos socium. Ipse autem *Xun* vestigiis Imperatoris *Yao* insistens præteritis denuo filiis jusfit, ut sibi *Yu*, qui Magni cognomen postea adeptus est, succederet eumque per annos 17 imperii Collegam esse voluit. Sunt vero & alia argumenta, quibus evincitur, Imperatores istos, quos totius Posteritatis Principibus exemplar agnoscunt Sinae, ex veritate decrevisse, quæ constituerent, nihil autem affectui dedisse. Etenim *Yao* ad ea, quæ a subditis minus recte fiebant, publicasque calamitates quam maxime attentus non minus harum, quam illorum rationes summo, quo utebatur, acumine pervestigabat ac de Imperii forma perficienda totus sollicitus ad hoc potissimum animum advertibat, num

Q 5

quid

quid legibus prudenter latis ipsoque Imperantis exemplo præcaveri potuisset, quod a subditis factum fuerat, & num calamitates publicæ meliori regimine evitari potuissent. Quamobrem cum in his rationem culpæ suorum publicarumque calamitatum perspiceret; illas non minus, quam has sibi uni adscribere solebat. Succesor ejus *Xun* adeo veritatis amore ducebatur, ut sibimetipsi diffidens aliorum de se factisque suis judicia explorare mallet. Tabulam igitur palam exposuit ac in ea a quovis notari jusfit, si quid a se peccaretur, ut facto examine corrigeret tempestive, quæ Reip. nocere possent, nec quicquam constitueret quod jure reprehendi atque adeo in detrimentum Reip. vergere posset, utque Sinarum more, quibus persuasum erat Imperatores suo exemplo subditos & docere, & obligare debere, subditos ad ea faciendum obligaret, quæ fieri ratio jubet & beatitudo Reip. exigit. Vides hic effectum philosophiæ in Imperatoribus philosophantibus: eundem vero esse in Philosopho regnante *Confucius*, magnus ille Sinarum Philosophus

phus suo nos docet exemplo. Cum enim sæpius Præfectum Provinciæ atque Regum Administrum ageret, ut elariores regiminis nancisceretur ideas, si quid in suis adhuc obscuritatis quidpiam superesse deprehenderet; ubi contingebat consilia bona quidem probari, immo laudari, sed deteriora executioni demandari affectu adversus veritatem prævalente, sprete dignitate, spretis opibus ab aula discedebat, quod ibi esse nollet, ubi non veritati, sed affectui litabatur. Postquam igitur evici Philosophos regnantes & Reges philosophantes nihil affectui, omne veritati dedisse; nunc porro nostro more ostendendum erit, quomodo animus per philosophiam disponatur, ut ex veritate agamus, ex affectu agere non possimus. Si philosophia quis fuerit instructus, is evidenter perspicit, quænam ad beatitudinem civilem faciant, quænam eidem repugnent. Quare cum appetitus feratur ad id, quod bonum esse cognoscimus; si quod jam nobis occurrit, quo ab objecto appetibili averti debet, repugnantiam quandam sentimus, ubi is in contrariam par-

tem flectendus. Præstat igitur hac evidentiâ cognitionis philosophia nobis eam utilitatem, ne impetu affectuum abrepti per præcipitantiam quid decernamus & agamus. Constat porro nos voluptatem percipere ex veritate, quando in statu contemplationis versamur, eamque voluptatem tum esse prorsus insignem, cum nihil adsit quod eandem impediât (x). Quoniam itaque amamus, quod nobis voluptatem affert (y); Philosophiæ studio animo ingeneratur amor veritatis, qui indies majora capit incrementa, quo diutius in philosophia verferis. Amor hic appetitum agentis ex veritate fortiorem efficit, ut difficilius in partem contrariam flecti possit, simulque affectui sese opponit atque resistit, qui cum in contrariam partem abripere conatur. Atque ita philosophia affert auxilia ad affectus veritati contrarios superandos. Si imperans philosophatur, ad casus futuros sese præparat, dum negotiorum publicorum theoriæ acquirendæ

(x) Vid. Hor. Subsec. A. 1729. trim. æst. n.
1. §. 4.

(y) §. 654. Psych.

rendæ studet scientiam civilem sibi comparaturus & quomodo eadem prudentia civili juvari possit præmeditans. Accidit hinc ut voluptatem percipiat ex veritate hujus in specie negotii, amorque ejusdem animo ejus instilletur, ut adeo jam dispositus sit ad agendum ex veritate in hoc præcise negotio atque auxiliis instructus specialibus ad affectus veritati contrarios data occasione agendi superandos. Dispositio illa specialis propositum efficit firmitus & auxilia specialia sunt fortiora generalibus, præsertim cum generalia eadem comitentur. Qui ita philosophatur, ut ex veritate intimius perspecta ideo voluptatem capiat, quod certus sit se jam veritatem intueri, atque sincero ejusdem amore flagret, qui ex hac voluptate ortum ducit; is quoque famam opibus, delitiis ac amicitia anteponit, nec eadem bonum quoddam aliud majus existimat. Hinc enatae sunt veterum illæ sententiæ: Vita & fama pari pasu ambulant: Omnia si perdas famam servare memento, & quæ sunt his gemina. Philosophus itaque maxime famæ suæ rationem habet, ut
nil

tum ejusdem tenderent, & ut vi nexus rerum, quem alibi explicavimus (z) corrigatur, quod per se damnum daturum fuerat. Ut vero unusquisque intelligat, quantum interfit in Rep. omnia ex veritate fieri; ad querelas attendat, quæ in Rep. funduntur. Ponamus multiplices esse de Judicibus in administranda justitia querelas, easque justas: cum injustis enim nobis nihil negotii est, quales plurimas esse ultro largimur, etsi certi simus eas pauciores fieri debere, ubi justæ non accesserint. Ecce, quæso, qui Judicis munere fungitur, injustam dicit sententiam, vel in administranda justitia moras necit? Non sane alia de causa, quam quod quid justum sit non assequatur in dato casu, aut rationibus extrinsecis permotus affectu obstetricante æquiores sententiam sequi nolit, aut quod utraque de causa in transversum agatur animus. Nemo de eo dubitat: ipsum enim vulgus, ut sibi justas esse querendi causas probet, nunc ad ignorantiam judicium, nunc ad affectus, quibus

(z) in Cosmolog. §. 10. & seqq.

bus indulgent, provocant. Nemo igitur dubitare quoque potest, iudices fore justos & ex veritate administraturos esse justitiam, si & peritia juris fuerint instructi, ne per ignorantiam aberrant, & ab omni affectu alieni, quo a veritate in avia deducuntur. Non multo acumine opus est, ut quis perspiciat, quæ de Judicibus dicta sunt ad quosvis alios applicari posse. Etenim si Judex a veritate sententiæ deflectit per ignorantiam juris; id profecto non ideo facit, quod ipsi jam cum jure sit negotium, sed quod ignoret quæ nosse debebat. Quamobrem in omni alio casu contingere debet, ut quis ex veritate non agat, quod eam non agnoscat. Similiter si iudex affectu sese abripi patitur ut sententiam ferat juri contrariam; affectus denuo non eum seducit quatenus iudicis munere fungitur, sed quatenus amore veritatis destitutus eidem indulget. Quare denuo liquet in omni alio casu accidere debere, ut quis veritatis amore vacuum habens animum affectuum impetu sese in transversum abripi patiatur. Quando vero iudex a veritate alienus & affectu-

R

ura

um impetu abreptus sententiam injustam fert , ac per hoc damnum dat Reip. damnum inde emergit, quod non ex veritate agat. Liquet igitur damnum non minus dari debere in Rep. quocunque quis munere fungatur, ubi is ex veritate minime agit, sed affectu se abripi patitur in partem contrariam. Judicis adeo exemplum abunde sufficit ad evincendum a posteriori, quod ante jam a priori stabilitum. Si quis fata Rerump. attenta mente perlustrare voluerit, is abunde perspiciet, omnia in pejus non alia de causa ruisse quam quod ex veritate minime egerint , qui salutis publicæ curam habere debebant. Enimvero in re manifesta non opus est ut commoremur diutius. Sufficit probe perpendisse , quantam utilitatem Reip. promittat philosophia, cui acceptum referri debet ut ex veritate agamus, neque affectui quicquam demus. Etenim non dubito fore ut hoc stimulo instigati plures philosophiæ methodo nostra excolendæ operam impendant, quam hactenus factum fuit, ac ubi exulta fuerit , plures quoque eadem animum imbuant , qui muneribus

bus

bus in Rep. præficiendi sunt , ut beatitudo civilis certiora capiat incrementa.

§. 14. Quamvis ex hæcenus dictis *Decisiones* *casuum* *quomodo* *distinguat* *philosophus.* satis superque appareat , quod nobis probandum proposueramus, nimirum Remp. fore beatam , si qui regnant philosophentur, cum in generalibus acquiescere , nec ad specialia digredi decreverimus ; unicum tamen adhuc superest, quod silentio præteriri minime debet , propterea quod vulgo plurimum ea in re peccetur. Nimirum si de negotio aliquo deliberandum , duplex sese offerre potest casus. Aut enim deliberantibus perspecta est negotii theoria, sive eam ex disciplinis didicerint , sive a priori invenerint ante, sive experientia eandem sibi acquisiverint ; aut nondum perspecta est. In casu primo decretum fieri debet applicando principia generalia ad hunc casum, qui datur, in singulari : id quod parum difficultatis habet, ut ex arena consilium tuto capiatur. In casu posteriori demum a priori investigandum, quid fieri conveniat , ne Reip. damnum inferatur : id quod subinde

R 2

plu

plurimum difficultatis habet, ut per vota extemporanea consilium certi eventus formari minime possit. Hos vulgo casus inter se confundunt, qui non philosophantur; ast optime eosdem a se invicem distinguunt, qui philosophantur. Etenim qui philosophatur, novit in casu quolibet dato per iudicium discursivum decidendum esse, quid fieri conveniat, adeoque consilium & decretum per modum conclusionis vi syllogismi inferri. Quare cum negotii præsentis conditio, qualiscunque tandem fuerit, non suppetit nisi Syllogismi minorem; principium generale tibi familiare esse debet, quo quid in dato casu fieri conveniat continetur, ubi extemporaneis votis definiendum, quid fieri debeat. Ex eo itaque philosophus hunc casum ab altero distinguit, quod sibi ac collegis non succurrat principium, quo istius negotii theoria continetur. Ubi non succurrit vel meditando, vel libros, si qui prostant, consulendo definiendum esse, quid sit consilii, ne beaditudini Reip. quidpiam adversi statuatur, ultro cognoscit. Et quoniam, philo-
sophus

sophus arte inveniendi instructus est, ad-
 eoque veritatem sibi adhuc incognitam
 vel certo, vel probabiliter eruere valet;
 idem a præcipitantia alienus cavet, ne
 minus circumspècte decernens even-
 tum omnem fortunæ uni committat.
 Atque vel hoc nomine intelligitur,
 quantum intersit Reip. ne duo hi ca-
 sus confundantur, ne per præcipitan-
 tiam salutem Reip. noceant, qui eandem
 promovere intendunt. Alibi jam (a)
 evicimus peculiare quoddam in Rep.
 collegium esse debere, in quo theoriæ
 negotiorum nondum exploratæ inve-
 stigandæ, ut succuratur iis, quibus tem-
 poris spatium non suppetit ad longas
 istiusmodi ac tædiosas sæpius medita-
 tiones, si vel maxime inventores agere
 possint. Approbarunt hoc institutum
 Viri in administranda Rep. eminentes
 quos inter Illustrissimum Comitem de
Beichling, magnum illum Regis Poloni-
 arum Ministrum, nominasse sufficiat,
 cum quo mihi per aliquot annos com-
 mercium literarium intercescit. Sed de
 hoc argumento uberius dicemus ali-
 quando in Philosophia civili.

R 3

§. 14.

(a) §. 425. Polit.

An ha-
 benus si-
 ne philo-
 sophia re-
 gnetur.

§. 15. Nihil igitur restat, quam ut objectionem quandam amoliamur, quæ moveri poterat, & quam a nonnullis motum iri facile prævidemus. Erunt nimirum, qui nos injurios pronuntiabunt in Imperantes summos eorumque Ministros, quasi non bene regnarent, quod constet eos philosophos non esse. Atat! hæc nos objectio minime ferit, qui absque philosophia nulli regnari confidenter affirmamus. Quamvis enim ignoremus, a quibus formæ Rerump. & quæ ad eas pertinent sint inventa; nullum tamen dubium est, quin plurimum hic, quemadmodum quoad leges salutares, debeatur philosophis. Et quemadmodum Jcti Romani numerum legum auxerunt & omnem juris doctrinam perfectiorem reddiderunt philosophando, ut ideo *Ulpianus* dixerit, quod veram, non simulatam philosophiam affectent; ita similiter dubitandum non est ea, quæ in Rep. constituta sunt, primitus non sine philosophia fuisse constituta. Quæ igitur a forma Reip. & iis, quæ in eadem a Majoribus constituta sunt, pendent; ea philosophiæ utique

utique tribuenda sunt. Inprimis etiam notari velim longitudine temporum necessitatem philosophiæ vicem tueri, quæ plurima homines docuit. Nimirum agendi necessitas, in qua constituti sumus, attentionem ad ea acuit, quæ alias eandem facile effugerent. Subinde autem in promptu sunt, ut ad ea observanda sufficiat attentio, quæ alio tempore non sine magna ingenii vi & plurimarum rerum notitia reperiri possent. Atque tum sua veluti sponte nobis sese offerunt, quæ philosophia nos docere deberet. Hoc pacto notiones plurimæ ad nos propagatæ fuere ipso usu & propagabuntur ad posteros nostros, quæ sibi locum in philosophia vendicant. Similiter diuturna & longa experientia discimus, quæ ex philosophia hauriri debebant. Atque adeo philosophiæ plurimum in iis deprehenditur, qui imperant, etsi se philosophos esse non agnoscant. Sunt adeo ubivis terrarum iis, qui bene imperant, notiones, quas philosophia efficit distinctas & evidentes, ut certior evadat eorundem usus. Nemo autem negaverit ex eo, quod notiones fiant

distinctæ ac evidentes , plurimum accedere ad beatitudinem civilem præsidiï, nec diffitebuntur imperfectionem artis bene regnandi , qui ut bene regnent omnem curam atque sollicitudinem adhibere solent. Neque hæcenus ad eum perfectionis gradum pervenisse artem bene regnandi quisquam asseverabit eorum, qui ut bene regnent student, ut nihil in ea amplius desiderari possit; sed quivis potius ultro confitebitur multa adhuc superesse , quæ jure desiderantur. Ea igitur, quæ adhuc desiderantur, a philosophia expectanda sunt, sed veriori , qualem nos profitemur & quæ ut conjunctis operis atque viribus promoveatur maxime in votis habemus. Utinam philosopho essent illæ notiones , quæ Viris in Rep. administranda eminentibus sunt! Cum scœnore profecto redderent, quæ accepissent. Multum verioris philosophiæ in negotiis humanis obvium est, quod in libris philosophorum frustra quæsieris. Eo spectantia si colligantur & collecta a philosopho in systema redigantur, pretioso potiemur thesauro novis indies opibus amplificando.

cibus istiusmodi judiciis, quæ proh dolor ! quotidie experimur , modo nostrum in observando acumen desiderari non patiamur. Quamobrem ut impedimenta removeamus, quæ Jurisprudentiæ demonstratiæ inde objici poterant , cum plurimorum interfit jura esse confusæ ac dubiæ interpretationis & applicationis ; atque diuturno licet ac multo studio ne quidem ita addisci, ut penitus intelligantur ; nostrum esse existimavimus obicem illis ponere, ne in detrimentum salutis publicæ vergant, quam a Jurisprudentiâ demonstrativa pendere haud difficile probatu est , modo intelligas eam requiri, ut Justitiæ in foro magis satisfiat, quemadmodum paulo post clarissime ostensuri sumus.

Methodi demonstrativa cognitio qualis in Judice competente requiritur.

§. 2. Tradenda igitur nobis sunt criteria, unde Judicem competentem agnoscas & ab incompetente distinguas. Sunt certa Judicis competentis requisita , quæ in incompetente deficiunt. Doceri adeo debet , quænam sint ista requisita & unde eorundem defectus colligatur. Inter ista requisita primum locum occupat methodi demonstra-

stra.

strativæ exacta cognitio. De methodo enim demonstrativa ferendum judicium est, utrum ejus legibus sit satisfactum nec ne; eas igitur perspectas habere debet judicium hoc sibi sumens. De utilitate quoque Jurisprudentiæ methodo demonstrativa pertractatæ judicium ferri debet: quod ut fieri possit intime perspicere tenetur differentiam inter Jurisprudentiam methodo communi pertractatam & methodo demonstrativa evolutam ac roboratam, qui temere judicare non debet. Quænam sint methodi demonstrativæ leges, diximus nuper cum de Jurisprudentia ad methodum demonstrativam reducenda disereremus (d). Sunt certæ leges definitionum, axiomaticum, formæ propositionum ac demonstrationum, quas omnes & singulas perspectas habere debet, qui judicare voluerit, utrum Jurisprudentia ad formam demonstrativam fuerit reducta nec ne. Nemo hoc in dubium vocare poterit, nisi in prima ratiocinandi principia impingere velit, quæ Dicto de omni continen-

(d) loc. cit. §. 2.

tinentur (e). Quæritur adeo, unde in-
 notescat, utrum alicui leges istæ cognitæ
 ac perspectæ sint nec ne. Quodsi enim
 ostendi possit, eas a quodam ignorari;
 hoc ipso extra omnem controversiam
 positum erit, eum esse Judicem incom-
 petentem methodi demonstrativæ,
 consequenter etiam Jurisprudentiæ de-
 monstrativæ. Si quis specimina me-
 thodi demonstrativæ nulla dedit, ut ex
 iis iudicium fieri possit, quantum in ea
 profecerit; non rectius judicare po-
 teris num methodi demonstrativæ fue-
 rit compos, quam ubi intellexeris, quo-
 modo eandem nobis comparemus.
 Methodus demonstrativa, qua usi sunt
 Geometræ veteres & a qua diversam
 aliam non agnoscimus, describi debet
 in vera Logica: Libelli logici, qui vul-
 go prostant, eam minime delineant,
 quia potius plurima inculcant, quæ
 eidem prorsus contrariantur: ut adeo
 ex iisdem addisci minime possit. Lo-
 gica, quam dedimus & quam integro
 volumine ita comprehendimus, ut me-
 thodo demonstrativa, quam docet,
 ipsa

(e) §. 346. Log. Lat.

ipsamet conscripta fuerit, leges illas tradit, quibus methodus demonstrativa absolvitur. Unde & ejus Lapidem Lydium fecimus, quod sit praxi veterum Geometrarum conformis (f). Quamobrem ex ea methodum demonstrativam cognoscere ac distinctam ejus notionem sibi formare potest, qui aliunde eam nondum perspexit. Quoniam vero ideæ, unde claritas notionum pendet, plurimum obscuritatis continent, ubi in addiscendis dogmatis, quæ methodo demonstrativa pertractata sunt, seu in legendis libris hac methodo conscriptis versatus minime fueris; qui ex attenta Logicæ perlectione methodi demonstrativæ leges intime perspicere voluerit, in legendis quoque libris methodo ista conscriptis aliquid operæ collocare tenetur. Ptopterea quod Logica nostra Latina, quemadmodum ceteræ philosophiæ partes, secundum leges istiusmodi conscripta; qui ex ea easdem cognoscere studet, is una ideas istas sibi comparat, quibus lux affunditur regulis, ut ex notionibus iisdem respon-

(f) §. 26. Log. Lat.

respondentibus tenebræ prorsus dispellantur. Atque adeo patet, quod difficulter probari possit, si quis a studio Logicæ nostræ fuerit alienus, eum solo studio Logicæ methodi demonstrativæ notionem distinctam sibi comparasse. Ex adverso vero extra omnem controversiæ aleam positum, si nullam Logicæ addiscendæ operam navavit, eam nec methodi demonstrativæ leges edoctum fuisse. Nec minus dubio caret, quod earundem notitiam studio Logicæ sibi minime comparare potuerit, si libellus Logicæ, quem in hoc studio sibi ducem elegit, veræ methodi regulas minime explicat, quin potius prorsus adversa iisdem docet. Immo si quis ipsemet Logicæ istiusmodi autor fuerit, eum methodi demonstrativæ ignarum esse si non semper demonstrativa ratione, summa tamen probabilitate colligitur. Fieri enim poterat, ut modo posteriori, de quo mox dicemus apertius, ejus aliquam ideam, ut ut confusam, acquisivisset. Porro methodi demonstrativæ ideam nobis ipso usu comparamus, dum in legendis libris diu multumque versamur. Unde
vide-

videas Mathematicos lectione *Euclidis*, *Archimedis*, *Apollonii* aliorumque præfertim veterum Geometrarum methodo synthetica utentium ideam quandam methodi demonstrativæ sibi comparare. Cumque nos methodi demonstrativæ leges in operibus nostris philosophicis præsertim Latinis sequamur; qui in illorum lectione diu multumque versatur, eum non minus illius aliquam ideam acquirere debere palam est. Immo quia non cujusvis est perspicere, quomodo methodus de rebus geometricis ad alias transferri possit; lectio nostrorum operum philosophicorum, eum docebit, quæ in lectione librorum mathematicorum desiderabit. Quodsi quis igitur nec studio Logicæ verioris vacaverit, nec in legendis libris demonstrativa methodo conscriptis plurimum versatus fuerit; ei nulla profus erit, nisi decepatrix aut incompleta admodum methodi demonstrativæ idea. Atque cum jure judicem incompetentem sicuti methodi demonstrativæ, ita quoque Jurisprudentiæ demonstrativæ pronunciamus, merito ipsi acclamantes: Ne fustos

tor ultra crepidam! Tenendum præterea est, eum, qui sola librorum methodo demonstrativa conscriptorum lectione ejus aliquam ideam sibi comparavit, nec studium verioris Logicæ cum lectione ista conjunxit vel ipsemet leges methodi ab exemplis abstraxit, ideam methodi demonstrativæ nonnisi confusam habere, ut propter latentem adhuc in eadem obscuritatem in applicatione methodi, aut judicio de ejus applicatione subinde aberret. Testatur hoc exemplum Mathematicorum, qui, cum extra Mathesin eadem methodo uti vellent, talia tradidere, quæ eadem pertractata minime agnosceret methodi genuinæ leges distincte animo comprehendens. Quamobrem is demum iudex competens Jurisprudentiæ demonstrativæ erit, qui cum studio verioris Logicæ lectionem assiduam atque diuturnam librorum methodo demonstrativa conscriptorum conjunxit. Si quis vero Logicæ vel nullam prorsus, vel saltem non veriori operam navaverit, nec in libris methodo demonstrativa conscriptis versatus fuerit; is cum nullam prorsus habeat

me-

methodi demonstrativæ ideam, de eadem quoque cognoscere nequit, consequenter judicare minime potest, utrum Jurisprudentia ad formam demonstrativam fuerit reducta, nec ne. Est igitur judex incompetens, quando ea de re quæstio incidit. Atque inde est, quod methodo demonstrativæ conscripti ferantur libri & hoc nomine approbentur multisque elogiis exornentur, in quibus ne vestigium quidem methodi demonstrativæ compareret. Ratio nimirum hæc est, quod judices equidem sint jurium periti, ignari tamen omnis methodi, ut adeo cæcæ habeant fidem autoribus plus de facultatibus suis sperantibus, quam in iis est. Cum vero plerique in orbe erudito sint echo illorum, qui autoritate eminent; ubi contingit judices incompetentes in horum numero esse, uno protinus ore clamant tantum non omnes, Jurisprudentiam methodo demonstrativa fuisse excultam autorique gratulantur, quod fecerit opus cum Sole & Luna duraturum. Qui itaque sapiunt communi famæ minime fiunt, quin potius ea ipsis suspecta est in

S

re-

rebus , de quibus paucissimorum esse potest judicium.

*Quomodo
quis cir-
cumspice-
tus esse
possit, ne
ab aliis
sibi im-
poni pa-
tiantur.*

§. 3. Enimvero quæritur, quomodo quis sibi cavere possit ne decipiatur, cum ipsemet judicare nequit, utrum autor metam, ad quam contenderat, attigerit, nec ne? Patet ex antea dictis responsio. Etenim agnoscere debet se esse judicem incompetentem, ne ipse suum præcipitet judicium, & cæcam autori asserenti habeat fidem. Præterea inquirendum est, utrum in autoris potestate positum fuerit, nec ne, ut Jurisprudentiam methodo demonstrativa proponeret. Utrobique eodem judicatur principio. Nimirum certo cognosces, te methodi demonstrativæ prorsus esse ignarum, consequenter judicare minime posse, utrum ab Autore aliquo Jurisprudentia ad formam demonstrativam fuerit reducta, nec ne; si tibi probe conscius fueris, te studium Logicæ omne vel sprevisse, vel tibi saltem cavisse ab ea, quam mathematicam dixere scioli, Mathesi quidem, at non aliis disciplinis convenientem, in libris autem methodo demon-
stra-

strativa conscriptis, veluti in mathematicis more veterum compositis, minime fuisse versatum. Ea cum unicuique perspecta esse debeant, modo secum habitare velit. se judicem incompetentem facile agnoscet. Quod si similiter facta inquisitione cognoverit, eum, qui Autor fertur Jurisprudentiæ demonstrativæ, in libris methodo demonstrativa conscriptis minime versatum fuisse, neque etiam in studio Logicæ verioris multum operæ collocasse; inde recte omnino colliget eum Jurisprudentiam methodo demonstrativa tradere non potuisse, adeoque nec tradidisse, si vel maxime librum ipsum evolvens dignoscere nequeat, num legibus methodi demonstrativæ satisfecerit. Et eodem profus modo sibi cavet, ne judicis incompetentis deproperato judicio decipiatur, ubi scilicet intelligit eum nec in Libris methodo demonstrativa conscriptis multum fuisse, nec in Logica veriori addiscenda aliquando operam collocasse. Citra ullius injuriam tradimus, quæ veritati consentanea sunt, atque ideo ab exemplis, quæ dari poterant, lubentissime absti-

S 2 nemus.

mus. Antiqua enim dari non possunt, cum de Jurisprudencia ad formam demonstrativam reducendam nostro demum tempore cogitent viri eruditi, ex quo viderunt nos non sine omni profusus successu idem in philosophia moliri. Incivile autem existimamus & a bonis moribus alienum virgula censoria publice nominatim notare vel viros, qui ob alia merita commendari merentur, vel eos, quorum minimum voluntas laudanda est, etsi vires defecerint. Erudiendi nobis videntur cum qui a vero aberrant tramite, ut ad eundem redeant; tum qui ducem sibi eligunt, ipsimet ignorantes, quo sit eundem, ne ad avia seducantur: quod cum fieri possit docendo, neminem vero nominatim perstringendo, illud eligimus, hoc averfamur. Sit ita, quod aliter videatur hominibus, qui sine interitu famæ alterius se ad famam contendere non posse arbitrantur, meo judicio nugantur.

Quomodo probabiliter colligantur, utrum quis in-

§.4. Hac tenus equidem ostendimus, quomodo certi esse possimus, nos vel alios non esse iudices competentes Jurisprudenciæ demonstrativæ, quate-

nus

nus definiendum, utrum quis eam re-
vera demonstrativam effecerit, nec ne.
Enimvero judicium hoc quoad alios
non semper in potestate est, si certum
desideretur. Etenim non semper cer-
to nobis constat, quantum aliquis stu-
dii ac laboris in Logica veriori per-
lustranda, tum in libris demonstrativa
methodo conscriptis perlegendis po-
suerit; multo minus autem omnes
ac singuli, quorum ea de re expetitur
judicium, vel quorum interest nosse,
quid veri subsit, methodi demonstra-
tivæ ideam satis claram atque distin-
ctam habent, sine qua tamen judicium
certum formari impossibile. Quam-
obrem non inconsultum nobis videtur;
quædam adhuc doceri de probabili ju-
dicio vel nostro, vel alieno, utrum quis
scopum, quem sibi præfixerat, attige-
rit, nec ne. Probabili judicio tum de-
mum esse locum, ubi quis methodi
demonstrativæ notionem nullam ha-
buerit, facile patet: alias enim, ubi li-
bri copia ipsi facta fuerit (quod hic
supponimus) certo judicio definire
potest, quid præstiterit qui Jurispru-
dentix demonstrativæ autor haberi-

*rispru-
dentiam
demon-
strati-
vam fe-
cerit, vel
de ea ju-
dicare
possit, nos-
se.*

S. 3

vult.

vult. Quoniam igitur in hoc casu tum demum non sine fiducia asseverare licet, alterum non satisfacere potuisse legibus methodi demonstrativæ, quod certo constet eum studio Logicæ vel nunquam incubuisse, vel saltem veriorum non degustasse, nec aliquem in legendis libris versatum fuisse, quos methodo demonstrativa conditos esse extra omnem dubitationis aleam positum est; ex notione probabilitatis, quam alibi (g) stabilivimus, patet aut judicium prorsus suspendendum esse, aut probabiliter saltem constare debere, num alter in studio Logicæ verioris, vel lectione librorum methodo demonstrativa conscriptorum fuerit versatus. Probabilitas cum tota pendeat a facto alterius, ad extrinseca argumenta confugiendum est, quibus factum aliquod probabile redditur. Factorum probabilitas a circumstantiis pendet, adeoque & hic ad circumstantias confugiendum. Ponamus Titium Jurisprudentiæ operam navasse in Academia, in qua tunc temporis Mathesis prorsus

(g) §. 578. Log.

proflus non docebatur , nulli autem adhuc libri alii methodo demonstrativa conſcripti in ſtudioſorum manibus verfabantur ; inde haud obſcure colligitur , eum methodi non eſſe gnarum , conſequenter nec ipſummet aliquid hac methodo conſcribere potuiſſe , nec de alio judicium certum formare poſſe , utrum id fecerit , nec ne. Ubi quis de aliis judicat , autoritati quoque locus eſt , quam argumentum probabile præbere nemo ignorat. Quodſi enim palam fuerit , Mevium eſſe methodi optime gnarum , Titium vero de Jurisprudencia demonstrativa judicantem Mevio debere judicium , ſuſpicio fit ; probabilitate non caret judicium. Non addimus plura , cum probabilia judicia in præſente negotio non multum valeant , nec multus eorum eſſe poſſit uſus. Id tamen ſilentio præteriri nequit , oppido falli eos , qui inde colligunt autorem uſum eſſe methodo demonstrativa , quod ſingulis veritatum generibus competentes præfigat titulos veterum Geometarum more , a ut in ſcripto ejus compareant definitiones , axiomata , propoſitiones , de-

monstrationes, corollaria, scholia. Neque enim sufficit adscribi nomina, ut methodus sit demonstrativa; verum requiritur, ut singula nomen suum tueantur: quod tum demum fieri intelligitur, ubi legibus methodi, quas in Opere nostro Logico tradidimus, ad amussim respondent. Ex nominibus adeo tantummodo patet voluntas; an vero vires adfuerint nulla prorsus probabilitate, ne minima quidem conficitur, cum plus sperent homines de facultatibus suis, quam in iis est. Itaque ex adverso non minus falluntur, qui sibi persuadent methodo demonstrativa non fuisse conscriptum librum, si tituli definitionum, axiomatum, propositionum, demonstrationum, corollariorum, scholiorum præfixi non deprehendantur. Quod si ergo quis judicii sui rationem redditurus provocet ad titulorum istorum sive præsentiam, sive absentiam, nec aliam dare possit; is nulla probabilitatis specie pro *Judice competente Jurisprudentiæ demonstrativæ* haberi poterit.

*Dubium
quod-
dam tolli-
tur.*

§. 5. Cum de *Jurisprudentia ad formam demonstrativam redigenda* age-

ageremus, varia præcepimus, illi observanda, qui tam arduum opus molitur. Jussumus juris titulos in propositiones demonstrativas resolvi & in eorum rationes inquire (h). Jussumus definitiones, quæ in Corpore Juris extant, emendari, ut sint principia demonstrandi & ea, de quibus agunt leges, ad sua genera suasque species reducenda. Jussumus non unum observari circa principia demonstrandi, quæ Jurisprudentiæ propria sunt. Quoniam igitur ea omnia observanda sunt illi, qui Jurisprudentiam demonstrativam efficere constituerit; ad ea quoque respiciendum videtur, ubi judicare volueris num quis eam demonstrativam effecerit, & num quis judicem Jurisprudentiæ demonstrativæ agere possit. Videntur hæc ab omni specie non aliena. Enimvero quam primum ea accurate pensitaveris, facile constabit a methodi legibus ad Jurisprudentiam applicandis pendere omnia: ut adeo certum sit, si quis methodi fuerit gnarus, cum de singulis

S 5 judi-

(h) loc. cit. §. 6.

judicium ferre posse. Quodsi objicias requiri etiam ut Juris peritus sit, qui de Jurisprudencia demonstrativa sententiam dicere voluerit; id quidem per se adeo manifestum esse putamus, ut de eo dicere supervacaneum existimaverimus. Quando enim quæritur, quinam sit Judex competens Jurisprudenciæ demonstrativæ; quæstio de eo est, quinam Jctorum aut Juris peritorum sit Judex competens Jurisprudenciæ demonstrativæ. De Jure enim judicandum est Jurisperito, sicuti de Theologia Theologo, de Philosophia Philosopho, de Matthesi Mathematico. Non tamen in omni casu Judex incompetens est, qui Juris minime peritus est. Etenim si quis contendit se Jurisprudenciam demonstrativam effecisse; aut methodi legibus satisfecit, aut non satisfecit. Quod si iisdem non satisfecit; methodi gnarus, juris imperitus judicare valet, quod non satisfecerit, adeoque Jurisprudenciam demonstrativam minime effecerit. E. gr. Si quis tantummodo definitiones dederit, in iisdem pro lubitu asumerit, quæ an assumi possint, non demonstravit, ac inde collegerit, quæ in

iis-

iisdem jam actu continentur, alia sub-
jecerit quasi inde fluentia, ratione sub-
inde obscurius tantummodo indicata;
propositiones vero demonstrativas ef-
fecerit nullas, multo minus ex iis,
quæ de subjecto sumuntur, concatena-
tis ratiociniis collegerit prædicatum;
eum Jurisprudentiam demonstrativam
non effecisse intelligit, qui jus omne
prorsus ignorat, methodi autem de-
monstrativæ leges probe cognitæ at-
que perspectas habet. Quodsi quis
leges methodi demonstrativæ omnes ad-
implevit, non impossibile est ut Juri-
um etiam ignarus judicet, iisdem fuis-
se satisfactum: utrum tamen in applica-
tione nullibi aberraverit nec ne, & num
in constituendis principiis observaverit,
quæ suo loco præcipimus, non com-
mode assequetur. Judicium adeo ejus
tantummodo probabile est, majorem
tamen probabilitatem habet, quam
Jcti optimi, qui methodi non satis ex-
pertus est. Nemo non absque ulte-
riori probatione concedet, omnium
maxime Judicem competentem Ju-
risprudentiæ demonstrativæ esse, qui
Juris non minus, quam methodi val-
de

de peritus fuerit. Quodsi autem judicium ferre debet, quod a rigore examinis non abhorret; summa attentione perlegere debet opus sive Specimen Jurisprudentiæ demonstrativæ. Si quis enim obiter tantummodo perlegit, quæ scripta sunt, ita ut animum ad ea non advertat, nec eum ab aliis perceptionibus avocet, quæ in mente cooriuntur; deest ille evidentiæ sensus, qua veritatis convincimur, si vel maxime legimus, quæ a nobismetipsis exasciata meditatione digesta sunt. Non ignota loquor iis, qui sine mente sonos ab iis ipso usu distinguunt, quibus mens est. Quamobrem ubi certus non fueris, & methodi, & juris peritum eam attentionem ad lectionem attulisse, quæ sufficit, ejus judicio fidere tuto non licet. Apparet itaque quam sit difficile judicare, utrum quis judicis competentis partes omnes adimpleverit, nec ne, cum ex adverso multo facilius sit judicare num quis judicis incompetentis nomen mereatur.

*Quinam
de utili-
tate Ju-
rispru-*

§. 6. Satis superque dictum est de quæstione prima, quinam scilicet judicare possit, utrum Jurisprudentiæ ad for-

formam demonstrativam fuerit redu-
 cta, nec ne : etsi enim rationes adhuc
 complures afferri possent, quibus pro-
 babiliter colligitur fieri non potuisse,
 ut quis Jurisprudentiam demonstrati-
 vam effecerit , veluti si spatium tem-
 poris nimis exiguum libro conscriben-
 do impenderit ; nostrum tamen non
 est ad ea evagari , quæ absque Logicæ
 probabilium principiis non sine amba-
 gibus explicantur, ut evidentiam sorti-
 antur. Accedimus itaque ad quæstio-
 nem alteram , quinam sit judex compe-
 tens, quando de eo quæritur , utrum
 inutilis labor sit nec ne , qui Jurispru-
 dentia demonstrativa impenditur. Qui
 de utilitate Jurisprudentia demonstra-
 tivæ judicium ferre voluerit ; ei per-
 specta esse debet penitus differentia ,
 quæ inter Jurisprudentiam demonstra-
 tivam & communem intercedit. Hanc
 vero differentiam cum nemo intelligat,
 nisi qui methodi demonstrativæ leges
 distincte perspectas habet ; distincte
 autem non perspiciantur ac una peni-
 tus intelligantur , nisi cum studio ve-
 rioris Logicæ lectio librorum metho-
 do demonstrativa conscriptorum con-
 jun-

*dentia
 demon-
 strativa
 judicare
 possit.*

jungatur , aut methodi leges ab istiusmodi scripto abstrahantur : denuo patet methodi ignarum , adeoque a studio Logicæ verioris & lectione librorum methodo demonstrativa conscriptorum alienum incompetentem esse de utilitate Jurisprudentiæ demonstratiæ judicem , quantuscunque fuerit Jctus & quantamcunque in foro judex auctoritatem fuerit consecutus. Cum methodum philosophicam explicaremus (i), qua philosophiam universam conscribere constituimus , & quam eandem cum mathematica (k) atque demonstrativa seu scientifica (l) esse evicimus; in compendio exhibui regulas methodi demonstratiæ , quibus differentia doctrinæ cujuscunque , adeoque etiam Jurisprudentiæ ista methodo pertractatæ ab eadem communi methodo discursiva proposita continetur. Regulas tamen istas idem penitus comprehendit , qui Logicæ theoriam idearum ex lectione librorum methodo demonstrativa conscri-

(i) in Disc. prælim. §. 115. & seqq.

(k) ibid. §. 139.

(l) §. 792. Log.

scriptorum haustarum luce collustratam familiarem experitur. Ut enim de utilitate Jurisprudentiæ demonstratiuæ, quæ ab ejus differentia a communi manat, Judicem competentem agere possis; non sufficit nosse verba regularum, quibus methodus demonstrativa continetur, sed illorum quoque vis & potestas cognita esse debet. Utilitatem Juris in Systema demonstrativum redacti commemoravimus, cum de Jurisprudentia civili in formam demonstrativam redigenda ageremus (m). Qui methodi demonstratiuæ leges perspectas habent, de veritate eorum, quæ asserui, convincuntur; illius autem ignaris persuadere velle, quorum evidentiam habere nequeunt, idem esse existimo ac æthiopem lavare. Judicum incompetentium judicia tanquam temeraria contemnenda sunt, si sapimus. Quo magis Jurisprudentia demonstrativa efficietur, eo magis ejus utilitatem experientur, tum qui Juri addiscendo operam suam addicunt, tum qui jus dicere

(m) Trim, brum. n. 2. §. 13.

cere tenentur. Tumque sua quemque experientia docebit, quantum fallantur judices incompetentes de re sibi nondum cognita sententiam ferentes.

*Objectioni
responsio
datur.*

§. 7. Neque vero arbitror fore aliquos, quibus improbable videtur, viros legum apprime peritos & in praxi fori diu multumque cum laude versatos de utilitate Jurisprudentiæ demonstrativæ judicium ferre non posse, cum longo usu didicerint quidnam in Jurisprudentia utile sit, quid minus utile, ut nemo rectius de eo, quod in Jurisprudentia utile sit, judicare possit. Utilitas enim Jurisprudentiæ demonstrativæ a methodo pendet, qua pertractatur. Quæ vero methodi sunt, de iis judicare nequit, qui ejusdem ignarus est. Quare cum ea praxi fori non acquiratur; quod quis in eadem diu versatus fuerit, non ideo magis idoneus efficitur ad ferendam de utilitate Jurisprudentiæ demonstrativæ sententiam. Quodsi excipias iis, qui in foro diu versati sunt, nec sine laude, omnium optime constare debere, quænam sint ea, quibus in foro tuto carere possumus; longum rerum usum

eos

eos docuitque quod Jurisprudentia civili demonstrativa carere queamus. Quando igitur eam inutilem pronunciant, non loqui eos nisi experta. Qui hoc affirmant similes mihi videntur contententi nos Jurisprudentia Romana tuto carere posse in foro ac legibus Germanorum antiquis, paucis illis ac admodum indeterminatis seu vagis, contentos esse posse, propterea quod olim Germani absque istis legibus composuerint lites in foro. Non *quæstio* de eo est, quando de utilitate Jurisprudentiæ demonstrativæ disputatur, utrum sine ea controversiæ civiles decidantur nec ne; sed num rectius decidantur ac felicius, ut minore usus sit labore ac tempore, ubi operam *derit* Jurisprudentia demonstrativa, nam si eadem destituti fuerimus. Reantur ea, quæ de utilitate Jurisprudentiæ demonstrativæ indignitavimus per, cum de eadem in formam demonstrativam transmutanda ageremus, his enim intelliges tum demum *iri querelas*, quas de administræ justitiæ ubivis audias, ubi Jurisprudentia facta fuerit demonstrativa

T & Jur

& Judices ac causarum patroni philosophabuntur. Quamobrem non possum non absurdam pronunciare illorum sententiam, qui noxiam esse arbitrantur Jurisprudentiam demonstrativam. Vidimus alias (n) in Jurisprudentia demonstrativa leges a dubia interpretatione liberari. Ecquis noxium existimabit, leges esse indubiæ interpretationis, nisi lites animo lucri faciendi protrahi dulce experiatur, & eas in utramvis contradictionis partem verti posse, prout commodum visum fuerit, utile opinetur? Vidimus in eadem proflare definitiones accuratas, quibus præscindantur lites de negotiis ad suum genus vel speciem reducendis. Ecquis vero sibi metuet, ne per eas damnum inferatur, administrationi justitiæ, nisi cujus interest disputationibus in foro lites intricari, ut in iis extricandis multum arbitrio Judicis relinquatur? Vidimus vi illius tolli diversas de eodem facto sententias & legum applicationem effici certam atque facilem. Ecquis vero veretur ne inde damnum capiat Justitiæ administratio, nisi cujus inter-

(n) loc. cit.

interest de eodem facto oppositas ferri posse sententias, ut ad obtinendam victoriam plus valeat favor in Judice, quam lex in Codice? Non alia igitur damna ex Jurisprudencia, demonstrativa in foro redundare certum est, nisi quod ex iis tollantur defectus, de quibus dudum conquesti sunt Jcti cordati. Absit vero ut pro damnis reputemus ea, quæ salus Reip. tanquam lex suprema severissime unget. Si quis ergo fuerit, qui de Jurisprudencia demonstrativa tanquam foro noxia conqueritur, is his ipsis querelis se judicem maxime incompetentem probat.

§. 8. Quæ hæc de Judice incompetente Jurisprudenciæ demonstrativæ dicta sunt, ad eos quoque applicari possunt, qui de demonstrationibus in disciplinis philosophicis & Medicina atque Theologia judicium sibi sumunt. Etenim ad methodi demonstrativæ notionem redeunt omnia, quæ proposuimus, adeoque Jurisprudenciæ propria non sunt, sed ad disciplinas alias quascunque transferri possunt. Latior adeo patet illorum usus: id quod coronidis loco moneri consultum duximus.

III.

*De Methodo existentiam Dei ex Ordine
Naturæ demonstrandi.*

§. I.

*Institu-
tum Au-
sarix.*

Cum aliquando asseruissem, vulgo vitium in materia committi, quod fallaciam dicti simpliciter appellant Logici, quando ab ordine universi ad ordinantem argumentantur eumque Deum esse inferunt, propterea quod tacite supponatur ordinem naturæ esse contingentem, quod tamen probari debeat (n); nescio quam criminandi ansam inde arripuerunt homines, quorum intererat calumniis fascinari imperitorum ac imprudentum animos. Rejici vociferabantur optimum ac clarissimum existentiam Dei probandi argumentum. Et quamvis negare haud quaquam possent, sed vel inviti fateri cogerentur, principium istud, *ubi datur ordo, ibi datur ordinans*, non esse verum, nisi quando de ordine contingente ac-

(n) in Rat. Prælect. Sect. 2. c. 3. §. 41
P. 155.

te accipitur ; rem tamen suam præclare egisse sibi videbantur, dum opponerent, quando principium illud ad ordinem naturæ applicatur, illud sumi de ordine contingente. Quasi vero sufficiat sumi, quod a *Spinoza* aliisque Fatalistis negatur, ordinem naturæ contingentem esse, non vero probari debeat? Utigitur appareat, probationem non adeo facilem esse, ut prætermitti debeat, ex principiis nostris Cosmologicis benefico methodi in Logica explicata id docere lubet. Ita enim non modo excitabitur attentio eorum, qui quæ ardua sunt ac difficilia nimis facilia existimant, ne in potestate sua esse arbitrentur, quæ vires ipsorum longe superant; verum idea quoque exemplaris exactæ discussionis ingenerabitur animo lectoris circumspecti, qua juvabitur demonstrationem tentaturus. Philosophiæ quoque nostræ apparebit utilitas, potestati nostræ subjicientis quæ extra eam constituta sunt.

§. 2. Ad quatuor potissimum re- *Quanam*
 dit existentiæ Dei ex ordine Naturæ de- *probanda*
 monstratio. Ostendendum nimirum *sint ei, qui*
 est 1. dari naturæ ordinem, eumque *existentiam*
Dei
ex ordine

T 3

2. es-

*natura
demon-
strat.*

2. esse contingentem, ac ideo 3. eundem habere autorem; huncque 4. autorem non esse aliam nisi Deum. Et si enim interea demus; ea, quibus naturæ ordo continetur, intuitive a nobis cognosci; probandum tamen erit, esse propterea aliquem naturæ ordinem, quod talia in universo observentur. Supponimus enim, te ex eo, quod detur in universo ordo naturæ, inferre velle existentiam Dei, adeoque vi notionis ordinis, non vero ex quibusdam phænomenis, quæ ordinis naturæ nomine complecti volueris. Minime refragamur, si naturæ ordinem appelles, quodcunque tibi libuerit (stet enim per nos unicuique integra sua loquendi libertas); minime tamen damus, te ex eo, quod detur ordo in rerum natura, demonstrasse existentiam Dei. Quod si enim vel maxime ex assumtis eandem rite intuleris; non tamen vi notionis ordinis eandem collegisti, sed vi notionis cujusdam alterius, ad quam phænomena, unde eam deduxisti, referuntur. Ne præter rationem difficultates nectere videamur, specialius ea declaranda nobis existimamus. **Observamus**

mus solem motu proprio sive annuo per eclipticam continuo revolvi ac ideo quatuor anni tempestates singulis annis statuto tempore redire. Ponamus jam te definitione nominali sive constantiam solis in motu proprio per eclipticam, sive vicissitudinem quatuor anni tempestatum continuam per ordinem naturæ designare; per nos id quidem licebit, etsi restrictior sit significatus. Enimvero si vel maxime demonstraveris ideo dari debere Deum, quod sol continuo per eclipticam revolvatur, vel quod singulis annis eadem sint tempestatum vicissitudines in superficie Telluris; non tamen dici potest, te existentiam Dei ex ordine naturæ demonstrasse, cum notio ordinis demonstrationem minime ingrediatur, atque a te absolvi possit, quamvis ignores quid sit ordo. Neque in demonstrando opus habebis principio, quod dari debeat ordinans, ubi datur ordo contingens. Demonstrabis ex eo, quod vocas naturæ ordinem, existentiam Dei, siquidem demonstrationem exactam a te dari supponamus; non vero ex eo, quod est naturæ ordo:

T 4

unde

unde quidem veritati vis nulla infer-
 tur, quæ a nostra denominatione mi-
 nime pendet, præfenti tamen instituto
 minime fatisfacit, ubi omnis quæstio
 huc redit, num vi illius principii, quod
 ordo contingens non possit concipi
 sine ordinante, ex iis, quæ in mundo
 hoc adspèctabili observantur, concludi
 possit existentia Dei. Recte igitur no-
 bis monere videmur, ex ordine naturæ,
 non ex eo, quod quis denominandi li-
 centia naturæ ordinem appellat, exi-
 stentiam Dei demonstraturum primo
 omnium loco probare debere; quod
 detur naturæ ordo. Quod vero porro
 probari debeat, naturæ ordinem esse
 contingentem, alias jam evici (o).
 Immo paulo ante ostendi, contingen-
 tiam illius ordinis a *Spinoza* aliisque in
 dubium vocari, qui ordinem dari in
 universo concedunt, eumque a Deo
 autore derivant. Neque enim existen-
 tiæ Dei & dependentiæ ordinis naturæ
 a Deo repugnat Ordinis hujus neces-
 sitas, quamvis ex ordine naturæ exi-
 stentia Dei demonstrari minime pos-
 sit,

(n) in Rat. Prælect. loc. cit.

fit, si necessarius supponatur. Atque vel hoc nomine tanto magis patet, cur contingentia demonstranda sit, nec gratis sumenda. Obiter monemus, quamvis athei non alium, quam absolute necessarium naturæ ordinem admittant; non tamen ideo atheum esse debere, qui necessitatem ordinis naturæ defendit, propterea quod non implicat esse Deum & ordinem naturæ esse necessarium, vel necessarium naturæ ordinem a Deo autore pendere. Immo necessarius naturæ ordo ne quidem libertati divinæ in creando obstat. Si enim ordo naturæ necessarius est, Deus non alium, quam hunc constituere potuit. Quod si vero potentia in creando a necessitate absoluta libera, ita ut mundum creare potuerit Deus & non creare, prout ipsi visum fuerit; ordo naturæ in se necessarius non tamen necessario actu datur. Vulgo in hoc argumento mire confunduntur omnia: unde contradictoria non minus, quam deproperata fluunt hominum judicia. Nos vero, quibus veritas unice curæ, cordique est, a se invicem separamus, quæ diversa

sunt, nec ulli injuriam facimus de errore, quo imbutum tenet animum, judicaturi. Quod ordo contingens actui dari non possit sine ordinante, verum utique est : hoc tamen non obstante probari debet, ut intelligatur quod sit verum. Alias enim omnia, quæ vera sunt, sine probatione sumi posset, adeoque & ipsa Dei existentia sine probatione sumi poterat, nec opus erat, ut tam operose adstrueretur. Quod si vero concesseris probandam esse existentiam Dei, ut eam veram esse constet; concedendum quoque erit probanda esse ea, quæ illius probandæ causæ sumuntur, ne eam insufficienter probatam esse excipi possit ab iis, quorum gratia probatur. Nemo miretur talia inculcari, quæ a nemine in dubium vocari videntur. Dantur enim homines insulsi, qui calumniis fidem facturi atheismi signum esse contendunt, si quis urget limitationem illius principii: ubi datur ordo, ibi datur ordinans, atque probationem ejusdem, itemque contingentiae naturæ ordinis quod principium istud illimitatum ubi applicatur ad naturæ ordinem non appli-

applicetur nisi ad ordinem, qui sit contingens. Denique si evictum fuerit, dari autorem ordinis naturæ, probandum utique ulterius est, auctorem istum esse Deum. Etenim quando de Deo loquimur, istiusmodi ens vel tacite supponimus, cui ea conveniant attributa, quæ in Scriptura Sacra Deo tribuuntur, atque adeo ostendendum est auctorem ordinis naturæ esse istis attributis instructum, quæ Deo in Scriptura Sacra tribuuntur. Non adeo definitionem nominalem assumere licet, per Deum a te intelligi autorem ordinis naturæ, nisi hinc porro deduxeris attributa ista divina, quæ probant non aliud ens Dei nomine a te insigniri, nisi quod nos Scripturæ autoritate adducti Deum veneramus. Atque ita abunde constare arbitror, existentiam Dei ex ordine naturæ non posse probari, nisi probentur singula, de quibus diximus. Enimvero ostendendum nunc erit specialius, quænam in singulis istis probandis observari debeant, & quomodo ex Ontologia & Cosmologia peti possint principia, quæ hic desiderantur, atque methodus in Logica a nobis expli-

explicata suppeditet regulas hic observandas : id quod convenit instituto, quod in Horis hisce Subsecivis nobis proposuimus.

*Quænam
observanda
sunt in
ordine
naturæ
provincendo.*

§. 3. Agedum itaque videamus primo, quænam observanda sint, ubi demonstrare volueris dari naturæ ordinem. Primum igitur requiritur, ut tibi præsto sit notio ordinis in genere. Et enim per eam primum intelligis, quid hic sit probandum, & attentio excitatur ad ea observanda, in quibus ordo naturæ consistit : deinde vi hujus notionis concluditur in iis, quæ de universo observavimus, vel ex observatis demonstravimus, consistere naturæ ordinem (p). Notionem ordinis in genere explicavimus in Ontologia (q). Quod si eam attenta mente pervolveris patebit, ordinem non minus in sibi mutuo succedentibus, quam coëxistentibus spectari. Constat in mundo dari coëxistentia, dari successiva, ut adeo eundem in genere definiverimus per seriem entium finitorum tam simultaneo-

(p) §. 349. Log.

(q) §. 472. & seqq.

neorum, quam successivorum inter se connexorum (r). Quamobrem duplex in mundo spectari potest, tam rerum coëxistentium, quam successivorum, quemadmodum quoque a nobis jam demonstratum est (s). Quæritur adeo an existentiam Dei demonstraturus ad ordinem in successivis, an ad ordinem in coëxistentibus, an ad utrumque respicere debeat. Quamobrem suspicio haud levis oritur utrum ordo universi idem sit, quem naturæ ordinem appellamus. Unde præcipitantiam evitaturi attentio excitatur, ut in notionem naturæ ante inquireat, quam vel de identitate, vel de diversitate pronunciet. Notionem naturæ significatui recepto conformem dedimus in *Cosmologia* (t), cumque a mundo distinctum ens non esse evicimus (u), diversum tamen ab entibus coëxistentibus & successivis, quæ mundum constituent (x). Unde intelligitur naturæ ordinem

- (r) §. 48. *Cosmol.*
(s) §. 76. *Cosmol.*
(t) §. 503.
(u) §. 504.
(x) §. 507. *Cosmol.*

nem diversum esse debere ab ordine universi, qui tam in rebus coëxistentibus, quam successivis spectatur : id quod etiam a nobis jam demonstratum (y). Quare tandem conficitur, ex ordine naturæ existentiam Dei demonstraturum non ad ordinem universi recurrere debere, qui vel in simultaneous, vel in successivis, vel in utrisque simul spectatur ; sed qualem naturæ rerum distincta notione comprehensæ convenire ostendi potest. Apparet jam de naturæ ordine certi quidpiam statui non posse, nisi ante de natura constiterit quid ea sit & qualis. Quæ hic supponi debent, ex philosophia nostra peti possunt, ubi ostendimus (z), naturam universam esse aggregatum omnium virium motricium, quæ in corporibus in mundo coëxistentibus simul sumtis in sunt, & hinc per naturæ ordinem eum intelligi, quem natura in agendo observat, consequenter qui in modificationibus virium motricium observatur (a). Et ita quidem bene-

(y) §. 563. Cosmol.

(z) §. 507. Cosmol.

(a) §. 557. 558. Cosmol.

beneficio notionis ordinis in genere tanquam directricis demum intelligitur, quid sit agendum, ubi ex ordine naturæ existentiam Dei demonstrare volueris, hoc est concatenata ratiociniorum serie evidenter colligere intendis. Hac sane via ego assecutus sum, quid fieri hic debeat, & me idem consecutum esse non alia via, inde intellexi, quod notiones, quas mihi successive comparavi, tandem in ordinem redigi, quo mutua earundem dependentia patet. Et si quis successivam notionum genesis earumque, quas imperfectas hausimus ab aliis, emendationem probe perspectam habuerit; is in seipso experietur quod eodem modo fuerit consecutus, quid hic fieri conveniat. Neque difficile nobis fore ostendere, alio modo idem consequi non licere, si quidem evidentia convictionis nihil deesse debeat. Distingui-
mus enim, prouti decet, inter eum, qui ab aliis recte dicta repetit, & eum, qui veritatem ab aliis dictorum intime perspicit æque sua facit. Vidimus quomodo vi notionis ordinis nobis innotescat, quid probari debeat, ut constet
dari

dari naturæ ordinem. Nunc porro ostendendum erit, quamnam principia præsupponi debeant, si quis probare velit naturam quendam ordinem in agendo observare, seu in modificationibus virium motricium ordinem quendam deprehendi. Patet igitur, antequam probari possit, naturæ ordinem dari, evincendum esse in quonam modificationes virium motricium consistant. Deinde porro probandum constantes quasdam esse regulas, juxta quas modificationes illæ fiunt, cum ordo omnis suas habeat regulas, per quas unicuique coëxistentium vel successivorum locus suus determinatur (b). In modificatione virium spectatur celeritas & directio: neque enim alia iisdem mutatio accidit nisi quoad celeritatem atque directionem. Quamobrem naturæ dari ordinem demonstraturus ostendere debet, celeritatem & directionem in corporibus juxta constantes quasdam regulas mutari. Quodsi ea, quæ hic demonstranda esse inculcamus, antequam principia habe-

(b) §. 478. Ontol.

beamus stabilendi naturæ ordinem, sufficienter probari debeant, longa probandorum series emergit principiis hinc in sua principia denuo resolutis. Cui volupe fuerit id experiri, is Cosmologiam nostram consulat, clarissime perspecturus, quæ asseveramus. Deditus ibidem demonstrationem ordinis naturæ in mundo adspectabili (c): ubi ultra decem principia ex antecedentibus assumi per citationes apparet. Si citationibus evolutis attendas, quænam ibidem principia alia præsupponantur, quemadmodum apertius docuimus in Logica (d); quantus principiorum apparatus supponatur ad probandum, quod detur naturæ ordo, liquidissime constabit. Atque ita demum iudicium fieri poterit, quinam illam probationem in potestate habeat, quinam infirmior sit, quam ut eidem sufficiat.

§. 4. Operosum admodum est probare, quod detur naturæ ordo, & antequam superiori seculo leges motus in æthericum fuerunt protractæ, evidenter

*Quænam
observanda
sint in
contin-
gentia or-
dinis na-
turæ ad-
struenda.*

U

de-

(c) §. 560. Cosmol.

(d) §. 990.

demonstrari idem minime potuit. Enimvero majoris momenti est probare, quod ordo naturæ sit contingens. Patet ex probatione, quam dedimus (e), eam ad hoc redire, quod regulæ motus, aut, si mavis earum principia, leges naturales motus sint contingentes. Enimvero quonam acumine opus sit, ut contingentia legum motus perspicatur, ex iis intelligitur, quæ ad eandem stabiliendam in Cosmologia (f) adduximus. Totum nimirum negotium huc redit, ut dependentiam legum naturalium motus a principio rationis sufficientis, tanquam a fonte contingentium, agnoscas: quænam vero ad hoc requirantur, ex iis colliges, quæ ad leges motus firmandas adducuntur (g). Multa hic præsupponuntur principia & cosmologica de notione corporis, & ontologica de ente in genere, antequam adsint perspicilla, per quæ conspicias leges istas a materia & corporis essentia minime resultare. Quodsi igitur in philosophia

(e) in Cosmol. §. 561.

(f) §. 527.

(g) Vid. Cosmol. §. 309. 340.

phia prima, qualem dedimus, cum cura versatus fueris, & non modo principium rationis sufficientis clarissime perspexeris, verum etiam notionem entis in genere lucidam inde hauseris, ac præterea notionem corporis ex Cosmologia distinctam tibi effeceris; ea tibi perspicilla comparaveris, quibus opus habes, ut legum naturalium motus contingentiam agnoscas & citra hæsitationem admittas. Notiones istæ generales, quas in Philosophia prima & Cosmologia evolvimus, a rebus existentibus abstractæ sunt: ex ipsis enim rebus derivamus notiones, quæ principiorum loco esse debent, etsi earum a se invicem dependentiam demonstremus. Quamobrem cum me sæpius monuisse meminerim, notiones abstractas lucem mutuare ab ideis rerum, a quibus desumuntur; plurimum juvatur acumen, ubi animum rerum specialium cognitione jam habueris imbutum. Immo cum notiones abstractæ non sint omnibus lucidæ, sed saltem iis, qui in abstractis perpendendis diu multumque fuere versati; me tacente colliges, quinam acumine

destituantur pervidendi legum naturalium motus contingentiam, consequenter quibus impossibile sit ordinis naturæ contingentiam cognoscere.

*Quænam
observan-
da sint,
ubi pro-
bare vo-
lueris da-
ri aucto-
rem or-
dinis na-
turæ.*

§. 5. Quodsi constet naturæ ordinem esse contingentem, ex notione contingentiae demonstrandum ulterius est, dari illius ordinis autorem. Per autorem ordinis intelligimus ens, in quo continetur ejusdem ratio sufficiens, hoc est, cui ea inexistunt, per quæ intelligitur, cur hic potius sit naturæ ordo, quam alius. Nimirum vi principii rationis sufficientis ostenditur dari necessario autorem ordinis naturæ, quippe vi cujus omnis casus purus excluditur (h) ex universo, hoc est, actualitas ratione sufficiente destituta (i). Etsi enim ordo naturæ non repugnet essentiis rerum in universo existentium, ut adeo possibile sit corporum mutationes hæc observare leges; non tamen ideo necessarium ut secundum hæc leges fiant. Unde omnino colligitur rationem, cur se-
cun-

(h) §. 95. Cosmol.

(i) §. 94. Cosmol.

cundum hæc potius leges modificentur, quam secundum alias, extra res existentes corporeas in ente alio quaerendam esse. Etsi autem hæc absque difficultate consequi videantur ex eo, quod leges naturales motus in se sint contingentes, hoc est, ex essentia corporum & notione materiæ non consequantur; non tamen adeo obvia perspicuitate idem intelligitur, ubi in principia rerum intimius penetraveris. Etenim cum in Cosmologicis abunde satis docuerimus, vera rerum materialium elementa esse substantias simplices (k), & non minus materiam, quam vim motricem esse phaenomena ex eo resultantia, quod quæ sunt realia in elementis nonnisi confuse percipiamus (l); leges motus corporum nascuntur ex aliis legibus modificationum substantiarum simplicium. Atque tum apparet, his legibus motus esse locum, quatenus hæc existunt substantiæ simplices, ut adeo aliæ substantiæ simplices existere deberent, si in

U 3

cor-

(k) §. 182. & seqq.

(l) §. 293. & seqq.

corporibus aliis legibus motus locus esse deberet. Unde consequitur, contingentiam legum motus pendere a contingente existentia elementorum, ad quam etiam redit contingens hujus universi existentia. Quamobrem ubi sufficiente acumine usus evincere volueris dari autorem ordinis naturæ, probandum tibi erit dari autorem universi, seu mundi. Atque sic argumentum ab ordine universi contingente desumptum redit ad contingentiam ipsius universi : quo argumento nos utimur existentiam Dei demonstraturi. Ceterum ex modo dictis apparet difficultas demonstrandi, quod detur autor ordinis naturæ, si perspicacioribus satisfacere volueris: quod utique fieri debet, nisi in re maximi momenti argumento ad hominem, quod dicitur, contentus esse volueris.

*Qua ob-
servanda
sunt de-
monstra-
turo, au-
torem or-
dinis uni-
versi esse
Deum.*

§. 6. Quod si eviceris dari autorem ordinis naturæ, quod detur autor universi, quemadmodum modo docuimus; autorem illius ordinis esse Deum tandem demonstrandum, quemadmodum supra insinuavimus (§. 2). Nimirum si definitionem Dei nominalem theo-

theoriæ huic convenientem condere volueris; dicendum erit, Deum esse ens, quod est autor ordinis naturæ, seu in quo ratio sufficiens continetur, cur hic potius sit naturæ ordo, quam alius. Et ubi eviceris, dari naturæ ordinem, ordinem hunc esse contingentem & dari autorem hujus ordinis, consequenter Deum, non aliud probasti quam quod detur ens, in quo ratio sufficiens continetur, cur hic potius sit naturæ ordo quam alius, atque hoc ens a te pro ea, quæ unicuique est denominandi licentia, Deus appellatur. Necessesse igitur est ut ostendas ens, quod a te nomine Dei insignitur esse idem, quod Scriptura Sacra Deum vocat, prouti Geometriæ curvæ alicujus generis tradentes, quæ nomen peculiare jam obtinuit, demonstrare solent esse hanc curvam suam prorsus eandem cum illa, quæ sub hoc vel isto nomine in foro Geometricarum celebratur. Ex eo itaque, quod in ente isto continentur ratio sufficiens ordinis naturæ, deducenda sunt attributa, quæ Deo in sacris tribuuntur, nec enti alii communicari possunt, quemadmodum

U 4

Geo-

Geometrarum ex generis curvæ a se tradita deducunt proprietates curvæ peculiari nomine a Geometris insignitæ, quæ eidem soli competunt. Nimirum ostendendum est, non dari in ente aliquo rationem sufficientem ordinis naturæ, nisi eidem tribuantur attributa, quæ soli Deo competere ex Scriptura Sacra constat, veluti omniscientiam & sapientiam summam, quemadmodum nos (m) existentiam Dei ex contingentia universi, seu mundi hujus adspectabilis demonstrantes attributa divina ex eo deduximus, quod Deo tribuenda sint talia prædicata, per quæ intelligitur, cur hic potius existat mundus, quam alius. Et sane qui animum advertit ad modum, quo nos vi hujus principii attributa divina ex definitione Dei nominali collegimus, quod sit ens, in quo ratio sufficiens contingentie universi continetur; is si methodi fuerit artifex perspiciet, quomodo ex definitione nominali præsentate attributa divina colligi possint: id quod expresius hic docere nostri non est instituti.

§. 7.

(m) Met. c, ult.

§. 7. Qui fuerit philosophus idem-<sup>Conclu-
sio.</sup> que methodi gnarus ultro largietur non inutiles a nobis necti difficultates, sed ea singula attendenda esse quæ præcepimus, ubi demonstrationem dare volueris, quæ satisfacit. Quamobrem abunde satis intelligitur, quam pueriliter de re tam ardua cogitent, qui eam penitus confici sibi persuadent aliisque persuadere conantur, quando jejuno ratiocinio inferunt: Datur ordo naturæ. Ergo datur ordinans, consequenter Deus. Proba enim dari naturæ ordinem: proba dari ejus autorem: proba autorem ejus esse Deum. Quodsi non omnium rerum prorsus fueris ignarus, ipso opere convinceris te de facultatibus tuis plus sperasse, quam in iis est, & judicium tibi sumfisse de rebus, quarum informationem humillima voce tyro petere debebas. Cum enim ne quidem intelligeres quid sit ordo, quid sit natura, fœcundis notionibus destitutus, nec ullam unquam demonstrationem rite evolutam per omnem vitam percepisses; quænam ad demonstrationem consummatam existentia divina ex ordine

dine naturæ requirantur decretoria sententia definire ausus fuisti cæcus de colore importune judicans. Quodsi quæ sunt in votis efficere nostrum esset ; animum temere judicantium tanto acumine imbui voveremus , ut hæcenus dicta penitus intelligerent : neque enim dubitamus fore , ut summo pudore perfusi & in pœnitentiam facti adducti posthac cautius mercari discant. Enimvero mittamus istos, qui sunt doctrinæ incapaces ! Revertamur ad eos , qui sese faciles præbent docenti. Memini (n) me aliquando monuisse, quod argumentum de contingentia universi ideo prætulerim aliis, ne per ambages ad scopum tenderem. Non miror has ambages non potuisse videre homines , quorum in judicando temeritatem modo notavimus : mirarer potius, si eas vidissent. Atat quorum est de doctrina solida iudicium, ii ex superioribus colligent vera me tunc temporis dixisse atque intelligent me jam isto tempore nonnisi omnibus probe pensitatis sententiam

(n) de Ratione Prælect. sect. 2. c. 2. §. 37. 48.

am dixisse. Difficilior enim est probatio contingentæ ordinis naturæ, motuum doctrinam præsupponens, quæ non est ad omnium palatum. Et ubi magno apparatu evicisti dari naturæ ordinem, eumque contingentem, ipsam universi contingentiam in subsidium vocare teneris, antequam firmo ratiocinio inferre possis dari autorem universi, ubi acutioribus satisfacere volueris, qui, quæ in corporibus confuse percipiunt, per ea, quæ elementis insunt, distincte explicant, consequenter in naturam rerum ultra sensuum limites penetrant.

IV.

De Notione Corporis.

§. I.

Notionem corporis in genere admo-^{Institu-}
 dum prolixè integris tribus capi-^{tum At-}
 tibus evoluimus in Cosmologia (o),^{toris.}
 accurata adhibita methodo, ut singu-
 lis asfertis sua constet veritas. Quo-
 niam

(o) Sect. 2. c. 1. 2. 3.

niam vero non omnium est cum attentione legere , quæ synthetica methodo demonstrantur, & hinc inde dispersa in unam notionem colligere, quæ directricis loco esse possit in meditationibus physicis atque agnatis medicis; igitur non defuere , qui a me petierunt, ut notionem corporis analytica methodo evolverem , eam derivando ex communibus notionibus , unde incipit omnis nostra cognitio; quemadmodum in lectionibus academicis singula proponere consuevi, excitata subinde , ubi e re visum fuerit, auditorum ad artificia analytica attentione, ut meditationibus simul adsuefcant , quæ proponuntur facilius memoriæ infixant & si qua eadem exciderint, ea denuo in eandem facilius revocent. Habet etiam hæc proponendi ratio peculiarem quandam claritatis speciem, qua animus discantis perfunditur , ut statim primo quasi intuitu intelligat , quæ alias cum die demum clara tyroni redduntur. Utilitatem igitur præsentis instituti agnoscens, precibus tam honestis deesse minime debui , omnia pro virili collatu-

rus,

rus, quæ ad amplificandam scientiam humano generi utilem a me proficisci possunt. Id enim mihi datum esse existimo, ut aliis vivam, non mihi, tum demum mihi victurus, ubi vixero aliis, atque ideo non ad pompam, sed utilitatem omnium communem philosophari constitui, non ex opinione aliorum, sed ex veritate judicans quid fieri conveniat. Agedum itaque supponamus, nos omnium, quæ de corpore nobis innotuerunt, esse prorsus ignaros, nec unquam animum advertis se ad ea, quæ de iis percipimus, sed nunc demum prima vice eundem ad eadem reflectere: ita enim dilucide constabit, quomodo ex obviis derivetur corporis notio. Obiter vero monemus, hac methodo nos quoque ea examinasse, quæ notionem corporis ingrediuntur, antequam ea methodo alia proponeremus.

§. 2. Quodsi oculos nostros convertentes in corpora, quæ iisdem obijciuntur, misa facimus ea, quibus a se invicem differunt, ea in longum, latum atque profundum extensa deprehendimus. In extenso non distingui-

mus

mus nisi partium possibilibus multitudinem, earundem partium continuitatem & coëxistentiam in uno. Nimirum quodlibet corpus distinguimus ab altero, quatenus unum quid ab altero diversum agnoscimus. Agnoscimus unum quid, quatenus partes ita coëxistunt, ut, nisi vi fiat separatio, una illarum moveri non possit, quin simul moveantur ceteræ. Omnia, quæ hic commemoramus, obvia sunt, modo attentionem tuam desiderari in obviis non patiaris : id quod sæpissime vel magnis accidit viris, quando non perpendunt ab iis, quæ obvia sunt, pendere progressum ad ulteriora, quæ a cognitione nostra procul remota sunt. Primum igitur, quod de corpore cognoscimus, est extensio ejusdem & extensionis notio præsupponit notiones unius, multitudinis, partium, continuitatis tanquam simpliciores, in quas resolvitur : id quod probe notandum est, ne in notione extensionis confusa acquiescamus tanquam in primitiva, atque adeo a corporis notione completa arceamur in interiora ejus minime penetrantes, sed in superficie tantum

tummodo hærentes , quemadmodum ipsi *Cartesio* , Philosopho summo , accidit. Enimvero antequam notionem extensionis uberius evolvamus ; annotanda sunt cetera , quæ in corporibus experientia Magistraprehendimus promiscue communia omnibus.

§. 3. Quodsi visui soli confidere volueris, præter extensionem non observabis , quod commune sit omnibus, quauddiu ad corpora vel quiescentia, vel in motu jam constituta oculos convertis. Evimvero dantur præter visum sensus alii : dantur præter quietem & motum corporum status adhuc alii, nimirum status motus nascentis, quando scilicet mobile in motum conjicitur, & status denascentis, quando idem extinguitur. Absit itaque ut statuas, nihil corporibus commune esse, nisi quod visui obvium est in aliquo saltem illorum statu , inconsultis sensibus ceteris, nec visu in alio corporum statu consulto. Vides itaque rationem excitare attentionem ad alia, quæ alias eidem sese subducerent, & te invitare ad observationes alias , monstrata via, qua ad easdem pervenitur.

Age

*Vis in-
tia ma-
teria*

Agedum itaque oculos converte in onus vel ab hominibus robustis movendum, vel ab equis trahendum. Nonne vides quantum adhibeant homines ad movendum conatum, antequam corpus movendum eidem cedat? Nonne vides, quanta vi impellantur equi, ut progredientes currum onustum trahant? Observas itaque corpus resistere motui dum ad motum impellitur, vel incitatur. Absit autem ut in una observatione subsistas, ubi varietati locum esse intelligis. Corpora enim movenda magnitudine differunt. Quamobrem cum videris, quid fiat, ubi pondus ingens movendum; animum quoque adverte ad corpora minoris molis, quæ eadem vi moveri debent, quæ majora ad motum concitabantur, vel minori moventur. Ubi eadem vis adhibetur ad movendum corpus dimidiæ molis; idem celerius moveri animadvertes. Celerius progrediuntur homines vel equi trahentes molem minorem, quam ubi majorem trahunt. Unde colligitur minus corpus moventi minus resistere, quam majus. Supponimus nimirum corpora quorum pon-

pondus est magnitudini proportionale. Jam ne oculis solis fidas, ipsas manus corporibus movendis admove: deprehendes enim duplum corpus magis resistere, quam simplum, Immo si continuo augeas molem corporis, resistantiam tandem viribus tuis superiorem fieri intelliges. Quod si pondus trahens tanta celeritate progredi conaris, quanta progredi datur; te celerius progredi posse experieris, si corpus minus trahis, quam si majus trahendum. Atque ita demum satis superque apparet, corpora pro quantitate materiae resistere vi, qua ad motum concitantur. Vis igitur illa resistendi non minus inest materiae, quam extensio, consequenter notionem corporis in genere non minus ingredi debet, quam extensio. *Keplerus*, quem *Newtonus* aliique secuti vim inertiae appellat: quae cum adeo obvia sit, ut per communes observationes ac communia experimenta pateat, non immerito miramur, cur *Cartesius* & asseclae eandem ex notione corporis in genere excludant, cum tamen ex extensione minime fluat, neque ipse *Carte-*

X

sius

fusi ex eadem deducere illam ausus fuerit. Hæc ideo monemus, ne quis autoritate *Cartesii* abusus sibi persuadeat factum id ideo, quod vis inertiae ex extensione fluat. Sane si corpora tantummodo extensa essent, neque adeo in iis darentur, nisi quæ ex extensione fluunt; quacunque vi quodcunque pondus moveri poterat. Enimvero quia præter extensionem vi resistendi imbuta sunt; non nisi vi determinata data celeritate moventur. Per hanc vim inertiae corpus quasi segne efficitur ad motum, ut inde quoque suum sortita fuerit nomen. Enimvero vim hanc nonnisi confuse percipimus, dum ipsimet manu corpus aliquod movere conamur, prægrandis præsertim molis, quod humo incumbit, sive idem attollere, sive propellere, sive protrahere velimus. Quantamcunque mentis aciem in ideam ejus intendimus, nihil in ea distinguimus. Dum vero alii ingentem motem protrudunt, vel trahunt, vel pondus ingens attollunt, nonnisi eas in iisdem observamus actiones, ex quibus magnum colligimus conatum, quem

ad

ad movendum adhibent. Equidem non nego corpora ista omnia, in quibus experimentum capimus, esse gravia, atque resistantiam istam gravitati attribui posse, præsertim cum experiamur, non magnitudini, sed gravitati, seu ponderi corporis a gravitate pendentem proportionari istam resistantiam, atque libens concedo ex hac causa contigisse ut viri alias acuti non viderint hanc vim inertiae tanquam omni materiae propriam: initio tamen sufficit eam probabiliter sumi, donec deinceps rationibus evincatur eam omnino materiae omni propriam esse. Neque enim demonstratio universalitatis a notionibus communibus pendet, sed altioris utique indaginis est. Tantisper igitur eandem supponimus. Obiter monemus cum a notionibus communibus deducatur omnis nostra cognitio, ex iis autem non semper universalitas pateat, haud raro contingere ut initio sumantur tanquam universalia, quæ talia non sunt. Nullum vero inde metuendum errandi est periculum, modo observemus sumi interea tanquam vera, quæ adhuc dubia sunt

X 2

sunt, ut ulteriori discussione veritas tandem liquido appareat. Lucem his affundunt, quæ de Hypothesibus philosophicis alias (p) diximus.

*Vis activa
corporis.*

§. 4. Hactenus tantummodo corpus contemplati sumus in statu quietis & in statu motus nascentis, quando nimirum ex statu quietis in statum motus transferendum: enimvero videamus nunc porro, quid observetur, quando corpus in motu actuali constitutum. Convertamus igitur oculos in corpora, quæ dum in alia impingunt, eadem percutiunt. Quodsi obiter tantummodo attendimus, percussionem aliam alia majorem esse ex effectu colligimus. Necesse igitur est ut vel plures observationes colligantur & collectæ inter se conferantur, vel ut ad experimenta deveniatur. Corpus molle a duriori percussum comprimitur & major compressio majori percussioni debetur. Si argilla mollis comprimitur, figura pristina sua sponte non restituitur. Habemus adeo effectum compressionis, qui subsistit

(p) in Horis Subsec. A, 1729. trim. Vern. n. 1.

fistit cesfante corporis percutientis actione. Porro corpus ex alto cadens celeritatem acquirit tanto quidem majorem, quanto altius cadit, & ideo corpora diverfi ponderis ac molis eadem ac diverfa celeritate imbui poffunt. Experimenta igitur institui poffunt demittendo ex altitudine, quæcunque commoda deprehenditur, globos ligneos & plumbeos, æquales pariter & inæquales, ut celeritate acquisita impingant in argillam tantisper exiccata, fed adhuc mollem. Ita nimirum diverfos effectus percuffionis obfervare & ad fuas caufas revocare licet. Quoniam enim corpora percutientia non aliter a fe invicem differunt quam mole, pondere ac celeritate, qua feruntur, ubi fecundum eandem directionem moventur, & in argilla molli effectus a percuffione fuperfunt; omnis differentia, quæ hic attendenda venit, per experimenta patere debet. Quodfi experimenta instituere libuerit, deprehendes idem corpus majorem vim habere ubi celerius movetur, quam ubi tardius movetur; corpora vero diverfi ponderis eadem celeritate lata

X 3

vim

vim habere diversam, ita quidem ut corpori majori major sit vis, minori minor, æstimando scilicet magnitudinem non ex mole, sed ex pondere, nisi quando pondus moli proportionale. Demitte enim globum plumbeum unius libræ & alterum duarum librarum ex eadem altitudine, ut eandem acquirant celeritatem; effectus percussionis in argilla major erit in casu posteriori, quam in priori. Idem quoque patet, si rationem consulas. Etenim si globus duarum librarum eadem celeritate fertur, qua globus unius libræ; perinde est ac si duos poneret globos unius libræ, quæ eadem celeritate feruntur. Quare cum singulis eadem vis inesse debeat, propterea quod nulla adsit differentię ratio; corporis dupli eadem celeritate lati vis major esse debet, quam simpli. Si idem globus demittitur ex diversis altitudinibus, ut nunc majorem, nunc minorem celeritatem acquirat; effectus percussionis major erit in casu priori, quam in posteriori. Atque ita abunde patet corpori in motu constituto adesse vim activam, eamque majorem,

jorem, vel minorem, prouti vel majore, vel minore celeritate movetur, & ab hac vi dependere actionem corporis unius in alterum, ut ideo nullum corpus in alterum agere observetur, nisi moveatur, & in alterum impingat, dum motui ejus obstaculo est. Enimvero expendamus observationes alias, quæ vel communis experientia suggerit. Si ens incurvatur nisus quidam in eo tactu percipitur, quo vi incurvanti resistit, & quo magis incurvatur, eo major est iste renisus. Quamprimum vero nisui huic non amplius resistis, manu remota, non sine impetu in figuram pristinam restituitur. Vis adeo quoque percipitur in corporibus ad motum nitentibus, quando impeditur per resistantiam externam, eaque tanto major est, quanto major est motus, qui obstaculo remoto sequitur. Idem observamus in corporibus gravibus, quæ manui imposita eandem premunt, eadem vero subducta descendunt. Et hæc quidem gravitatis vis constanter est corporibus gravibus, qualia omnia deprehendimus, quæ in Tellure sensui obvia sunt,

ipsum etiam aërem, quem nonnisi tactu percipimus, ubi celeriter motus in faciem impingit, vel visu mediante attingimus, quatenus videmus effectus ejus, unde ejus præsentiam ratiocinando colligimus. Hinc cum appareat vim quandam corpori inesse posse, etsi quiescat & omni vi destitutum videatur; dubii reddimur, utrum corpori aliqua vis constanter insit, quæ in motu tantummodo varie modificetur, an vero vis illa, quæ in motu eidem inest, tum demum inesse incipiat, quando ad motum concitatur.

*Extensio
accuratissimè
expenditur.*

§. 5. Vidimus tria, quæ in omni corpore obvia sunt, extensionem, qua spatium replet & ob quam figuram determinatamque magnitudinem habet, vim inertiae qua motui adeoque mutationi resistit statumque suum tuetur, & denique vim activam, quæ inest corporibus motis & qua agunt in se invicem corpora, tum etiam ad motum nitentibus, qua premunt ac urgent motui ipsorum resistentia. Tria autem restant accurate discutienda, antequam notio corporis in genere formari possit, nimirum I. num exten-

ten-

tenfio, vis inertiz & vis activa a fe invicem pendeant, an vero per fe infint: 2. an vis aliqua activa femper infit, an tantummodo in motu oriatur, 3. an per extensionem, vim inertiz & vim activam feu motricem omnia quz corporibus infunt cetera, omnesque, quz iisdem accidunt, mutationes explicari poffint. Neque enim definitionem, quz infar notionis primitivz fumitur, ingredi poffunt nifi ea, quz per fe mutuo non determinantur; ingredi tamen debent non pauciora, quam quz ceteris rei inexiftentibus vel accidere valentibus demonftrandis fufficiunt. Agedum itaque cum conftet extensionem primitivum aliquod pradicatum non efle, fed in alias fimpliciores refolvi notionem ejus (§. 2.) expendamus, accuratius, quid fibi velit extenfio, ut appareat, num ex ea fluat vis inertiz, vel vis activa, an vero omnia fimul a principio altiori quodam pendeant. Obfervamus in extenfo partium multitudinem, quz fimul unum conftituunt, & vi continuitatis inter fe unitz tantummodo poffibiles funt. Quoniam extenfum

X 5 ex

ex pluribus constat partibus, compositum est (p) & quia continuum est, partes in hoc composito ita juxta se invicem collocantur, ut aliz inter ipsas alio ordine interponi impossibile sit, consequenter existentia possibilis partis diversæ intermediæ inter duas datas sibi proximas excluditur. Nimirum in extenso nullæ concipiuntur partes actuales, sed tantummodo possibiles: quascunque vero partes mente in eodem designes, eadem constanter hoc modo coëxistunt, ut impossibile sit inter eas concipi aliam intermediam, immo impossibile fit terminos actuales partium concipi salva continuitate. Sane ea de causa Scholastici partes in continuo communi termino copulari dixerunt. Quamprimum enim partibus assignes proprios terminos, non modo ipsæ actuales evadunt, verum etiam continuitas in contiguitatem degenerat & intermedia quaedam existentia admittenda venit. Perpende jam ea, quæ in notione extensionis involvuntur; nullo tamen ratiocinio inde infe-

(p) §. 531. Ontol.

inferes, extensum moventi resistere debere, consequenter vi inertiz præditum esse. Quæ enim illatio: dantur in extenso partes plures, sed ita coëxistentes, ut inter duas proximas aliam intermediam interponi impossibile sit. Ergo extensum resistit vi, qua ad motum concitatur? Neque enim repugnat corpus, in quo concipitur extensio uniformis, moveri, cum ad motum nonrequiratur, ut partes sint actuales iisdemque spatiola intermedia vel vacua, vel alia materia fluida repleta interspersa. Quam ob rem *Leibnitius*, cum adhuc Atomistarum hypotheses amplecteretur (q), ex notione extensionis sequi agnovit, corpus quodlibet qualibet vi moveri posse, atque ad voluntatem Numinis recurrere, quod aliud quid obtineat in rerum natura. Similiter quantacunque mentis acie expendas ea, quæ in notione extensionis continentur, nullius tamen ratiocinii vi inde inferes vim activam, quæ in motu deprehenditur & in corpore ad motum tendente observatur.

(q) in Hypothesi Phys. nova.

vatur. Unde *Cartesius*, quemadmodum in vulgus notum est, cum essentiam corporis in extensione consistere sibi persuaderet, motum a Deo immediate derivavit. Satis adeo perspectum est in extensione non reperri, unde vel vis inertiz, vel vis motrix explicari possit. In notione igitur corporis extensio, vis inertiz & vis activa, tanquam compossibilia considerari debent, quz eidem subjecto simul inesse possunt, sed non necessario simul insunt. Atque adeo patet ea simul definitionem corporis ingredi debere, ita ut notio incompleta censi debet, quamdiu unum eorum ex eadem exulat, modo constet vim activam esse ex eorum numero, quz corpori constanter insunt.

An vis
activa
corporis
constanter
insit.

§. 6. Inquirendum igitur nobis est, an sit aliqua vis activa, quz corpori constanter inest. Vidimus eam non fluere ex extensione, cum posita extensione non ideo ponatur vis activa, ut ideo vulgo spatium sumatur tanquam extensum, non autem ideo concipiatur activum: id quod tamen fieri deberet, siquidem extensione posita poneretur

retur vis activa. Quamobrem ex iis, quæ corpori insunt, demonstrari nequit, quod constanter insit. Recurrendum igitur est vel ad experientiam, vel ex aliis quæ de corpore observantur colligendum, utrum ea constanter insit, an extrinsecus adveniat. Equidem ea, quæ experimento nostro subsunt corpora gravitate prædita sunt, quæ virium quædam species est; vis tamen motrix in genere ab ea diversa videtur, propterea quod gravia impulsa moventur juxta directionem aliam, qua gravia feruntur, ita ut in altum projecta secundum directionem prorsus contrariam incedant, utpote a centro telluris recedentia, ad quod vi gravitatis tendunt. Vis adeo hæc a gravitate diversa tum demum accedere videtur, quando corpus ad motum impellitur: unde & vulgo vis impressa appellatur & corpus in altum projectum vi impressa ascendere dicitur, quod vi gravitatis relabi ajunt omnes. Enimvero ubi experientiam consulimus, non statim sidendum est iis, quæ perceptiones confusæ nobis primum insinuant: resolvendæ sunt confusæ in
distin-

distinctas, ut appareat, num per precipitantiam statuatur. Vis activa per omnem materiam, quæ cum corpore movetur æqualiter diffusa deprehenditur, ut dimidia insit in dimidia globi plumbei parte, subtripla in parte tertia, subquadrupla in quarta & ita porro. Atque idem patet ex eo, quod æstimatur ejus quantitas tum ex quantitate materiæ, tum ex celeritate, quam in omni mobili per omnem materiam æqualiter diffusam esse constat. Quod si igitur vis activa constanter non inest, sed tum demum accedit, quando corpus ad motum concitatur; erit aliquis modus corporis (r), atque adeo rationem sui cognoscit partim in iis, quæ corpori insunt, partim in movente (s). Nimirum per ea, quæ corpori insunt intelligi debet, quod vis, quæ non inest, inesse possit, seu possibilis inexistencia, per movens vero patere debet, cur quæ inesse poterat, nunc actu insit. Enimvero si in corpore non admittas nisi extensionem atque vim in-

ertiz

(r) §. 151. Ontol.

(s) §. 160. Ontol.

ertiz, nunquam inde intelliges possibile esse ut vis quædam activa eidem superaccedat, quemadmodum ex structura horologii intelligitur talem motum indicis esse possibilem, etsi actu non moveatur. Etenim dum extensum concipis, multitudinem partium tibi representas eo ordine se invicem excipientium, ut inter duas quaslibet proximas aliam intermediam interponi impossibile fit. Exinde vero nullo modo fluit, posse extensum recipere vim activam, nisi imaginationi litans extensum eadem imbui fingas, quemadmodum charta oleum, vel aquam, cui immergitur, imbibit. Nullam enim tibi esse ideam, qua vis activa per extensum diffusio representatur; intelligis ubi missam feceris imaginem, unde similitudinem petis. Quæso nimirum, quænam tibi est vis motricis idea, quam per extensum diffundi affirmas, dum mobile in idem impingit? Quamnam diffusionis istius ideam habes? Cum vero nec vis motricis, nec ejus per materiam diffusionis aliqua tibi adsit idea; quomodo similitudinem observare potes, quæ inter char-

chartam oleo vel aqua imbutam, & inter extensum vi activa imprægnatum intercedit? Adverterunt difficultates Idealistæ, qui nodum Gordium non solventes, sed secantes existentiam realem corporum negarunt. Et sane omni ævo difficultates inextricabiles visæ sunt, quæ ex communicatione motus emergunt, ubi eam per transfusionem vis motricis ex uno subjecto in alterum imaginariis. Neque *Cartesiana* transcreatio vis motricis ex uno subjecto in alterum easdem solvit. Quamobrem apparet quod in vitis principiis rationis sumatur vim motricem tum demum in corpore nasci, quando ad motum impellitur. Quoniam itaque vis motrix concipi nequit tanquam modus materiæ, sive extensi, difficultatibus insolubilibus emergentibus tum quoad possibilitatem ejus intrinsicam, tum quoad actualitatem; videndum erit an vis motrix concipi debeat per modum realitatis constantis, quæ omni corpori semper inest, sed per conflictum diversimode modificatur. Cum hac sane notione consentiunt phænomena, nec quicquam amplius
diffi-

difficultatis facescit ratio. Observamus celeritatem augeri minuique, consequenter in numerum mutabilium referendam esse. Supponit adeo subiectum, cui tanquam modus inexistit (t). Quare cum ex antecedentibus appareat, subiectum istud non esse materiam, quæ per celeritatem modificari nequit, modificationibus ejusdem ad figuræ mutationes redeuntibus, vis motrix utique subiectum hujus modi concipi debet. Dicendum itaque vim motricem esse aliquid perinde ac materiam in corpore perdurabile, & quemadmodum materia modificatur figura extensi mutata, hoc est, limite ejusdem variato; ita similiter vis motrix modificatur celeritate mutata, hoc est, ipsius limite variato.

§. 7. Subiectum perdurabile & modificabile substantiam dicunt omnes: An vis motrix sit id, quod Aristotelici formam substantialem appellarunt. ideo enim nemo non materiam pro substantia habet, quia subiectum perdurabile est, constantis nimirum extensionis, & modificabile, quatenus nimirum salva extensione figura continuo

(t) §. 151. Ontol.

tinuo mutari potest. Frustrum cere eandem retinet extensionem, idemque spatium replet, si magnitudinem spectes, quæcunque eidem figura inducatur, dumque figura mutatur, limites extensionis variantur, cum figura non sit nisi extensionis limes. Quoniam igitur *Aristoteles* præter materiam ad corpus requisivit formam substantialem; quæritur an vis motrix cum forma substantiali eadem sit. Visum id est *Leibnitio*, (u) qui vim primitivam, quæ in omni substantia corporea per se inest, formæ substantiali respondere affirmat, etsi in nuda affirmatione subsistens rationem asserti sui nullam afferat. Nostrum est, ut notionibus vis motricis & formarum substantialium inter se collatis definiamus, utrum vis motrix cum forma substantiali pro eodem haberi possit nec ne. Formam substantialem definit *Joannes du Hamel* (x) per primum & principale principium operandi in corpore physico

(u) in Specimine Dynamico quod legitur in Actis Eruditorum A. 1695. p. 145. & seqq.

(x) in Philosophia Universali seu Commentar-

tamen potest. Equidem non negamus essentiam compositi adeoque corporis consistere in modo, quo partes datæ, hoc est, tales, non aliæ inter se junguntur (b). Neque inficias ire libet, hoc pacto corpora a se invicem differre particularum, ex quibus componuntur, vel etiam partium figuris, mole & situ, consequenter formas rerum ab hisce principiis mechanicis derivandas esse, quemadmodum fecit *Robertus Boyle* (c): hoc tamen non obstante contendimus, ex eo quod formæ substantiali tribuendum ut diversa corporum oriantur genera atque species, neque materia sit massa quædam uniformis continua, sequi quod forma substantialis intelligibili modo explicari nequeat nisi per vim activam, seu motricem. Quamdiu nimirum materia concipitur sine motu, nulla in pleno concipi potest figura; sed continuitas partium actualitatem arcet, nec adest principium extensionem terminans, ut figuræ in eodem ori-

(b) §. 149. *Cosmol.*

(c) in *Tractatu de formarum origine.*

orientur: id quod agnovit *Cl. Muys* (d), et si vim activam primitivam oppugnet. Motus non concipitur in corpore sine vi primitiva, quæ modificatur per diversos celeritatis gradus, atque ideo a vi illa primitiva tanquam principio derivandum est omne discrimen in composito naturali, seu corpore. Quod si itaque differentia corporum a figuris & mole partium derivanda; principium quidditatis ultimum in corporibus utique erit vis primitiva. Et hoc pacto per vim primitivam, quæ omni corpori per se inesse intelligitur, explicari debet forma substantialis veterum. Plura non addimus, cum ex dictis abunde pateat, quod probare intenderamus.

§. 8. Restat ut inquiramus, num per extensionem, vim inertiam & vim activam seu motricem cetera in corporibus explicari possint. Affirmativam jam demonstravimus in *Cosmologia* (e), ubi evicimus, per extensionem, vim inertiam & vim activam omnes corporum mutationes explicari posse. Demonstratio, quæ ibidem legitur, adeo

An per extensionem, vim inertiam & vim motricem cetera in corporibus explicari possint.

Y 3

plan-

(d) in *Elementis Physices*.

(e) §. 108.

planta est, ut legi & intelligi extra contextum possit. Nimirum ostendimus ex notione extensionis, quatenus scilicet terminata supponitur, intelligi quænam mutationes sint posibles seu in corpore accidere possint; ex vi motrice autem patet, cur, quales vi extensionis posibles concipiuntur, mutationes actu consequantur, & ex vi inertie perspicitur cur tales potius consequantur quam aliæ. Jam ubi mutatio aliqua distincte explicanda, doceri debet quomodo possibile sit, quomodo ad actualitatem perducatur & cur talis potius consequatur quam alia. Quamobrem extensio, vis inertie & vis activa sunt principia sufficientia explicandi corporum mutationes. Ex tribus scilicet hisce notionibus deducendum, quod phænomenis explicandis conducit. Neque enim existimandum est ex notionibus generalibus specialium phænomenorum explicationem petendam esse: id quod idem foret ac nugari. Atque sic tandem patet, ad notionem corporis in genere requiri extensionem, vim inertie atque vim activam tanquam determinationes essentielles.

§. 9. Enimvero id difficultate sua non caret, quomodo extensum vi inertiae imbuti possit, quippe quæ quantitati materię coherentis adeoque extensioni, quæ materię huic inest, proportionalis, cum in extenso uniformi, quale jam supponimus, nulla adsit ratio, cur resistentia in una parte major esse debeat, quam in altera, idemque experimentis confirmetur. Nec minoris difficultatis est extensum vi inertię imbutum permeare vi activa, cum vis activa non minus, quam extensum per modum substantię concipi debeat, adeoque una substantia permeare videatur alteram: quæ substantiarum permeatio utpote inconceptibilis, imaginationis luxuriantis fœtus, in causa fuit, ut *Cartesius* distinctas notiones urgens formas substantiales ex philosophia prima eliminaverit. Vidimus extensionem non esse primitivam notionem, sed in alias simpliciores resolvi. Quamobrem haud immerito suspicamur, nec vim inertię atque vim activam primitivas esse notiones. Præterea nemo non novit nos extensionem, vim inertię & vim activam non nisi confuse percipere, sensuum be-

neficio, consequenter notiones singulas ad distinctas revocandas esse nemo non concedere tenetur, antequam ad difficultates responderi possit. Facile enim intelligitur in perceptionibus confusis sæpe videri, quæ non sunt, sensu tanquam eadem repræsentante quæ sunt diversa & in unum confundente quæ distinguui a se invicem oportebat. Exemplum clarissimum habemus in qualitatibus sensibilibus, quæ quidam cum *Lockio* pro simplicibus habent, etsi infinites compositæ sint, quemadmodum suo loco in *Psychologia* rationali proxime ostensurus sum. Etenim postquam *Cartesius* colorum notionem confusam ad distinctam revocare docuit & hodie eosdem per luminis reflexiones atque refractiones in corpusculis intelligibili modo explicare licet; quantum intersit discriminis inter perceptionem confusam, quæ sensui debetur, & notionem distinctam, quæ ad intellectum referenda, satis superque apparet. Sane ex perceptionibus confusis non minus difficultatis nobis objicitur, quomodo extensum tanquam substantiale accidente aliquo veluti colore imbui

pos-

possit, quam ubi quæsieris, quomodo idem vi inertiae imbuatur & a vi activa permeetur. Absit itaque ut per præcipitantiæ urgeamus difficultates, antequam constet, num iisdem locus esse possit. Quare cum idem constare nequeat, antequam ad notiones distinctas revocentur extensio, vis inertiae & vis activa; agendum inquiramus undenam sit, quod corpus sit extensum atque idem simul vi inertiae & activa præditum. Equidem non nego sufficere ad philosophandum de rebus naturalibus, si in iis acquiescamus, quæ de extensione, vi inertiae & vi activa a posteriori innotescunt, cum rationes phaenomenorum ultimæ ignorari possint, etsi propiores innotescant: ubi tamen primas rationes scrutari volueris ne circa principia relinquantur difficultates, ad notiones distinctas redeundum.

§. 10. In extenso concipimus partium multitudinem & continuitatem. *Extensio quomodo ad notionem distinctam revocatur.* Quæritur itaque, undenam sint partes, & undenam in extenso oriatur continuitas: utrumque enim intelligibili modo explicandum est. Quamdiu partes ponuntur extensæ multitudinem

Y 5

par-

partium involvunt vi notionis extenſi atque adeo in alias minores denuo reſolubiles ſunt. Quamobrem jam olim philoſophi materiæ diviſibilitatem in infinitum admiferunt, & *Carteſius* eandem amplexus eſt noſtro ævo, tuenturque omnes, qui infiniti mathematici notionem diſtincta deſtituuntur eamque nonniſi imaginariam eſſe minime agnoſcunt, quemadmodum a me alibi explicata fuit (f). Enimvero vocabulum infiniti tantummodo mentem obnubilat, ne ad ulteriora proſpicere poſſit, tantum abeſt, ut acumen juvet, quo intime perſpiciantur, quæ in notionem extenſionis involvuntur. Diſpellamus igitur nebulam, mentem a vocabulo ad ipſam rei notionem revocantes. Partes quantumcunque in compoſitorum numero ſunt, atque adeo ex aliis partibus ſe minoribus denuo componuntur. In extenſo igitur rationem compoſitionis ſufficientem non reperimus, cum quantumcunque intervallo progredientibus continuo eadem objiciatur quaëſtio, undenam ſint illæ partes. Quæ ſane ratio fuit, cur *Zeno* olim atomos inſtar

pun-

(f) §. 804. Ontol.

punctorum mathematicorum sine partibus esse dixerit, aliquid veritatis assecutus, sed non omnem penitus pervidens. Jam vero præter compositum concipi non potest nisi simplex, quod partibus caret, atque ideo ratio compositionis in simplici contineatur necesse est, consequenter simplex concipi nequit per modum puncti mathematici, sed in eo admittendæ sunt determinationes quædam intrinsecæ seu qualitates, per quas patet quomodo partes oriuntur sicque extensum prodeat ex eo, quod non extensum est. Vulgo absonum videtur, extensum oriri debere ex eo, quod non est extensum: sumunt enim tantum non omnes extensum majus oriri ex extenso minore. Sed nemo eorum, qui hoc principium sumit unquam probavit, ut in numerum precariorum referri debeat, quod facta discussione falsum deprehenditur, utpote a contradictione non liberum. Si qui ad principium recurrunt, quod quis non habet, id alteri dare non potest; eos non moramur, cum vaga eidem respondeat notio, qua mentis acies prorsus obtunditur in ingeniis hebetioribus.

Cum

Cum continuitas ex partium in extenso unione resultet, vi cuius termini actuales evanescent; ratio vero unionis simplicium in ipsis simplicibus contineri debeat, quorum unione atomi materiales *Democriti & Epicuri* prodeunt, ideo ratio quoque continuitatis ex determinationibus simplici intrinsicis, seu simplicium qualitatibus reddenda venit. Atque sic patet fieri non posse ut extensionis notio fiat distincta, nisi mentis aciem in qualitates entium simplicium convertamus tanquam genuina rerum materialium elementa & fontem omnis mechanismi, quem in rebus corporeis deprehendimus. Nemo philosophorum ignorat, quantacunque difficultates continui compositio omni ævo faceserit, ut ideis Geometrarum imaginariis in forum Philosophiæ naturalis translatis manifestas contradictiones deprehendentes realem corporum existentiam negaverint Idealistæ, quasi vero non minus ex notionibus resolvendæ sint difficultates, si mundo tantummodo idealem existentiam in mente tribuas, quam si realem ejus extra mentem admittas. Pone enim mundum

dum realem existentiam extra mentem non habere, sed esse tantummodo ideam ejus in mente tua; nihil erit extra mentem quod notioni extensionis respondeat, non tamen ideo notio extensionis irresolubilis evadit, sed perinde ac in hypothese realis existentiae mundi materialis in eadem simpliciores notiones resolvenda venit, ubi distincte pernoscere volueris, quæ in confusa invicem confunduntur. Recurrendum quoque erit Idealistæ ad notionem simplicium, ut partium inde explices ortum & earundem in extenso unionem, per quam in eodem resultat continuitas. Nil igitur juvat negari realem mundi materialis extra mentem existentiam, ut libereris a difficultatibus, quæ circa compositionem ac divisionem continui objiciuntur: separanda tantummodo sunt imaginaria a realibus, nec in confuse perceptis tanquam in notionibus primitivis acquiescendum.

§. 11. Vidimus extensionem & in extenso continuitatem ab altiori quodam principio derivandam esse, ut notio extensionis distincta evadat. Enimvero

Vis inertia & vis motrix quomodo ad distin-

*Eam no-
tionem
revocan-
da.*

vero quidnam fieri oportet, ut vis inertiae & vis motrix ad eandem revocentur? Extensum est subjectum mutationis in corpore, vis inertiae principium passionum. Vis denique motrix principium actionum. Quoniam entia simplicia sunt fons compositionis; ex eodem vero fonte derivanda sunt cetera, quae corpori in esse observantur; entia quoque simplicia continere debent, per quae vis inertiae & activa in corpore intelligibili modo explicari potest, adeoque iis qualitatibus instruenda, ut appareat, cur corpus non minus vi activa, quam vi inertiae praeditum esse debeat. Quoniam vis motrix est principium actionum; ipsis quoque entibus simplicibus principium quoddam actionum inesse debet, neque enim in corpore admittitur vis activa, nisi quatenus vim, quae inest simplicibus confuse percipimus. Similiter quia in corporibus, quae datur, vis inertiae est principium passionum; ideo in simplicibus quoque dari debet quidpiam, unde passivum istud principium in corporibus intelligibiliter explicari potest. Phaenomena igitur, hoc est, quae in
COR.

poribus confuse percipimus, quemadmodum postulant entia simplicia tanquam eorum fontem, ita quoque insinuant quales in iisdem concipere debeamus determinationes intrinsecas, seu quibus qualitatibus easdem instruere debeamus, ut sint phaenomenorum fons. Nimirum per ea, quae insunt elementis intelligi debet, cur detur materia, cur ea sit subjectum quoddam mutationum, cur pati possit corpus unum ab alio & cur detur vis motrix in corporibus, ut corpus unum actu patiens ab alio varias successive subeat mutationes. Diximus de his in Cosmologia in capite integro (g); non inconsultum tamen videtur, ut de iisdem hic dicamus, ob eandem rationem, ob quam de notione corporis hic disseruimus. Sed cum hac vice id fieri minime possit; differendum id est in aliud tempus.

§. 12. Antequam vero hinc dis- *Epilogus*
cedamus, sequentia inculcamus probe observanda, ne male utamur iis, quae hactenus dicta sunt. De notione corporis

(g) Scot. 2. c. 3.

poris in genere diximus : sed vel ideo apparet hinc derivari non posse phenomenorum specialium rationes. Sufficit notio generalis nonnisi ad reddendas rationes generales veluti cur corpora agere, cur pati possint, cur sint mutationibus obnoxia. Hunc autem eadem usum habet facile precipuum, ut nos deducat ad verum rerum materialium fontem, unde non modo ratio redditur eorum, quae corporis notionem in genere ingrediuntur, verum etiam difficultates solvuntur, quae omni modo pro inextricabilibus habitae fuerunt. Dicemus de his apertius proxime, quae satisfacere iudicabimus discendi cupidis, ut ad Cosmologiae lectionem preparentur. Ad ista autem intelligenda serviunt, quae hac vice proponimus.

F I N I S.

Trimestris autumnalis.

CON-



CONSPECTUS

TRIMESTRIS AUTUMNALIS.

I.

De Rege philosophante & Philosopho regnante, 563

II.

De Judice incompetente Jurisprudentiæ demonstratiuæ, 633

III.


De Methodo existentiam Dei ex ordine Naturæ demonstrandi, 640

IV.

De Notione Corporis, 683

Z

INDEX



I N D E X

RERUM ET VERBORUM.

A.

A cademia peregrinæ studiorum gratia nunquam frequentandæ,	594
<i>Actio humana</i> unde æstimanda, 28. quando perfecta,	211
<i>Actiones</i> quomodo differant a seipsis, si ex amore profluant,	219
<i>Actiones liberae</i> quando tendant ad perfectionem hominis,	29
<i>Actionis</i> perfectio,	36
<i>Actionum</i> ex virtute series quomodo fiat continua & longior,	57
<i>Actionum</i> turpium stimulus,	62
<i>Acumen</i> perspicendi nexum in negotiis humanis quomodo acquiratur,	300 & seqq.
<i>Acumen</i> pervidendi quæ animæ insunt quomodo acquiratur,	70
<i>Acumen observandi</i> singulare,	56
<i>Aerometria</i> ab Autore Marhesi illata,	164
<i>Affectuum</i> malignorum fons,	62
<i>Amor alterius</i> qualis esse debeat, quando voluptatem gignat,	173 231. 232
<i>Amor Dei</i> quomodo virtutis amorem incendat,	70 quo-

Index Rerum & Verborum.

quomodo voluptatem ex virtute augeat,	207
& seqq. quando obliget ad honestas actiones,	216 & seqq.
quomodo perficiat naturam hominis,	221.
quando attentionem augeat,	221
<i>Amor veritatis</i> quid efficiat in imperantibus,	616. & seqq.
<i>Analyticamethodi</i> utilitas,	684
<i>Antinomias</i> ex Jure exulare quomodo demonstratur,	101.
quid deprehenderit Autor,	122
<i>Annales Sinarum</i> sine exemplo conscripti,	587
cur philosophia moralis & civilis subsidium,	187
<i>Appetitus generalis</i> determinatio,	21
<i>Arbitrariosum</i> in disciplinis rationes,	112.
	113
<i>Architectus</i> quomodo fiat æquus & fidelis,	617
<i>Assensum</i> ab appetitu pendulum quinam habeant,	416
<i>Attentio</i> ad honestatem intrinsecam actionum qualis requiratur,	19.
ad ea, quæ animæ in sunt, quomodo acquiratur,	72

B.

<i>Beatitudo Reip.</i> in quonam consistat,	565
quomodo a regimine philosophi pendeat,	564
<i>Bibere in gloriam Dei</i> quid sit,	185

C.

<i>Campanella</i> persecutio,	379. & seqq.
<i>Captos</i> in bello num in servitutem redigere liceat,	454
	Car.

Index Rerum & Verborum.

<i>Cartesius</i> a Voëtio impietatis postulatus ,	381 &
seqq. ejus elogium ,	405
<i>Christi</i> artificium in enunciando juris naturalis	
principio ,	363 & seq.
<i>Christus</i> quomodo sit caput Ecclesiæ ,	238
<i>Cibus</i> quinam appetendus ,	9
<i>Circumspecti</i> in gerendis negotiis quomodo fi-	
amus ,	36
<i>Circumspectio</i> auctoris in evulgandis iis , quæ ad	
alios spectant ,	356
<i>Circulus vitiosus</i> in reddendis legum rationibus	
legalibus ,	333
<i>Confucius</i> quantum in studio virtutis profecerit ,	
211. 212. quali virtute præditus fuerit ,	200
<i>Consecratio Episcoporum</i> cur inter epistolam & ev-	
angelium fiat ,	328
<i>Consecratio Papa</i> cur ante hymnum angelicum fiat ,	
329 & seqq.	
<i>Consequentiarum</i> cur in peccatum in Philosophum	
proni ,	406
<i>Continuitas</i> in extenso unde oriatur ,	716
<i>Corpus mysticum</i> Christi ,	233. 234
<i>Corporis</i> notio analyrice evoluta ,	683 & seqq.
<i>Critica</i> quantum subsidii ad explicandas defini-	
tiones juris afferat ,	283
<i>Culpa</i> quomodo evitetur , 316. 317. quomodo	
excusari soleat ,	317

D.

<i>Dare</i> quid significet in jure ,	250
<i>Definitiones</i> quando notiones sæcundæ , 156 &	
seqq. quales systemati inferendæ , 287. & seqq.	
quæ	quæ

quo ordine collocandæ, 90. quemnam habeant usum, 287. quales in methodo demonstrativa requirantur,	87. 88
<i>Definitiones juris civilis</i> quomodo condantur, 116. & seqq. quomodo a definitionibus juris naturalis differant,	119
<i>Definitiones juris Romani</i> cur videantur absurdæ, 264. cur non sint ad methodum demonstrativam aptæ, 101. quomodo emendentur, 118. 119. quomodo comprobentur, 122. cur inmutari possint, 281 & seqq. quomodo accuratæ efficiantur,	184
<i>Demonstrabilia</i> cur subinde sumi possint absque demonstratione,	278
<i>Demonstrationum</i> in Jure forma an eadem, quæ mathematicarum,	132 & seq.
<i>Dioptrica</i> a quonam inventa,	164
<i>Discipline</i> quomodo nottonibus fœcundis locupletentur,	165
<i>Disertatio juridica</i> , quomodo methodo demonstrativa conscribenda, 144 & seqq. quinam verum dederit specimen,	467
<i>Divinatio</i> quid sit,	305
<i>Doctrina superficialis</i> origo,	314
<i>Doctor juris naturalis</i> num principio carere possit,	362
<i>Domini</i> definitio,	450

E.

<i>Emtio venditio</i> quid sit,	459
<i>Episcopus</i> cur inter evangelium & epistolam consecretur,	328

Z 3

Essem.

<i>Essentialis imperfectio</i> num detur in homine,	31. 32
<i>Exercitium</i> quid sit,	12
<i>Existentia Dei</i> quomodo ex ordine naturæ demonstretur,	660 & seqq.
<i>Extensio corporis</i> ,	685 & seqq.
<i>Extensum</i> quomodo vi inertiae imbuatur,	711.
a vi activa permeetur, 711 & seqq.	an ortus
ex non extenso absurdus,	715

F.

<i>Facere</i> quid significet in jure,	250
<i>Felicitas</i> quid sit,	18
<i>Felicitas vera</i> quantum ab hominibus negligatur,	216
<i>Felicitas Christiani</i> quomodo indies augeatur,	232
<i>Fiducia erga Deum</i> quomodo influat in omnes actiones, 75. quomodo voluptatem ex virtute augeat,	78. 77
<i>Finis ultimus</i> hominis,	18. 19
<i>Formae accidentales</i> quomodo a substantiali pendeanr,	708. 709
<i>Formae substantiales</i> veterum num sint vis motrix, 705 & seqq. quomodo definitiones veterum & Scholasticorum intelligendæ,	707

G.

<i>Gaudium</i> ex gradu virtutis perceptum, 42. cur sit virtutis signum,	39
<i>Geometra</i> veteres methodi artifices,	92. 93 Glo.

- Gloria Dei* quomodo eadem actione bis illustretur, 81
Gloria divina illustratio naturalis & christiana quomodo differat, 213. 214. cur utraque non eandem pariat voluptatem, 214
Gratus animus in Deum quomodo augeat voluptatem ex virtute, 72

H.

- Habitus* quid sit, 12
Habitus moralis qualis sit, 13 & seqq.
Homo cur felicitatis capax, 20 & seqq.
Hominum differentia quoad statum civilem, 456 & seqq.
Honestas actionum intrinseca an Christiano scrutanda, 196
Honestatis naturalis actionum usus, 202 & seqq.
Hygieines fundamentum, 538

I.

- Ictus* in demonstrandis legibus num principiis juris naturalis carere possit, 362
Idealiste cur existentiam realem mundi materialis negent, 704
Idearum exemplarium per notiones ontologicas extensio, 310
Imperfectio in serie actionum spectata, 35
Imperfectio accidentalis hominis in quo consistat, 33
Imperans quando saluti Reip. adversetur, 570.
 Z 4 571.

<i>§ 71. cur de rebus ad regimen non spectantibus philosophari debeat,</i>	573
<i>Imperatores primi Sinarum cur de rebus ad regimen non spectantibus philosophari,</i>	573 & seqq.
<i>Infiniti vocabulum quomodo mentem obnubilet,</i>	714
<i>Ingenii definitio,</i>	276 & seqq.
<i>Insidia quales struantur a peccantibus in philosophum,</i>	308
<i>Intelligibilis explicatio rerum in universo unde pendeat,</i>	295
<i>Interpretes S. S. in similitudinibus quando a scopo aberrant,</i>	155
<i>Interpretum S. S. spuriorum mos,</i>	551
<i>Inventoribus qualem usum præbeant Tabulæ mnemonicæ,</i>	507
<i>Invidia signum voluptatis spurix, § 1. quomodo a christiano arceatur, § 3. illius effectus,</i>	50. 51. 53
<i>Judex quando certus sit se a justitia non recessisse,</i>	149
<i>Judiciorum intrinsece & extrinsece probabilium differentia,</i>	605
<i>Judicium Christiani de actionum honestate intrinseca cur certius,</i>	193 & seqq.
<i>Juri demonstrando cur quidam inanem operam impenderint,</i>	127
<i>Juris demonstrativi systema quem habeat usum,</i>	333
<i>Juris naturalis principium stabilitum, § & seqq. quodnam sit, 7. quale Christus dederit,</i>	343
<i>Juris-</i>	

- Juris practicus* cur de Jurisprudentiæ demonstrativæ utilitate judicare non possit, 656
- Jurisperitus* quando non agnoscat Jurisprudentiā ab altero non effectam fuisse demonstrativam, 650. 651
- Jurisprudentiā* quomodo ad formam demonstrativam reduci possit, 84
- Jurisprudentiā demonstrativā* num sit utilis, 147 & seqq. an sit uoxia, 658
- Jurisprudentiā demonstrativā* judex competens quinam sit, 633 & seqq.
- Jurisprudentiā demonstrativā* utilitatem quinam perspicere possit, 653
- Jus civile demonstrativum* num condi possit, 94. quinam id condere possit, 98. 99
- Jus civile Romanum* an methodo demonstrativa tradi possit, 99 & seqq. quomodo ad formam demonstrativam reducat, 105 & seqq.
- Justitia universalis* quid sit, 78. quomodo in temperantiam influat, 79. quomodo augeat voluptatem ex virtute, 80

L.

- Lapsus memoria* quomodo evirare liceat 506
- Leges* qua methodo in corpore Juris digestæ, 139. an ratione legali destitutæ omni destituantur, 325. 326. unde earum æquitas pateat, 149. num habeant rationem legalem unde constet, 330 & seqq.
- Leges natura* quomodo investigentur, 10
- Leges Romane* ad propositiones determinatas revocari possunt, 104. unde earum certa interpretari possunt, 105

pretatio pendeat,	148
<i>Legis naturalis</i> cur diversa esse possit demonstra- tio in Jurisprudencia naturali & civili,	96
<i>Legum</i> ad formam demonstrativam reductarum specimen,	435
<i>Libertatis</i> definitio explicatur, 265. emendatur,	267. 451
<i>Libertini</i> definitio,	279 & seqq.

M.

<i>Mali</i> odium quomodo ex amore Dei augeatur	230
<i>Malorum</i> omnium fons,	18
<i>Materia</i> cur per modum substantiæ concipiatur,	705
<i>Mechanica</i> quomodo ulterius perfecta fuerit,	163. 164
<i>Medicus</i> philosophus quantus sit,	590
<i>Memoria</i> non defatigandæ subsidium,	402
<i>Mersenni</i> elogium & prudentia,	404
<i>Methaphora</i> quid sint, 151. quem in inveniendis notionibus distinctis usum habere possint, 152 & seqq.	
<i>Metaphysica</i> auctoris in Tabulas mnemonicas red- acta,	470
<i>Methodus demonstrativa</i> cur in jure naturali ha- tenus non fuerit adhibita,	85
<i>Methodi analytica</i> utilitas,	684
<i>Methodi demonstrativa</i> supremæ leges, 87. quinam ejus sit gnarus, 636. & seqq. uude quis agno- scat, quod ejusdem gnarus sit,	642 & seqq.

N. Na.

N.

<i>Naturale</i> quid Medicis dicatur,	515
<i>Necessitatis moralis</i> notio,	249
<i>Negotia</i> quando ex tempore decidi non possint,	628 & seqq.
<i>Negotia ardua</i> quomodo ad vulgaria reducantur,	307
<i>Negotiorum</i> deliberandorum casus,	627
<i>Negotiorum publicorum</i> eventus cur certus effici non possit,	598
<i>Notio distincta</i> rei quomodo facilitateur,	489 & seqq.
<i>Notiones fecunde</i> quænam sint, 150. quemnam habeant usum,	162. 165
<i>Notiones S. S.</i> genuinæ quænam sint,	551
<i>Nexus rerum</i> quid sit, 291 & seqq. quamnam habeat utilitatem,	295
<i>Nexus rerum cognitio</i> quomodo juvet prudentiam,	291 & seqq. 313.
<i>Nexus rerum in negotiis humanis</i> quod detur, 296. & seqq. cur attendendus veniat, 298. & seq. quomodo cognoscatur, 319. & seqq.	

O

<i>Obligationis</i> notio evoluta, 237 & seqq. quomodo eruatur,	241
Species,	210. 238. 251
<i>Obligatio</i> multivaria ad actionem eandem,	210
<i>Obligatio Christiani</i> ad virtutem singularis,	187
<i>Obligatio civilis</i> definitio ac species,	244 245. 248.

Index Rerum & Verborum.

- 248 definitio communis ab obscuritate liberata, 246 & seqq. introducendæ modus, 244
Obligatio civilis strictè dicta & *prætoris*, 452
Obligatio naturalis cur inefficax, 243 quomodo plena a minus plena differat, 452
Observandi acumen singulare, 56
Observationes de corpore communes, 685. & seqq.
Officii hominis erga alios notio a Johanne data, 166- quomodo istud sit signum resipiscentiæ, 172
Opera imperfecta Christiani quomodo reddantur perfecta, 227
Orator quomodo Tabulis mnemonicis utatur, 510
Ordo in Tabulis mnemonicis observandus, 476
Ordo propositionum & definitionum in Jure demonstrativo collocandarum, 133
Ordinis natura existentia, 668. Contingentia, 673, & seqq. Dependentia ab autore. 679. eoque Deo. 678! quomodo probetur.
Organorum corporis usus, 21. & seqq.

P

- Papa* cur ante hymnum angelicum consecratur, 319 & seqq.
Partes in extenso unde orientur, 713 & seqq.
Peccantes in Philosophum sunt fastuosi & avari, 392. & seqq.
Peccatum in Philosophum quid sit, 372. Exempla ejusdem, 377. & seqq. Fons, 386. & seqq. Forma, 398. & seqq. Magnitudo, 395. Turpitudinis intrinseca, 417. & seqq. An pœnam me-

- mereatur, 422. cur ejus cognitio necessaria,
 431. quomodo evitetur, 431. & seqq. & cur
 evitari debeat, 423
- Peccatum in Prophetas* peccato in Philosophum
 agnatum, 386
- Perfectio* in setie actionum spectanda, 35
- Perfectio accidentalis* hominis in quo consistat,
 25. & seqq.
- Perfectio essentialis* hominis in quo consistat,
 24
- Permitti jure civili* quid dicatur, 262
- Philosophia* quid conferat ad Reipubl. formam
 adornandam, 583. ad Reimp. gubernandam,
 577. 584. & seqq. quomodo animura dispo-
 nat ad agendum ex veritate, 619
- Philosophia* plurimum cur in in iis deprehendatur
 qui imperant, 631
- Philosophia auctoris* usus in detegendo sensu profun-
 do S. S. 175. usus in homiliis, 354
- Philosophia moralis* usus in imperfectione operum
 agnoscenda, 226
- Communis defectus, 311
- Philosophia prima* usus in negotiis humanis insignis,
 308. 309
- Philosophia Sinarum* qua imperfectione laboret,
 589
- Philosophus* quinam sit, 571. & seqq. quomodo
 regnet, 593. & seqq. cur in gerendis negotiis
 aliis circumspiciat, 604. 612
- Philosophi* quales sint personæ, 385. quod paria
 cum Prophetis fata experti, 385. 386. cur non
 sint persecutores, 394. in rebus civilibus ardu-
 is

is a Sinis consulti ;	588
<i>Philosophus imperans</i> cur ex veritate faciat omnia, 613. quomodo ad casus futuros sese præparet,	620
<i>Pietas</i> in Justitiam universalem influit, 80. a virtute christiana inseparabilis,	202
<i>Pietatis christiana</i> effectus in augenda voluptate ex virtute, 68. quomodo cum philosophica conjungatur, 69. prærogativa ejus præ philosophica,	202
<i>Pietas philosophica</i> quid sit, 66. quomodo voluptatatem ex virtute augeat,	66
<i>Potestatis</i> definitio,	262
<i>Potestatis dominica</i> ratio,	327
<i>Præcipitancia communis</i> in probanda existentia Dei ex ordine naturæ,	680
<i>Præjudicia</i> hominum de voluptate,	235
<i>Præsensoyerum fortuitarum</i> in quo consistat, 305.	
<i>Præternaturale</i> quid Medicis dicatur, 521. & seqq.	
<i>Præstare</i> quid in Jure significet,	250
<i>Principia demonstrandi</i> quomodo deregantur, 129. 130. qualia in Jure sint necessaria, 125. & seqq.	
<i>Principia explicandi ea,</i> quæ corporibus insunt,	709
<i>Principia generalia exercitii virtutis</i> quod insunt vitiiis,	56
<i>Principium Juris naturalis</i> ex doctrina Christi, 343. quomodo ab ipso enunciatur, 343. consensus cum autore, 346. & seqq. 350. & seqq. usus in Theologia morali, 357. & seqq. quomodo facilioris applicationis reddiderit Christus, 364. num satisfaciatur in Jure civili,	360
<i>Prin:</i>	

<i>Principia Juris Romani</i> ex philosophia autoris mutuanda,	133
<i>Probabilitatis</i> lex cur in negotiis observanda,	607
<i>Probabilitatis principia</i> qualia sint philosopho, 665. quomodo idem diversa ratione a philosopho & non philosopho applicetur,	607
<i>Propositiones</i> in methodo demonstrativa quales.	89.
	90
<i>Propositiones demonstrativa</i> quomodo in Jure condantur,	131
<i>Propositiones determinata</i> cur sint notiones fœœvande	159 & seqq.
<i>Providentia divina</i> singulare specimen,	623
<i>Prudentia</i> quid sit, 16. 312 quomodo fiat oculatior, 315 ejus fundamentum:	298
<i>Prudentia regula determinata</i> quomodo reperiantur, 313. 314 illarum præstantia,	313
<i>Puffendorfius</i> impietatis postulatus,	384
<i>Psychologia</i> communis defectus,	311

R

<i>Ratio</i> quid sit, 336 in quo evolutio ejus consistat,	335. 339.
<i>Ratio legum</i> quætriplex, 109, 110 quænam attendenda,	111 & seqq.
<i>Rationes Juris naturalis</i> quomodo ab homine defumantur,	366
<i>Ratio legalis</i> num in unica lege contineatur,	314
<i>Rationes legales</i> quænam sint, 124. 125. 322 an omnium legum dati possint, 323. 324 quinam eas scrutari sit aptus, 340 quamnam utilitatem habeant, 341. 342 quomodo genuinæ detegan-	

Index Rerum & Verborum.

<i>gantur</i> , 331 & seqq. 335 quomodo a spuris separentur,	339, 340
<i>Reges</i> quinam philosophentur, 563 an iis suppe- tat tempus ad philosophandum,	576
<i>Repetitio</i> quando facilitetur,	496
<i>Res naturales</i> quænam Medicis dicantur,	543
<i>Res non naturales</i> quænam dicantur, 591 & seqq.	
<i>Res praternaturales</i> quænam Medicis dicantur,	545
<i>Respublica</i> cur in pejus ruat,	626

S

<i>Scientia</i> num sit virtus intellectualis,	11
<i>Scientia notio</i> analytice evoluta,	10
<i>Schwarzius</i> in Puffendorium peccans,	384
<i>Sensuum</i> usus,	22
<i>Servi Christi</i> notio, 550. cur Christianus sit servus Christi,	557 & seqq.
<i>Servi conductitii</i> a proprio differentia,	276
<i>Servitutis</i> definitio, 450. 271. 273. causa, 453. 454 justæ & injustæ differentia,	279. 280
<i>Simplex</i> quomodo concipiendum, 715 quænam ex ejus notione explicanda,	719
<i>Sinarum</i> in philosophando circumscriptio, 590	
<i>Sinarum Imperatores</i> quomodo formam Reipubl. excogitaverint,	580 & seqq.
<i>Sine definitionibus</i> quænam demonstrari possint,	125
<i>Sine philosophia</i> num hodie regnetur,	630
<i>Socrates</i> defensio,	388 & seqq.
<i>Socratis</i> persecutio,	372 & seqq.
<i>Solutionis</i> definitio eruta,	240
<i>Sophi-</i>	

Index Rerum & Verborum.

<i>Sophistica artis</i> fundamentum,	53
<i>Spinoza</i> error circa nexum rerum,	293. 294
<i>Substantia</i> quid in Jure significet,	251
<i>Statum praternaturalem</i> corporis contemplari an Physici sit;	526 & seqq.

T.

<i>Tabularum mnemonicarum</i> constructio & usus, 468 & seqq. exempla,	483 & seqq.
<i>Techna</i> peccantium in philosophos,	401
<i>Temperantia</i> notio evoluta;	8. 14. 15
<i>Testium</i> numerus septenarius in testamento qua- ratione nitatur; 326 an nostris moribus con- veniat;	327
<i>Termini artis</i> num. opponi possint terminis philo- sophicis communibus,	548
<i>Tertium comparationis</i> in metaphora quomodo in- veniat, 153. 154 quomodo ejus limites as- signentur,	155
<i>Textus juris</i> in propositiones determinatas resolu- ti specimen,	436
<i>Theologi</i> in philosophum peccando quomodo in re- ligionem peccent,	428
<i>Titulorum</i> in Digestis & Institutionibus ordo num in systemate demonstrativo servari possit, 136 & seqq. & debeat, 140. 141. 142 quod a Docto- ribus nonnullis fuerit immutatus,	140
<i>Titulus</i> unus Juris Romani quomodo ad formam demonstrativam reducatur,	143
<i>Titulus</i> III. Lib. I. Institutionum demonstratus;	450
Aa	Trans-

<i>Transcreatio</i> vis motricis num admittenda,	704
<i>Tristitia hominis christiani</i> quomodo influat in voluptatem,	224. 225
<i>Tuori</i> quid significet in definitione tutelæ,	263
<i>Turpitudine actionum</i> quomodo intimius perspiciatur	
230 quomodo influat in voluptatem ex virtute	
192 ejus usus,	203 & seqq.
<i>Tutela</i> definitio explicatur, 253 & seqq. emendatur,	262. 263
<i>Tyrones</i> quomodo ad systemata præparentur,	503

V

<i>Venditio</i> quid sit,	453
<i>Veritatis manifestanda</i> modi,	383
<i>Vinculi</i> significatus generalis,	24
<i>Virtus</i> qualis sit habitus, 7 quibus voluptatem creet,	
37. 50. 209 quomodo gaudium pariat, 37. 38	
quomodo stimulus sit ad virtutem, 55 unde æstimonda, 183 quomodo amplificetur, 56 unde agnoscatur,	52
<i>Virtus alterius</i> quomodo censeatur nostra, 232	
quando duplicem pariat voluptatem,	62
<i>Virtus christiana</i> quid sit, 180 & seqq. quomodo a naturali differat, 181 & seqq. quomodo sit fructus fidei, 154 ejus singularia,	201
<i>Virtutis</i> notio, 3 gradus, 43 motivum, 44 habitus quando nondum plenus, 70. 71. 74 quomodo idem augeatur, 232 exercitium cur sit suave, 2 gaudium cur sit ejus signum,	39
<i>Virtutum</i> species quo fundamento nitantur, 8 dependentia a se invicem,	58
<i>Vitium</i> quid sit,	34
<i>Vis</i> in definitione tutelæ quid significet,	262
	<i>Vis</i>

- Vis activa* corporis quomodo observetur, 692 unde sit, 718 quod non fluat ex extensione, 699 num corpori constanter insit, 700 quomodo per materiam diffundatur, 711 & seqq.
- Vis inertia* quomodo observetur, 688 & seqq. unde sit, 718 quod ex extensione non fluat, 690
- Vivere Deo & aliis* quid sit, 201
- Voetius* in Cartesium peccans, 381
- Voluntatis constantis & perpetua* medium, 17
- Voluntas* cur in virtute perpetua, 15 cur constans, 16
- Voluptas* ex virtute percipienda, 1 quomodo incrementa capiat, 47. 59. 66. quomodo incrementa capiat ex amore Dei, 71 ex grato in Deum animo, 72 ex fiducia erga Deum, 76 ex Justitia universali, 79. 80 ex influxu pietatis in Justitiam universalem, 80. 81 quos habeat effectus, 48. 54 quos gradus, 41 & seqq. quem usum, 54. 56. quomodo a spuria separatur, 60
- Voluptas* ex virtute alterius percipienda, 49 & seqq. 231 & seqq.
- Voluptas* ex virtute christiana percipienda, 179 quatenus ex grato in Deum animo actiones proficiscuntur. 223 quatenus Deo placent opera imperfecta, 220 quatenus oritur ex singulari nexu pietatis & virtutis christianæ, 206 & seqq. cur major sit ea, quæ ex virtute naturali percipitur, 188. 191
- Voluptas* percipienda ex remuneratione gratuita bonorum operum, 228 & seqq.

<i>Voluptatis spurie genus,</i>	63
<i>Voluptates ab hominibus neglectæ,</i>	235
<i>Voluptates simplices quomodo confundantur in unam, 189. 190. 193 quomodo in mixta separentur,</i>	198: 199

FINIS INDICIS.



